
42
4 F
22

STANISLAI RESCII EPISTOLARVM LIBER VNVS.

QVIBVS NONNVLLA eiusdem Auctoris.

PIA EXERCITIA

Pijs Lectoribus non indigna Pij quidam Viri adiungenda putauerunt.



Ex officina Horatii Saluiani.

NEAPOLI, Apud Io. Iacobum Carlinum, & Antonium Pacem. M.D.XCIV.

Ill.mo et R.mo Card.e Veron.i Auctor

STANISLAI
RESCII
EPISTOLARUM
LIBER UNUS.

QUIBUS NONNULLA
eiusdem Auctoris.

PIA EXERCITIA
Pijs Lectoribus non indigna Pij quidam Viri
adiungenda putauerunt.



Ex officina Horatii Saluiani.

NEAPOLI, Apud Io. Iacobum Carlinum, & Antonium Pacem. M. D. XCIV.

ILLVST.MO PRINCIPI REVER.MO D. D.

ASCANIO COLVMNAE S.R.E. CARDINALI.

Ioannes Franciſcus Lombardus ex animo. S. D.



C*VM Stanislao Reſcio Polonorum in hoc Regno Legato, ab ipſis vſq; Concilij Tridentini temporibus, magna ſemper mihi conſuetudo interceßit, illo in Hoſij, me in Seripandi ampliß imorum Cardinalium, & Legato-*

rum

rum familiaritate viuente, quam etiam tot interiectis annis per litteras renouare semper, conseruareq; contendimus.

Posteaquam autem Neapolim venit, adduplicata est illa nostra voluptas, cũ ex quotidiana conuersatione, tum ex studiorum, & occupationum communicatione, cum multa de litteris, multa de viris doctis, multa de bonarum litterarum amatoribus quotidie summa cum voluptate conferremus. Accidit autem, vt in eius aliquot epistolas inciderem, rerum sacrarum præceptorumq; moralium plenissimas, quas diuersis temporibus ad amicos suos conscripsit, & nonnulla præterea plena pietatis exercitia. Hortatus sum hominem, gloriolæ non omninò diligentissimum aucupem, vt in lucem ederet, nec in domestico puluere latere res luce di-

gnas

gnas pateretur. Negauit vir moderatus initio, timens subire doctorum iudicia, Tarentinisq; se diceus, & Consentinis scripsisse non Romanis. Mecum tamen pro veteri amicitia, multò etiam plura lectu dignissima scripta cõmunicauit, quæ excipi curaui. Interim etiam cum ex Polonia, tum ex Vrbe à viris doctis mouebatur, copiam vt rerum suarum tantò libentius faceret, quantò auidius expeterentur: ita vt adductus tandem fuerit, rem vt totam arbitrio meo permitteret. Ego verò collectas in vnum quinquaginta circiter epistolas Typographo edendas sine mora tradidi, & cum sciam quanta sit authoris in Illustrissimam Cel. V. obseruantia, quam tibi etiam in intima Sarmatia probare conatus est edita tibiq; dicata in septem Psalmos Paraphrasi

elo-

eloquentissima, sub tuo quoque nomine, tuaque, quæ summa est, authoritate, has illius epistolas exire in lucem volui, vt & meum tibi singularem, & extraordinarium cultum comprobarẽ, & eam, qua in me, inque omnes bonarum litterarum amatores esse consueuisti, voluntatem fouerem quodammodo isto officij genere atque conseruarem. Tu Princeps Illustrissime, quæ tua est humanitas, quemq; hodie bonarum litterarum quasi quandam sacram anchoram aspicimus, & admiramur, studium hoc meum ex summa in te profectum obseruantia cogitabis, & nos cum Rescio simul in tuis intimis numerare non desines. Neapoli Vigilia Sancti Thomæ Apostoli MDXCIII.

STEPHANO REGI POLONIÆ POTENTISSIMO

STANISLAVS RESCIVS.

Epistola I.



VM ex Vrbe Roma, Lauretũ versus, pietatis caussa proficiscerer; in ipsa ciuitate Narniensi, Reuer. P. Antonio Posseuino, Viro multis Dei donis ornatissimo, ad 3. Idus Septēb. occurri: qui mihi literas Regiæ M. V. reddidit; & ea, quæ habebat in mandatis, verbis valdè bonis expoluit: cupere videlicet M. V. vt ego Roma relicta in patriam reuertar; inq; aula Maiestatis V. tum Reip. tũ Ecclesiæ Dei, quæ multis indiget præsidijs, operam meam nauem. Forè id Maiestati V. gratissimum; nec me ab illa vllum clementiæ aut ornamentorum genus desideraturum. Ex quibus ego verbis, & pietatem S.M.V. omnium prædicatione decantatam;

 & de

& de repræſentanda ſubditorum ſalute perpetuam quandam ſolicitudinem liquidiſſimè perſpexi: & illam etiam propriam M.V. laudem recognoui; quod in tanta ſua, tãq; eminenti poteſtate, maiorem ſuæ humanitatis, quam poteſtatis gloriam eſſe velit. Quod enim de me tam honorificè ſẽtit: quò magis ego me deſtitutum video, ijs pręſidijs quibus Eccleſiæ Dei rationes ſubleuari con ſueuerunt; quæq; mouere Principum animos, & ſolent, & debent, vt aliquem ornandum augẽdumq; ſuſcipiant; hoc magis perſpicio, iudicium hoc de me M. Veſtræ ex abundancia quadam humanitatis, & clemẽtiæ proficiſci, ac ad eundem benignitatis fontem referendum eſſe. Nec mihi certè potuit ex omnibus rebus, quas iſte ſol aſpicit, quicquam optatius, atque ad omnem laudẽ illuſtrius accidiſſe: quam in aliquo numero haberi ab eo Rege, & Domino: quem in hac propè: depoſita Reip. Chriſtianæ parte; tanquam vnum ex annalium memoria è cœlo delapſum, ad ſananda Orbis Chriſtiani vulnera: ac in omni re, veriſsimũ certiſsimũq; totius pulchritudinis iudicium aſſecutum exiſtimant: cuius pietatem, Eccleſia; protectionem, ſubditi: virtutem, hoſtes; victi, miſericordiam; fidem ac prudentiam cęteri

omnes

omnes perspexerunt: atque hoc tam iustum, tamq; temperans, & moderatum M. V. imperium; patrocinium potiùs Regni Poloniæ esse, quam imperium interpretantur.

Quo nomine quantas maximas, animus meus capere potest: ago & habeo gratias: & quicquid tandem Deo de me, per suum in terris Vicarium statuere visum fuerit, cuius nunc mandato Sigillatoris officium, in Tribunali S. Pænitentiariæ administro, daturũ me esse omnem omninò operam polliceor & promitto: vt si cætera omnia, quæ summi atq; perfecti viri possunt, ingenium, iudiciũ, prudentiam, eloquentiam præstare non potero; fidem certè, studium, diligentiam præstem; & honoris & fortunarum mearum auctoribus; ac in omnibus rebus quas ad tuendam & amplificandam gratiam rem, dignitatem. S. M. Vestræ pertinere putauero, sic me adhibeam; vt ex hac S. M. V. opinione, ad alios quidem animi voluptas; at ipsam autem M. Vestram, benè iudicandi laus & gloria perueniat.

Interim autem, quod adhuc feci, ac facio in dies, apud istos venerandos Sanctorum cineres, quibus hæc æterna Vrbs abundat, Deum præcari non intermittam, quod olim Christianos pro suis Imperatoribus: præca-


 tos

tos esse legimus, Vt S.M.V. det Dominus Imperium securum domũ tutam: exercitus fortes, senatum fidelem, populum probum: Regnum quietum: Vitam prolixam: vtq; sapiens sit, sicut habet sapientiam Angelus Dei, & intelligat omnia super terrã: & quod tanta animi viriumq; contentione laborat, istas religionis Christianæ ruinas, in orbe toto Christiano reficiat. Quod superest, me & seruitutem meam S. M. Vestræ diligenter etiam atq;, etiam commendo. Dat. Romæ XVII. Octob. anni Gregoriani. 1582.

STEPHANO POLONIÆ REGI POTENTISSIMO

STANISLAVS RESCIVS.

Epistola II.



AD 20. diẽ Ianuarij, cũ Illustrissimus D. Andreas S.M.V. Fratris filius, in agro Tusculano, rusticaretur; venerũt ad me M.V. literæ 19. Nouẽb. in Bresciæ datæ. quibus mandat, vt consilia M.V. de erigendo

gendo in Ciuitate Bresteñ. Societatis Iesu Collegio suscepta, apud S. D. N. promoueamus: quod etiam ea qua par est, fide & diligentia curabimus. Cæterum Benedictus Deus excelsus, qui abyssalem, vt ita dicam, Hæreticorum superbiam ferre diutius, sustinereq; non valens, te Principem istis tam sanctis cogitationibus armatum, ad Regni gubernacula collocauit; in quo ad Orthodoxæ fidei salutem, & Regiam potentiam & sacerdotalem vigere videbat industriam. Benedictus Deus. Non satis tibi putas, ò Rex, immanem hostem vicisse; triumphos duxisse; Regni fines protulisse; sempiternã tuo nomini laudem & gloriam castris & armis parauisse: nullam etiam in summa Regni tui pace, pacem; nullam tibi requiem concedendã existimas, nisi cum requie Sanctæ Ecclesiæ periclitantis: cui quicquid operæ, studij, & pietatis impendis; tibi tuoq; id Regno scis sine dubio profuturum. Et meritò quidem eius sperare expectareq; debes protectionem, cuius defendis veritatem. Tu Christi causam; vnà, Christus te, crede mihi Regnumq; tuum vtraq; manu defendet: talemque omnino Regni tui statum esse volet; qualem tu Religionis esse volueris, Religatis enim ad verum veri Dei cultus sub-

ditorum tuorum animis, quod in omni doctrina Christiana pulcherrima, & vtilissimum esse dicit Nazianzenus, pax & concordia consequatur necesse est: quæ apud Hæreticos propterea nulla videtur, quod animos omni metu vacuos rectaque destitutos religione habeant. Idq; ità esse, in vrgendo Confœderationis articulo declarauerunt; per quem licet essent cædis & armorum periculo liberati, armatum tamen adhuc gerere animum contra Catholicos non desierunt. Ijs tu artibus, ò Rex, cito in Regno tuo perficies, vt maiorum nostrorum simus, quã simillimi; vel potius, vt oẽs subditi tui, tanquam si tu esses, ita sint. Quandiu enim Principes obediunt Prophetæ dicenti. Seruite Domino in timore: tandiù subditi eorum Paulo obedient præcipienti; vt omnis anima subdita sit sublimioribus potestatibus: Tamdiù quoq; illud intelligent; Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit: & sicut apud Magnum Leonem legimus. Quamdiu permanebit quod de Christo Petrus docuit; tamdiu permanebit, quod in Petro Christus instituit. Sed veniam à M. V. precor. Nescio quomodo fit vt quã ex his M. V. consilijs voluptatem accipio, eam non possim intimis medullis clausam tenere. Nam
&in

& in magnis tempeſtatibus, ſummi nonnunquam gubernatores à vectoribus admonentur: & in lucta ſtadioq;, clarius à vilißima plebe victoribus acclamatur. Et qui cæteros omnes celeritate ſuperat, is potißimum ſpectatorum vocibus, magis, atq; magis ad currendum incitatur. Quamobrem non verebor ego quoque, ò Rex, aliam adhuc tibi currẽti, teq; dignam pietatis exercendæ materiam miniſtrare; quæ curam ſancti pectoris tui exerceat: & præcedentium meritorum coronas multiplicare valeat; audaciam mihi Dei amico Abrahamo ſuppeditante; qui cum cinis, & puluis eſſet, qualem ego quoque me eſſe in conſpectu tuo profiteor, ac præmefero; auſus tamen eſt pro Sodomitis ſemel, & iterum & tertio creatori ſuo ſupplicare: ſicut & ego tibi Regi, & Domino meo ſupplico. Si in ciuitate tua Varſauieñ. inueneris decem Catholicos, nonne illam tua gratia protectioneq; dignam putabis? ſi viginti, magis etiã: ſi triginta, ſi centum, ſi mille tanto, etiam magis. Ecce tibi, ò Rex, pluſquam ſeptem millia Orthodoxorum offero, qui genua ſua non curuauerunt ante Baal, vel Islebienſem, vel Geneueñ. vel Pinczouienſem, vel quemcunque tandem alium. Cum

his omnibus, ad tua genua prouolutus Deo dilectæ pietati tuæ humiliter ſupplico, vt iſtos Baalitas in Orthodoxa ciuitate tua,nō patiaris de fide diſputare, quos conſtat à fide deuiare: non patiaris doctrinam veritatis oppugnare, quos vides à Cathedra vnitatis aberrare. Iam per Dei gratiam declarata eſt in Concilio Tridentino veritas: iam detecta eſt ab Eccleſiæ Doctoribus falſitas: iam in orbe toto manifeſtata eſt nouarum doctrinarum fœditas: iam probata eſt Orthodoxorum vnitas. Quid aliud iſti in ciuitate Varſauien. quærunt, niſi mendacium? non video. Nam qui poſt inuentam veritatem aliquid aliud quærit, mendacium quærit: Tenebras quærit, qui in medio & perſpicuo die commētitium lumen inquirit. Mendacia deſyderat ſeminare, qui credit veritatem extra vnitatem habitare. Pacem habere in tua ciuitate deſyderas, iube ſubditos tuos omnes cum Chriſto pacem tenere. Pax extra pacis autorem quæri poteſt, inueniri non poteſt. Pro Chriſti legibus, ſecundum Chriſti leges pugnandum eſt. Quorſum iſti circulus? in quibus ſoli tantum impij ambulant? Quorſum circum locutiones? quorſum in reſcriptis dubia, & ſine ſenſu verba? Quid agunt in luce tenebræ? Per

falſi-

falſitatem non itur ad veritatem. Veritas enim falſitatem, non falſitas debet vincere veritatem. Nec eſt, quod exiſtimes, vnquã eſſe quieturos veritatis inimicos; niſi rem eo perduxerint, vt, dicant omnes in Regno tuo. Non eſt Deus. Finem contendendi nullum ſtatuent, niſi tu feceris. Quin ergo tu potius, nulla vſus circumlocutione, zelum quem pro domo Dei, in corde clauſum geris, quemq; ſæpe & libenter, & liberè profiteri conſueuiſti, ſcripto quoque & calamo apud tuos ſubditos teſtari profiteriq; non dubitabis: verbis non hodie & nudiuſtertius natis, ſed ante multa ſæcula, magno tum iudicio à pijſsimis Imperatoribus meditatis; quorum gloriæ cum ſit æmulator: eſſe proculdubio voles & zeli & pietatis imitator. Verba autem legis ſic habent. Cunctos populos quos Clementiæ noſtræ regit Imperium, in tali volumus religione verſari, quã Diuum Petrum Apoſtolum tradidiſſe Romanis, religio vſq; adhuc ab ipſo inſinuata declarat: quamq; Pontificem Damaſum (tu diceres Gregorium XIII.) ſequi claret. Nullus itaq; ſit, Hęreticis miniſteriorum locus: nulla ad exercerdam animi obſtinatioris dementiam pateat occaſio. Sciant omnes, etiam ſi quid ſpeciali reſcripto per fraudem

elici-

elicito ab huiusmodi hominum genere impetratum sit, non valere. Hæc tu tantum, o Rex, Orthodoxis populis tuis impera, reliqua Deo permitte. Agamus viriliter, ait Scriptura, pro populo nostro, & pro Vrbibus Dei nostri, Dominus autem quod in conspecto suo bonum est, faciet. Aderit ille caussam suam agenti. Tu Christi procurator, ille tuæ voluntatis erit executor. Ita fiet, vt hæc, quæ instituis Collegia, hæc quæ congregas doctissimorum virorum examina, longè fælicius, faciliusq;, quos ab illorum pietate expectas fructus & vtilitates in Regno tuo proferent; si conatus illorum tuus Deo seruiens Principatus & fide & potestate iuuerit. Quod etiam à tua Deo amabilissima pietate & speramus & expectamus, precariq; nunquam intermittemus, vt ad hæc omnia perficienda, det tibi vitam, quam mereris, & quem dedit Sacerdotalem istum Regiumq; simul animum, ad multos annos conseruet.

De coniuratione contra Dominũ, & contra Sponsam eius Ecclesiam, quam Confœderationẽ vocant, multos sæpè coram M. V. tam Catholicos, quam, qui se vocant Euangelicos, in vtramq; partem differentes audiui, istis necessitatem huius fœderis, isto re-

rum in patria ſtatu, oſtendentibus: illis, cū Auguſtino aſſerentibus; Nullam eſſe poſſe Chriſtiano homini peccandi; atq; à Chriſto deficiendi neceſsitatem; cui vna ſola neceſſitas incumbit non peccandi. Mitto M. V. quæ nobis quoq; tum Eccleſię Dei, tum chariſsimæ patriæ amor in hoc genere ſuggeſſit. Vnde ſpero videre quiſq; poterit, hęc quę pacis cauſſa excogitata remedia videntur, veris eſſe periculis grauiora. Iterum, atque iterum me Regiæ Maieſtatis Veſtræ clemētiæ diligenter commendo. Datum in agro Tuſculano. XXI. Ianuar. 1584.

NOTAE

In articulum Confœderationis, quo Polonię Reges promittunt pacē ſeruare inter diſſidentes de religione, nec quēquam propter diuerſitatem fidei, aut mutationē in tēplis, pœnis afficere. &c.

Pax ſeruetur inter diſsidentes de Religione.

At aliter ſcriptura. Omnis qui non fecerit legem Dei, & legem Regis diligenter, iudicium erit de eo; ſiue in mortem, ſiue in exilium, ſiue in condemnationem ſubſtantiæ eius, vel certè in carcerem.

Pax seruetur.

Propter hoc, Audite verbum Domini, viri illusores. Quia dixistis. Percussimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum: Idcircò hæc dicit Dominus. Delebitur fœdus vestrum cum morte: & pactum vestrum cum inferno non stabit. Flagellum inundans cum transierit, eritis ei in conculcationem.

Pax seruetur.

Quare id? Quia nondum tempus venit domus Domini ædificandæ. Sed nunquid, ait Dominus, tempus vobis est, vt habitetis in domibus laqueatis, & domus Dei deserta?

Pax seruetur.

Talis pax, talem securitatẽ pariet, qualem describit Amos. Fugiet vir à facie Leonis; & occurret ei Vrsus: ingredietur domum, & mordebit eum coluber.

Pax seruetur.

Talis erit ista Confederatio, qualis illa in Exodo tentatiō, cum Iudæi dicerent; Estne Dominus in nobis, annon?

Pax seruetur.

Similis erit sepulchro dealbato, pleno cadaueribus mortuorum.

Pax seruetur.

O crudelem pacem. Errauerunt, ait Dominus, greges mei in montibus, & in vniuer-

ſo colle excelſo; & non erat qui requireret.

Pax ſeruetur.

Quid ſimulas? dic apertè. Quod perierat, non requiram; quod abiectum erat, non reducam; quod confractum erat non alligabo; quod pingue & forte, non cuſtodiam.

Pax ſeruetur.

Quæ pax? ait Iehu. Adhuc fornicationes Ieſabel matris tuæ, & veneficia eius multa vigent? Pax ſeruetur.

Per hanc pacem cõteres, ſicut ait Propheta, catenas, ligneas, & facies pro eis cathenas ferreas.

Pax ſeruetur.

Bonus ſermo Domini, ait Ezechias. Sit pax, ſed ſit & veritas in diebus meis.

Pax ſeruetur.

Quæris in Regno pacem? Orate pro ea ad Dominũ, quia in pace illius, erit pax vobis.

Pax ſeruetur.

Quorſum ambages, quorſum circuitus, cur non cum Elia dicitis, ſi Deus, eſt Deus, ſequimini illum.

Pax ſeruetur.

Quem Paulus conceſsit, tu Regi gladium eripis, ne ſit terrori diſcolis.

Pax ſeruetur.

Sed ſubditorum vitia ſi feras, facis tua.

Pax ſeruetur.

Dura promisſio, turpis permiſsio; ſed longè erit acerbior ſolutio. quam neceſſe habebit lugere, etiam ipſe, qui fecit.

Pax ſeruetur.

In nomine Dei iuras, quod nomen Dei blaſphemari permittes.

Pax ſeruetur.

Sed iuramentum non eſt vinculum iniquitatis. Talis autem pax hominem vero Deo tollit, à quo factus eſt; & immundis Dæmonibus ſubdit, per quos ſeductus eſt.

Pax ſeruetur.

Abſurdum eſt vt quos pæna meruit conſumare, etiam lucrum ſibi valeant vendicare.

Pax ſeruetur.

Quæ pax? Inter homines alis disſidium, & pacem in Regno quæris?

Pax ſeruetur.

Scelus debet eſſe, tali quod lege tegitur. Scælera enim, & ſuum conſpectum reformidant.

Pax ſeruetur.

Vbi turpis medicina, ſanari piget.

Pax ſeruetur.

Non eſt pax impijs, ait Propheta.

Pax ſeruetur.

Citius inter flammas, & vndas: inter lucem, & te-

& tenebras; inter lupos, & agnos.

Pax seruetur.

Quasi diceres? Ignem in sinu ferre, & nō vri; licet, mendacium amplecti, & non falli.

Pax seruetur.

Sæua bonitas est, in perniciem rogantium exorari.

Pax seruetur.

Abominandū remedij genus proponis. morbo debere sanitatem.

Pax seruetur.

Ac si diceres; submerge hominem, vt naufragium pingas. Domum incende, vt flammam exprimas.

Pax seruetur.

Abijcienda sunt falsa remedia; quæ sunt veris periculis grauiora.

Pax seruetur.

Sed si hæresis fouetur; quod scelus punietur?

Pax seruetur.

Si populus Regem suum hæresis amicū agnoscet; cui crimini credet inimicum?

Pax seruetur.

Sed quid timebit reus, cum crimen viderit in fascibus constitutum?

Pax seruetur.

Talis pax, ignis est doloso tectus cinere.

Pax ſeruetur.

Vbi talis pax habetur, quid ei Regno timeas? Quod non times.

Pax ſeruetur.

Fax ad ſcelus præfertur: Nam quibus datum eſt omnia poſſe, optima præſumuntur elegiſſe.

Pax ſeruetur.

Nunquam vidi clementiam nocentiorem.

Pax ſeruetur.

At hoc eſt Hæreſim galea tegere. Difficilius cum armata pugnabimus.

Pax ſeruetur.

Pax iſta non emplaſtrum eſt, ſed ſcalpellum ſpongia tectum.

Pax ſeruetur.

Menſuram non quærit iniuria. Pax vera ſi in paruo violatur, in omni parte contemnitur.

Pax ſeruetur.

Sed tali pax, ſi cum bello de crudelitate certauerit, vincet.

Pax ſeruetur.

Scelus imperas. Nam qui non vetat peccare cum poſsit, iubet.

Pax ſeruetur.

Homicidij genus eſt, à præcipitio non reuocare.

Pax ſeruetur.

Obruitur innocentia, cùm relaxatur audacia. Pax ſeruetur.

Bene agere, & illicita non prohibere, conſenſus erroris eſt.

Pax ſeruetur.

Sæuiendi licentia aufertur; pereundi relinquitur. Pax ſeruetur.

Sed nihil eſt crudelius, quam ſic offendere, vt magis ſis offenſurus, ſi ſatisfeceris.

Pax ſeruetur.

Sic pacem in diſsidio poteris ſeruare; ſicut in aqua non eſſe, & natare.

Pax ſeruetur.

Sed remedia vacant, cum crimina indulgẽtur: & crimina manent, ſi remedia vacant.

Pax ſeruetur.

Iſta pax ſimilis erit Senecæ balneo, ſine ſenſu doloris peribimus.

Pax ſeruetur.

Hoc vero nihil aliud eſt, quam ignibus incendium extinguere.

Pax ſeruetur.

Sed ſicut omne homicidium, etiam extra ſyluam, latrocinium eſt; ita omnis hæreſis, etiam extra pænam maleficium.

Pax ſeruetur.

Fatetur facinus, qui iudicium fugit.

Pax ſer uetur.

Tali pacta pace, bello quodam muto, neq; nomen habente patria peribit.

Pax ſeruetur.

Quid eſſe prodeſt, quod eſſe non prodeſt?

Pax ſeruetur.

Prudentia ad maleficium abuti, nefas.

Pax ſeruetur.

Tali ſtante lege, non pax parabitur, ſed bellum differetur.

Pax ſeruetur.

Hoc non eſt aliud, quam poſt beneficium occidere. Pax ſeruetur.

Beneficium vocas, quod portam ad præcipitium aperuiſti.

Pax ſeruetur.

Peſtifera vis eſt, valere ad nocendum.

Pax ſeruetur.

Ad ſummam libertatem, nihil huiusq; in Regno defuit: niſi pereundi licentia; nunc, nec iſta. Pax ſeruetur.

O quam verum eſt illud, Scelera ſceleribus tuẽda ſunt. Pax ſeruetur.

Quanto fuiſſet melius, ſilentio præterire, quam per iſtam indulgentiam numerari inter Principes publico malo natos.

Pax ſeruetur.

Bonitatis verba imitari, maior malitia eſt.

Pax

Pax ſeruetur.

Hoc vero eſt non ſanare,ſed in aureo lectulo, ægrotantem collocare.

Pax ſeruetur.

At ſecuritas delicti, delicti libido eſt.

Pax ſeruetur.

Argumentum morientis libertatis, liberè peccare. Non eſt libertas, quæ innocentiæ facit iniuriam.

Pax ſeruetur.

Sed clamabũt homicidia,furta, latrocinia, adulteria. Quid agis mollißima diſciplina? Aut omnibus nobis hoc eſſe debebis, quod hæreſi; aut, nec hæreſi.

Pax ſeruetur.

Idem eſt, atſi dares gladium furenti, frigidam febricitanti, laqueum deſperato.

Pax ſeruetur.

Hoc ſcilicet agis, vt ſubditi tui omnia in Regno tuo habeant bona, præter ſeipſos.

Pax ſeruetur.

Regem agere non decet, quo rectè quiſquã accuſet.

Pax ſeruetur.

At Hæreticorum ne pacata quidem nequitia, toleranda eſt.

Pax ſeruetur.

Fœlix neceſsitas, quæ compellit ad melio-

ra;infælix libertas, quæ ducit ad deteriora.

Pax ſeruetur.

Te, per te, ò Rex, petit Hæreſis; Stare, niſi ſtante Religione non potes.

Pax ſeruetur.

Quorſum iſtud pallium? quorſum putamen? Nucleum proferte. Vale Deus. menſe perit; & corpus.

Pax ſeruetur.

Funem & ſcalam porrigis, & à ſuſpendio dehortaris?

Pax ſeruetur.

Cui bono? Vt Hæretici in tua poteſtate ſint. In ſua nunquam fuerunt.

Pax ſeruetur.

Si finis coronat opus, quid pacatum tali ſtante pace vidimus?

Clerum afflixerunt Lutheriſtæ.
Reges oppreſſerunt Caluiniſtæ.
Orco dederunt infantes Anabatiſtæ.
Chriſtum Deum negauerunt Trideiſtæ.
Deũ, cælum, orcum reiecerunt Atheiſtæ.

Pax ſeruetur.

Quid dicam aliud? Vincent nos vitia, niſi tota vincantur.

Pax extra pacis authorem quem poteſt, inuenire non poteſt.

MARTINO AB AZPILCVETA DOCTORI NAVARRO

STANISLAVS RESCIVS.

Epistola III.

EGO vero non dubito, vir Deo dilecte, quin ea tibi omnia gratissima acciderint, quæ de Serenissimi, atq; à Deo coronati Regis nostri STEPHANI laudibus, ex sermone D. Treteri cognouisti. Longè enim maiore cum laude, maioreq; cum fructu, hostis humani generis ab illorum pietate vinci profligariq; consueuit; quos Deus in Ecclesia sua summa cum potestate versari voluit. Quanto plures enim Imperio suo subiectos habent, tanto plures exemplo, auctoritate, potestateq; sua adducere possunt ad salutem; & ideò plurimùm de Principũ pietate, passim omnes Ecclesiæ Dei gratulantur, passimq; lætantur: quia non de solis, sed de multis lætantur: iustam vt habere caussam videaris, tam prolixæ, tamq; amicissimæ gratulationis, quam in tua illa ple-

na grauitatis epistola expressisti.

Nam quod ad pietatem & religionem Serenis. Regis nostri attinet; nihil hoc vno Principe cogitari potest constantius: nil in augenda & conseruanda ea fide feruentius, quam à Christo & Apostolis acceptam docuit & docet vna Sancta, Catholica, Apostolica, Romana Ecclesia: pro qua caput suum omnibus periculis obijcere, mortem etiam oppetere non dubitaret, si per eam subditorum salutem repræsentari posse videret: idq; etiam fronte, vultu, oculis, præ se ferre nunquam intermittit: non eorum more apud quos, vt ait Tertullianus, est furtiua signatio, trepida gratulatio, muta benedictio: quos neq; calidos, neq; frigidos, sed tepidos diuina scriptura pronunciat: verũ ad eum planè modum, quem se quoq; secutum esse Rex & Propheta gloriatur. Confitebor tibi Domine in Ecclesia magna, in populo graui laudabo te: & quem Seruator ipse nobis omnibus præscripsit. Qui me cõfessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre Cælesti. Idq; tanto feruore facit, maiorem vt ex ea re voluptatem capere videatur, quod occasionẽ adeptus sit, bene de Ecclesia merẽdi; immo vero quod dignus habitus sit, qui membrũ

fieret, vnius Sanctæ Catholicæ, Apostolicæ, Romanæ Ecclesiæ: quàm in terris, in tam patenti, potentiq; Regno regnare. Vias etiam omnes, & rationes, & modos, omni diligentia contentioneq; persequitur, quibus perficere poscit; vt subiecti imperio suo populi, eam quam ipse tenet Ecclesiæ Catholicæ fidem & religionem teneant: nec vlla sint in Regno suo schismata. Ex hoc fonte saluberrima illa Maiestatis suæ consilia ortum acceperunt, de nouis Collegiis & Seminariis in Polonia, Lituania, Liuonia, Transyluania erigēdis; de accersendis optimis quibusq; & doctissimis viris; de ornandis & augendis Catholicis; de maiorum moribus & institutis partim conseruãdis, partim quasi postlimimò reuocandis. Ordinē Ecclesiasticum non vulgari illo more, sed præcipuo quodam honore, & beneuolentia prosequitur: illudq; ante omnia laborat, vt quæ sunt Dei, Deo; quæ Cæsaris, Cæsari reddantur, Vnde factum est, vt Ecclesiastico Ordini pristinæ vitæ, & pacis, ac tranquillitatis consuetudinem, Hæreticorū audacia penè interclusam aperuisse; atq; ad bene de tota re Ecclesiastica sperandum, quasi signum quoddam sustulisse videatur. Iustitiæ & æquitatis non solum est amicus,

ſed etiam amator. Leges patrias non patitur eſſe telis aranearum perſimiles, in quas ſi culex paruulus, vel exigua muſca inciderit, teneatur: ſi veſpa grandior, & telam laceret, & ſe periculis omnibus eximat. Facilis eſt in audiendo: lenis in diſcernendo: in ſatisfaciendo diligens: Cùm quid ſtatuẽdum eſt, differt: cùm conſtitutum eſt, vt in rem conferatur, accelerat. Pauperis & pupilii, & viduæ præcipuam rationem habendam exiſtimat; potentis perſonam non accipit. Sed ſicut ſcriptura loquitur: Iudicat in Iuſtitia pauperes. Supplicantium verba; non manus, & ſarcinas reſpicit: cauſſam, non munera venientis attendit; & eos præcipuè in conſpectum ſuum admittit: quos laſſos & fatigatos, non ſuffarcinatos videt. Ita etiam & audit & exaudit; Vt gloriari poſsint, non quod Regi & Domino ſuo curioſa quæq; & pretioſa orbis terrarum munera attulerint; ſed quod ſua recuperauerint: quod opprimentis poteſtatem excuſſerint: quod pacẽ Regibus, quietem Eccleſiis, auxilium afflictis, impetrauerint. Sentit oppreſſor, cùm clamat oppreſſus; nec ſuperbit impius, cùm incenditur pauper. Sic ſe deniq; omnibus in rebus adhibet, nulla vt alia poteſtas, ab iis, quibus præeſt deſyde-

ſyderari videatur. Cùm enim cæteros omnes vincat eius quam ſuſtinet dignitatis & authoritatis magnitudine; vincit etiam artificio beneuolentiæ colligendæ: nec vllum præſidium ad Regni ſui ſalutem, ei præſidio quod in amore ciuium conſiſtit, anteponẽdum putat. Timet timeri; ſcit amorẽ amore, arma armis irritari; illudq́; quotidiè in oculis ferre videtur; Quod prudentis opus eſt, cum poſsit, nolle nocere: quod ſtulti proprium, non poſſe, & velle nocere.

Sic enim ſubiectis ſibi populis imperat; vt ipſos de ſe, non ſe de ipſis creſcere ditariq́;, & eſſe quam beatiſsimos cupiat; nec vllius inopiam Regia ſua velit excluſam.

Facilè ignoſcit; tardius vindicat: & hanc ipſam vindictam, pro neceſsitate tuendæ rẽ gendæq́; Reip. non pro ſaturandis inimiciarum odiis exercet. Veniam autem non ad impunitatẽ inquitatis, ſed ad ſpem correctionis indulget; & ſi quid aſperius cogitur aliquando decernere, miſericordiæ lenitate, beneficiorumq́; crebritate compenſat. Luxuria quoq; tanto eſt illi caſtigatior, quanto poſſet eſſe liberior; mauult enim cupiditatibus prauis, quam quibuſlibet gentibus & populis imperare. Scit difficile non eſſe cæteros in officio poteſtateq́; continere, ei

re, ei qui in sua potestate esset. Aditum ad summos honores nullius vult virtuti præclusum; sed omnium pietati & industriæ patere debere existimat omnes in suo Regno dignitatis & honorum gradus. De cæteris optimi Regis laudibus, de Prudẽtia, Temperantia, animiq; magnitudine difficilè est omnia isto loco memorare. Fasces istos, & secures, & ista quæ gerit sceptra, Regię potius authoritatis insignia, quam potestatis & crudelitatis instrumenta putat; istas etiam opes, & vitæ dignitatisq; præsidia cæteraq; fortunæ munera, quibus abundat, magis audit sua esse, quam sentit. In domum, gazamq; Regiam, non in animum; quicquid fiscum auxerit, recipit. Aulæ suæ Regiæ, longè quam ante grauiorem & constantiorem esse disciplinam voluit: neq; enim in illam ociosis & inertibus, sed aut armorum, aut librorum studiosis & amatoribus accessum aperiendum putauit: memor illius quod Bernardus admonet: Claustra & monasteria omnes debent recipere; vt posint omnes bonos facere: Curia vero bonos tantũ debet admittere, quia facere nescit. Quod enim operęprecium in Repub. afferret optimi Regis sapientia, vbi sententia præualeret eius ministrorum, longè quam ille aliter

ter ſententium? aut quis poſſet eſſe fructus meditati, prudentiſq; conſilij, ſi ratio exequendi eorum eſſet curæ fideiq; commẽdata, qui vitæ ſuæ rationes priuatis ſuis commodis & vtilitatibus metiuntur? Tam profectò inutilis & ſuperuacanea eſſet optimi Regis pietas, ab improbis miniſtris & executoribus obſeſſa; quam minimè tuta eſſet vnius hominis ſanitas, à vicino venenatoq; ſerpente circumdata: imò verò ſatius eſſe quidam exiſtimant, corrupto deprauatoq; Rege; miniſtros & conſiliarios eius in aliqua virtutis ſapientiæq; parte conſiſtere: quàm illo ſano & intelligente, iſtos deſipere, atque inſanire. Sicut in illo Beneuolo optimo, & ſapientiſsimo ſcriptore, & Cancellario videre licet: de quo in Eccleſiaſticis annalibus legimus. Neq; enim dicere poſſumus hominem ſanum, cuius latera malè ſunt affecta: nec eum Principem nomine Prudentiæ commendare cuius latera miniſtris impobis innittuntur. Quo factum eſt vt id Maieſtas eius aſſecuta videatur, quod magna ſæpe deſyderãt faſtigia; quodq; omnia poſsidentibus deeſſe plerumq; conſueuit; homines videlicet, qui verum dicant: quæq; ſectè ſentiunt, & liberè & libenter ſuis principibus aperiant. Orbem olim vniuer-

uersum, sicut alicubi legimus, Imperio suo subiectum Augustus habebat: alterum tamen Arippam, & alterum Męcenatem habere non poterat. Adeò fuit difficilè inter tot hominum millia saltem reperire duos, qui vera suis Principibus liberè libenterq; dicerent.

Iam verò de laudibus bellicis, si vellem omnia sigillatim recēsere; periculum esset, ne cuiquam ficta potius, quam facta videantur. Hoc indubitatum esse res ipsa loquitur: quod statim vt fortissimus Rex, armatus in aciem prodiit, Basilij Magni Moscorum Ducis, hostis sui, animum, immanitate barbarum, varietate leuissimum, perfidia periculosissimū perdomuit: vastissimasq; prouincias & munitissima castra minimo suo incommodo, ex illius potestate eripuit: quaq; tulit impetum, victorias & triumphos reportauit; tantumq; ad extremum ista sua fortitudine perfecit: vt cum antea Moschorum gladij, ab inferenda Litraniæ vastitate, partim obiectu fluminū, partim densitate syluarū, partim paludibus prohiberentur: etiā si nūc amnes aruissent, syluæ deflagrassent; paludes desiccassent; nō naturæ præsidijs, sed sola rerū gestarum gloria, Poloniam tutā munitamq; haberemus.

Pugna-

Pugnarũt quidẽ cum Moſcho, alij quoq; Poloniæ noſtræ Reges,ſed poſt illorum pugnas pugnauimus,poſt pugnam Regis STEPHANI vicimus. Illi fecerunt, iſte bellum ſuſtulit: ac illam gentis prouinciæq; noſtrę notam, quaſi muris atq; lapidibus deſtituti ſimus, re & veritate refutauit. Oſtendit enim omnibus,quod Polonia noſtra ibi muros habet, vbi muros non habet. Muri nãq; Regni Poloniæ arma ſunt; nec eſſe quicquã difficilius,quàm iſtius muri ſoliditatẽ perrumpere,aut armatæ nobilitatis latera hoſtili gladio confodere.

Militarem quoq; illam maiorum noſtrorum diſciplinam, & exercitationem, non ſolum in acie,verumetiam domi ita reſtituti: vt exiſtimari debeat; tam illuſtres victorias, non caſu fortunæq; munere, ſed propria virtute quæſiuiſſe.

Non patitur enim, vt milites ſui in bello primum atq; in acie armis vti incipiant: neq; manus & lacertos antequam neceſsitas poſtulet moueant: haſtaſq; & gladios, & lanceas exerant: ſed hanc præcipuam in ſumma quoq; Regni ſui pace, aulæ ſuæ occupationem eſſe vult, vt armis veluti natura cohærentes Satrapæ, nullas vnquam capiant bellicæ exercitationis inducias: ſed

tanquam in procinctu contra hostem positi, omnia belli incommoda ferre toleraq́; consuescant. Itaq́; eos quotidiana conflictus meditatione, vsuq; armorũ comparat atq; instituit: vt nõ modo corpora, sed animi quoq; militum fortiores & ardentiores in aciem prodeant: facilimeq́; prælia & difficultates omnes tolerent. Acutis sunt auribus ad præcepta; oculis ad signa; manibus ad opera: dare vulnera paratissimi sunt, accipere verò tardissimi: nec solum in fuga, verumetiam in fugę meditatione & consilio extremũ dedecus & ignominiam sitam putant. Seruos quoq; & familiares & ipsos quoq; calones, ita instructos & institutos habent, nil vt à pugnacissimis differãt: neq; peritia rei militaris, neq; etiam viribus à quoquam nisi à Dominis suis vincantur: mirum vt videri non debeat, tam potentes, tamq; remotas, tam potẽtis inimici prouincias in potestatem Deo dilecti STEPHANI tam celeriter concessisse: pluraq́; nos indies atq; maiora tum domi tum foris & sperare & expectare: ac penè etiam omnia (quo nomine tibi Christe sit sempiterna laus & gloria) ad eam spem parata videre.

Quod autem hominum voculas memoras quibus tantarum laudum gloria quasi

inquinari videtur; ad ea quoq; paucis respō debo: non vt diuisionis & dissensionis patrocinium suscipiam, quam ego religionum & sanctitatum pestem, & Rerumpub. excidium statuo: sed vt hoc quoq;, iusto, licet nobis occulto Dei iudicio accidisse videas: qui solus ex malis initiis fortunatos exitus producere; beneq; etiam non bonis vti consueuit. Vt omnino dicamus, ex animo, Manus Domini fecit hæc omnia: nec vnquam in filiis hominum, filiis graui corde, filiis diligentibus iniquitatem: sed potius spem & fiduciam nostrã repositam in eo habeamus; qui solus mari ventisq; imperare, praua directa facere, & aspera in vias planas exequare consueuit.

Quod enim propter diuisa dissecta Hæreticorum studia dissentientesq; de eligendo Rege sententias, el ectionis auctoritatẽ, & electi Regis dignitatem iminutam existimant: hi profectò de nobis nimis altè, nimisq; magnificè sentiũt: qui in tam patenti potentiq; Regno, in tanta electorũ multitudine, in tanta Nobilitatis numero, quæ non solum cogitationes, sed etiã verba & facta sua libera semper esse voluit, Interregni tẽpore, animis superiorum adhuc temporum licentia præsidentibus; tantam illam multitu-

titudinem, quæ centum equitum millia ſuperaſſe exiſtimatur, in contraria ſtudia, diſſentienteſq; ſententias ſcindi poſſe non putabant. Cuius rei cauſſam ſi nihilominus paulò curioſius inueſtigare voluerint; totidem planè verbis, importuniſsimus eorum quæſtionibus reſpondebimus, quibus Saluator noſter Iudæorum interrogationi, de ceco nato? reſpondit; Vt manifeſtetur glōria Dei. Longè enim illuſtrius in eo gloria Dei manifeſtatur; cum ex malis cauſsis, maliſq; initiis; effectus bonos fortunatoſq; exitus apparere videmus: quam ſi nulla omninò mala, nullaq; incommoda res & rationes humanas perturbarent.

Duodecim olim erant Apoſtoli, quos ad hoc ampliſsimum munus ipſe Dominus & elegit & vocauit: factam tamen eſſe inter eos contentionem legimus, quiſnam illorũ maior eſſet in Regno cælorum. Quid interceſſerit inter Abraham & Loth: inter Iacob & Eſau: inter Ioſeph & fratres eius; inter Saulem, & Dauidem: inter Dauidem & Abſalonem, ſacra ſcriptura memorat. Integras etiam Tribus & Prouincias, in diuerſas ſententias ſectas diſſectaſq; accepimus, Iuda & Iſrael, Roboam & Hyeroboam, Hieruſalẽ & Samariam; In decem millibus illis,

quæ contra Madian, Gedeon ille Dux admirabilis in aciem eduxit, quam quæſo te, cauſſam diuerſi diſſentientiſq; conſilij adferemus, quod alij quidem aquas, manu ad os proijcientes lambebant, omnis autem reliqua multitudo flexo poplite bibebat. Regi quoque, Deo chariſsimo Dauid, nonne alij quidem ludibundi occinebant, occidit Saul mille, & Dauid decem millia: Alij autem dicebāt. Quis eſt Dauid, & quis eſt filius Iſai? Filio quoq; Dauid, Salomoni Regi, nonne alij lætiſsimis fauſtiſsimiſq; vocibus acclamabant. Viuat Rex. Adonias autem frater, & qui cum eo ſentiebant, propter inuidiam à conſpectu eius fugiebant? Et hæc omnia illis temporibus, & ſæculis accidebant, cum Deus ipſe Reges eligebat, electos Prophetę vngebant, & editis miraculis confirmabant. Non eſt itaq;, quod nobis, in quos fines ſæculorum deuenerunt, diuiſionem & diſſenſionem obijciant, ſed eſt potius, quod ex animo plane Chriſtiano gratulentur, quod is ſit eius, quem videmus, diuiſionis & diſſenſionis exitus conſecutus. Gratior eſt poſt tempeſtatem, tranquillitas: poſt bellum, pax: poſt tenebras lux: poſt diuiſionem, vnio: poſt diſſenſionem, conſenſio: Acciderūt hæc omnia, ne diceremus. Noſtris viribus libe-

rati ſumus: ſed vt daremus gloriam Deo, cuius manus fecit hæc omnia.

Sed nil, aiunt, illa conditione cum qua Regni poſſeſsionem adijt, Religioni Chriſtianæ periculoſius cogitari poteſt; nil Chriſtiano, Catholico, & Orthodoxo Principe indignius, quod in Regno ſuo ius dedit ſceleri: quod Hæreticis, Chriſti Regumq́; ſuorum perduellibus impunitatem; quod quiduis credendi licentiam interpoſito iureiurando promiſit. Nil igitur erit illis quoque Regni Salomonis initijs tetrius, & abominabilius, quod à Patre Dauid ea lege & cōditione accepiſſe legitur, vt quamplurimos magni nominis viros occideret, quos etiam occidit, non ſolum Patris ſui inimicos, ſed etiam fratrem ſuum Adoniam: Dicit tamē eadem ſcriptura; quod, Dilexit Salomon Dominum ambulans in præceptis Dauidis patris ſui.

Iuſiurandum illud non fuit, impietatis fomentum; ſed infirmitatis lenimentum: non fuit infidelitatis nutrimentum; ſed longanimitatis argumentum: non fuit erroris iudicium; ſed patientiæ officium. Saluare volebat, quos viuere permittebat. Si Saulum Dominus cum in terram proſtrauiſſet, ſtatim occidiſſet; quanto Apoſtolo Eccleſia

Chri-

Christi caruisset? Si plectendi summo statim iure essent omnes omnium mortalium errores; quotus quisq; suppliciũ euaderet? Christianæ perfectionis est, Ait Aug. pacificum esse, etiam cum pacis inimicis, spe correctionis, non consensu malignitatis. Sciebat optimus Rex extrema supplicia, nõ nisi immedicabilibus sceleribus deberi : cum vt pereat, etiam pereũtis interest. Nulla quippe potestas, ad vltima exigenda supplicia peruenit, nisi quæ prius remedia cõsumpsit. Deus ipse quod vult cito construit, tardissimè vero destruit. Septem diebus totã istam cæli terræq; molem condidit, & vnam ciuitatem Niniue, nisi post exactos quadraginta dies euertere noluit. Ipse quoq; gentiliũ Poetarum fabulæ, vt homines humani sanuinis parsimoniam docerent, ne Ioui quidẽ suum consilium satis esse, nec nisi Aduocatis in Consilium Dijs, proijciendi fulminis liberam potestatem, permittere voluerunt.

Regem enim, etiam solum, prodesse omnibus oportere existimabant : nocere autẽ, aut extremis supplicijs afficere, non nisi, cũ pluribus expedire post omnia tentata remedia, ita visum esset. Rex quippe bonus, velut quidam Regni sui debet esse medicus : qui ægros suos dolentibus oculis aspicit, nec

 quic-

quicquam eorum furoribus & iniurijs dum ſanantur, commouetur. Conſilia eius debēt eſſe velut quædam medicina, quę non ſolum bonis, ſed etiam ſceleratis opem & auxiliū miniſtrat. Ius fori paſsim omnibus dicitur: pace Regni etiam homicidæ fruuntur. Sua apud iudices repetunt, etiam qui aliena rapuerunt. Legum præſidio qui plurimum in illas peccauerunt proteguntur. Murus publicus & percuſſores, & latrones, ab hoſtiū incurſu defendit. Hæc enim eiuſmodi & legum, & Regum beneficia non poſſunt bonis contingere, niſi darentur & malis. Satius eſt autem, & malis prodeſſe propter bonos, quā bonis deeſſe, propter malos. Quid, ſi quis ſurdos plectendos putaret, quod ſui principis imperia non audirent? Quid, ſi quis per agros: & deſerta viæ ignoratione oberrantes, expelleret potius quam in rectum iter deduceret? quid ſi pueros intemperantius caſtigaret, quod neglecta patris ſui voluntate ludibundi vagarentur? Quid ſi quis iraſceretur hominibus quod in tenebris ambulantes parū firma veſtigia ponerēt? Quid ſi quod ægrotant, ſeneſcunt, fatigantur, moriuntur? Ad hæc profectò humani generis incommoda non iraſcendum, ſed inſamendum eſſet. Magnus erat & electus atq; ſan-

ctificatus à Deo sacerdos Aaron, neque tamē repugnasse legitur dicenti populo: Surge, fac nobis Deos qui nos præcedant; sed inaures tãtum filiorum filiarumq́; petijsse: quas formauit opere fusorio. & fecit ex eis vitulum conflatilem. & cum obiurgaretur à Moise, quod induxerit super eum peccatum maximum. Nosti, inquit, populum istum, quod pronus sit ad malum. Gedeon quoque etiamsi iussus esset à Domino aram Baal: & nemus vicinum succidere, timens tamen domum patris sui, & homines illius Ciuitatis per diem noluit facere, sed omnia noctę compleuit, Lento, ait ille, minimèq́; pręcipiti remedio opus est, contra mala conticinua & fœcunda: non vt illicò desinant, sed ne quando vincant. Quod in isto toto confœderationis negotio piẽtissimum Regem spectasse existimant. Tam enim fuit semper amans suorum subditorum, tamq́; benigna natura omnium Regum nostrorum; vt, cum cæteri noua quotidie subditis suis imponãt onera: illi quotidie nouis donent exẽptionibus & libertatibus.

Nisi quòd Rex optimus nullum prorsus remedij genus, nullam medicinæ speciem & occasionem prætermittit: qua possit in Regno suo perficere; vt saluis hominibus, ho-

minum errores interire queant. Hinc illa, de quibus, iam diximus, præsidia; Collegia, Societates, Conciones, Libri, cæteraq́; pietatis & charitatis instrumenta, per quæ subiecti sibi populi, prius docerentur, quam terrerentur; initium acceperunt. Si enim terrerentur, & non docerentur; improba quasi dominatione, sicut ait Augustinus, premi viderentur: sed rursus, si docerentur, & non terrerentur; vetustate consuetudinis obdurati, ad capessendam viam salutis pigrius mouerentur. Sic porrò fiet, vt non solum tenebras erroris, lux veritatis expellat: verum etiam malæ consuetudinis exẽpla vis timoris abrumpat. Omnia tempus habent, inquit Ecclesiastes, & suis spatijs transeunt vniuersa sub cælo. Tempus nascendi, tempus moriendi; & tempus occidẽdi, & tempus sanandi, tempus destruendi, & tempus ædificandi; tempus scindendi, & tempus consuendi. Vir enim sapiens non solet se offerre vllis temeritatibus; nec vnquam inanitatis consilia suscipit: superuacuè non laborat, nec operam suam rebus nõ profuturis impendit. Ne vlcus quidem putridum, antequam suo quodam modo maturescat, manu medici tangitur. Simile est illud Hieremiæ cõsilium, quod apud Baruch legi-

legimus. Cum enim in vniuersa Babylone, Dij aurei, argentei, lapidei, & lignei colerentur; non iubet Propheta vt filij Israel, veri Dei cultores, Idola Babylonorum deturbent atque comminuant. Id enim consilium illi tempori minimè consentaneum videbatur. Sed ait. Visa turba de retrò, & ab ante adorante Idola, dicite in cordibus vestris. Te oportet adorari Domine.

Mansuetè, ait ille, tractanda sunt immansueta: citò namq; vel naturam vel feritatem deponunt? recte vt dixerit ille sapiens. Cedere qui potuit, prodesse aliquando valebit. Quod autem attinet ad illos, qui pelli suæ per istam Confœderationem prospectum voluerunt; equidem non dubito non pacem illos in isto suo consilio, sed impunitatem cupiditatibus suis quæsiuisse: non concordiam in Regno constitutam, quæ nulla inter dissidentes esse potest; sed nequitiam suam esse tutam securamq; voluisse. Cæterum & hoc quoq; argumentum & quasi gradum quendam esse statuo, ad eius in quo versantur erroris & impietatis detestationem. Nam qui pœnam timet, eamq; etiam à capite suo quantum potest auertit: pœnam vtiq; sibi deberi intelligit. quod non intelligit is qui culpam suam non agnoscit,

neq; se versari in errore sentit. Potest enim aliquis pœnam sine, culpa sustinere: in culpa autem esse, & pœnam non timere, nemo potest. Potest aliquis pedes mouere, & non currere: currere autem; & pedes non mouere, non potest. Potest in aqua esse, & non natare: Natare autem; & in aqua non esse, nemo potest. Intelligunt proculdubio culpam suam ij, qui vitam suam Cōfœderationis huius præsidio munire voluerunt: & cū timida sit malitia, vt debitas pœnas effugerent; nil intentatum, nil non labefactatum, nullas maiorū nostrorum leges saluas, nullas Confœderationes inuiolatas reliquerunt: imma quoque summis, flammas vndis miscuissent; modo nequitiam suam, non solum periculo, sed etiam periculi metu eximere potuissent. Sed eueniet illis, vt spero, quod auiculis, quæ quanto magis viscum trepidantes, excutiunt; tanto se magis visco illiniunt: vel etiam quod agrestibus feris; quæ laqueos dum excutiunt, astringunt. Talium infirmitas, ait Augustinus, sustinenda est; donec firmi efficiantur, non desperanda: adiungenda est terrori vtili, salutaris doctrina; nec obliuiscendū, quod ipse Dominus, infirmo adhuc Petro ait. Nō potes me sequi modo; sequeris autē postea.

For-

Fortaſſe etiam non deſunt in patria noſtra, ex ijs qui Catholicam reliquerunt; quibus Eccleſia etſi adhuc victa non videtur, nondum tamen etiam victrix apparet, cordati quidam & intelligentes viri, quos tantorum errorum, tantarum blaſphemiarum, & abominationum piget, pudetque. qui ſeſe cuperent legitimæ poteſtatis auctoritate, quodammodo compelli; ad eam fidei doctrinam audiendam; quam auditam nō recipere quidem poſſent, damnare certè non poſſent. Nam & vlcera quædam, manus violentas quibus lacerentur, appetunt: tactu & frictione gaudent; & quicquid exaſperat, delectat. Fit etiam non rarò, quod multorum in virtute profectus vitioſa quædam verecundia, vel oppreſsit, vel ſaltem retardauit.

Nec eſt quod mireris genus hoc remedij, quod in iſta Confœderatione poſitum arbitrantur, nullum adhuc inſigne remedium, rebus inclinatis attuliſſe: &, vel nullos, vel omnino paucos iſto benignitatis clementiæq; genere ad Eccleſiam reuocatos extitiſſe. Non enim profectò miraberis, ſi in mentem reuocaueris; quàm longo tempore, quàm exquiſita cura, quàm magnis viribus, quàm diuerſis artibus opus eſt; vt perſua-

ſuadeatur ſuperbis, quantā ſit virtus humilitatis: vt perſuadeatur cœcis, quanta ſit gratia lucis: vt perſuadeatur ebrijs, quanta ſit virtus ſobrietatis. Alta & erecta ceruix, qualis Hæreticorum eſt, ait Cyprianus; nec quia cecidit inflexa eſt: Tumens animus & ſuperbus, nec quia victus eſt; fractus eſt. Iacens ſtantibus, & integris vulneratus minatur: & ſacerdotibus ſacrilegus iraſcitur. Quod ſi deinceps etiam, quod nomen Deus omnipotens obruat, non ita magnos quam vellemus, quamq; Eccleſiæ Dei expedit, fructus conſequi contingeret: & hoc quoque mirari deſines; ſi memineris, quod ex maſculis Eunuchi fiunt, ex Eunuchis maſculi non fiunt. Nam & Aethiopem quicumque inuitat ad balneum; & ſi nigredinem non auferat illi; pecuniam tamen acquirit ſibi; licet in illius candore non gaudeat, ſaltem tamen in ſuo lucro lætatur. Et ſicut, cãtatio ſuam quandam hilaritatem habet; etiam ſi is ad ſaltum membra ſua non moueat, cui pleno gaudio cantatur; Ita ſuum præmium ſuamq; laudem habet admonitio, etiamſi is qui monetur, non corrigatur. Sicut in Euangelio quoque legimus; ſi, qui docetur, qui mouetur, qui terretur, non fuerit filius pacis; pax veſtra ad vos reuertetur.

Non

Non ideo, ait Auguſtinus negligenda eſt medicina, quia nonnullorum eſt inſanabilis peſtilentia. Sed ego mihi de miſericordia Dei prolixè polliceor, futurum; quod futurum prædicebat B. Auguſtinus de lachrimis, & precibus B. Monicæ, quas pro filij ſalute quotidie effundebat; fieri non poſſe vt tantarum lachrimarum, tantorum laborum, tantarum curarum, & ſollicitudinum quas Sereniſsimus, & potentiſsimus Rex pro Regni ſua ſalute, ſine vlla recuſatione vel laboris, vel difficultatis ſuſcipit, fructus aliquando pereāt. Hæc ad te de laudibus Sere: Regis noſtri, pauca de multis eſſe perſcribenda putaui: tum vt nobiſcum ſimul Deo gratias agere ne deſinas: quod in hac prope depoſita Reip. Chriſtianæ parte, talem ac tantum Regem prouidere dignatus eſt: tum vt mea quoque propugnatio, ei Regi & Domino ne defuiſſe videatur, qui patriæ noſtræ, vel potius toti Reip. Chriſtianæ contra crucis & Eccleſiæ Chriſti inimicos non defuit. Rogemus inuicem Dominum, vt illi det vitam; quam meretur: & conſeruet animum; quem dedit. Speramus nos cito maiorum noſtrorum fore ſimiles; quos vno eodemq; corde & ore pie Deum coluiſſe conſtat: Eorum vero conſilia diſiecta diſsipataq; iri;

in

in quorum ſtudijs & contentionibus, nil aliud quam aut legum aut Regum interitus oſtenditur. Tales enim ſunt iſtorum hæreticorum mores, tam peruerſa plenaq́; furoribus & erroribus conſilia, vt quicunq; eos nouerint, vel viderint, facile intelligant, nonniſi grande aliquod bonum ab illis oppugnari. Optandum vt eſſe videatur, vt cū iſtis ſuis ſtudijs, & conſilijs tam impijs, tam ridiculis, in eas oras aliquando deportentur, vbi cadentes ſpongiæ franguntur, vitra non franguntur. Nō enim verebor, ne apud te iſta ætate, pietate, grauitate, auctoritate virum, in re tam graui ſeriaq́; minus intempeſtiuè iocari; rídereq́; videamur. Cógruit, ait de Tertullianus, veritati ridere, quia leta eſt: æmulis ſuis ludere, quia ſecura eſt. Multa ridendo poſſunt reuinci, ne grauitate adorentur, nec debet riſus videri, ſi fuerit dignus: nam vbi dignus riſus, officium eſt ridere. Bene vale; & nos quod facis, ama; nec amare deſine. Nos verò cum ad vrbem venerimus, nil reliqui ad omnem celeritatem faciemus; quominus tuum illud pectus plenum Chriſtianæ pietatis, plenum ſapientiæ, & intellectus; tuam illam manum, totius ordinis diſciplinæq́; Eccleſiaſticæ reſtauratricem, ſuauiſsimè exoſculemur. Interim autem

tem per eum, quem in omni vita tua piè coluisti, saluatorem nostrũ, etiam atq; etiam abs te peto, vt cum ad altare Domini steteris, cum illi cordis tui sanguinem per lachrimas ex oculis defluentes sacrificaueris; Regis quoq; nostri STEPHANI, Rescijq; peccatoris, meminisse velis; vt antequam moriar, moriantur in me vitia: cumq; tibi ab illo iustissimo viuorum mortuorumq; iudice Christo Regni cœlestis gloria tribuetur, mihi saltem peccatorum meorum venia cõcedatur. Datum Cracouiæ Kal. Iulij. Anno 1583.

DOCTOR MARTINVS NAVARRVS.

STANISLAO RESCIO.

Epistola IIII.



RATIAS in primis ago, Deo opt. max. tibiq; seruo eius fideli, Dominoq; meo amantissimo, quod tot terræ marisq; spacia non extinxerunt tuam

tuam erga me charitatem: quo memoria mei de tua mente decideret: & tanto quidem id magis facio, quò me ſeniorem & ſarcophago propiorem, ideoq; tuis obſequijs inutiliorem, agnoſco. Humana enim prudẽtia viri, ſolem orientem magis, quam occidentem adorare ſoliti ſunt. Tantoq; item magis id ſuſpicio, quo duas epiſtolas, charitate, prudentia, humanitate, ſapientia, & elegantia pleniſsimas, intra breuis temporis ſpacium, e longiſsimo loco ad me ſcripſiſti. priorem quidem, precioſo ſenibuſq; commodiſsimo, decade calculorum precatoriorum ex ſuccino munere auctum: poſteriorem, vero laudibus Regis tui, omnium quos terra colit potentiſsimi, & in hoſtes D. N. Ieſu Chriſti, bellatoris potentiſsimi, triumphatoriſq; maximi, digniſſimiq;, vt ab omnibus Chriſticolis, diligatur, colatur, & dulia egregia honoretur, & ſuſpiciatur, ornatiſſimum. Ad quas quidem nullam parem me poſſe reddere agnoſco, maximis præſertim occupationibus præpeditus, cum mea infantia, eademq; barbara, præ tua vberrima eademq; perpolita dictione reſplendenti tenebreſcat, & ſordeſcat. Vtrique tamen vel ſingulo verbo, quam breuiſſimè reſpondebo. Priori quidem, prædictos calculos

prę-

præcatorios adeò mihi gratos fuisse; vt collo meo macro & fœdo eos statim ornamentum fecerim; ea mente, vt sint mihi signum & cathena, qua me tibi dum vita manebit vinctum esse meminerim. Posteriori verò, quòd dum per ocium licuerit legam atque relegam tanti Regis, tantumq; triumphantis, & tanta in D. Iesum Christum pietate, resplendentes laudes amplissimas, adeò graphicè scriptas: simul cognoscere queã, ad quem modũ Reges & Principes, populos suos Christianos regere debeãt & gubernare. in diesq; magis coner facere, quod mihi iubes: nempè, vt quam humillimè, quamq; deuotissimè potero, supplex orem & flagitem altissimum Dominum, vt ex cœlis quos inhabitat, altissimis; & ex terris, quas replet, humillimus, inspiret vt semper de vultu eius tanti Regis prodeat iudicium. & det ei secundum cor suum, & omne consiliũ eius confirmet, simulq; mittat eidem, & tibi ei deuotissimo, Domino meo quàm colendissimo auxilium de sancto. & de Syon tuetur vos, sibi supremo illo gratiæ gratum facientis dono, in hoc misero sæculo: acturus post annos Nestoreos in altera gloria illa æterna, quã nemo viator vidit, nec satis audiẽdo intellexit, nec corde concepit. vbi vos ambos

bos ex propinquo Virgini Matri aſſidentes, eius precibus, & fauore, ex aliquo cæli Empirei angulo vel è longinquo per miſericordiam D.N.Ieſu Chriſti cernere mihi liceat. Amen. Romæ 8. Kal.Octob.83.

MARTINO CROMERO COADIVTORI VARMIENSI.

Epiſtola V.

NON committam, vt ex aliorum potiùs, quàm ex meis litteris R.D.V. voluptatem accipiat, quibus illam facio certiorem, de ſingulari quadam minimeq; expectata Gregogij Pont. in Illuſtriſs. Card. noſtrum HOSIVM voluntate: quam ſemper ille quidem ab ipſis vſq; concilij Tridentini temporibus, quod his noſtris oculis vidimus, eximiam oſtendit: ſed hoc ſuo fæliciſſimo tempore orbi etiam Chriſtiano teſtatum eſſe voluit vniuerſo.

Dum

Dum Cardinalis apud ſpecum S. Benedi-ᴇti Sublacẽſem. Deo & ſibi viuit, Vrbanoſq́; calores, valetudinis ſuæ inimicos, vt frangantur expectat: accurrit ex Vrbe Nuntius cum literis Pontificis, quibùs illi, omnium, quæ habet Eccleſia Romana ampliſsimum maioris Pœnitẽtiarij munus deferebat: atque etiam vt ne refutaret hortabatur. Hæſit lectis illis Cardinalis, quaſi cuiuſdam prodigij loco ducens, quòd ampliſsimi cura muneris nepotibus chariſsiuis præteritis, homini vltra Alpes nato, ſed ne ambienti quidem mandaretur: nec aliud miſſo Nuntio tum reſpondit, quàm ſe de tanta tamq; inopinata re, diligentiùs deliberaturum: & poſt dies aliquot ad literas ſuæ Sanctitatis reſponſum dæturum, qualecunque tandem Dominus inſpiraſſet, earum creator & redemptor animarum quarũ ſibi cura a Chriſti Vicario maudabatur: euocatoq́; ad ſe Nicolao Sandero, & Alano Copo Theologis Anglis, multa & ampliter & copioſè diſſeruit, de muneris quod offerebatur difficultate, periculorumq́; mole maxima, quæ ex eo incõſideratius adminiſtrato deriuantur. Satis iam expertũ ſe eſſe in Epiſcopatu ſuo Varmienſi, nullam eſſe arcem difficiliorem, quam hominem regere. Intimos autẽ men-

tis receſſus ſcrutari, omnes animi latebras pernoſcere, incluſa medullis conſilia peruidere, deq́; eo quod ita difficulter peruideris, rectè prætereà iudicare, lepram à lepra incorrupto iudicio ita internoſcere; vt nec ad dextram nec ad ſiniſtram vlla fiat inclinatio, rem diuini plenam conſilij, mentisq́; munus altæ, & nō niſi cœleſtibus opibus inſtructi hominis officium dicebat. Nam ſi in lepra corporali, his noſtris oculis ſubiecta, tanta ineſt diſcernendi difficultas, vt ſolis ſacerdotibus huius iudicij facultatem Dominus permitteret: profectò ſupra humanā conditionem eſſe debebunt, illi, qui lepram animæ ſoli Deo rectè notam iudicabunt, illiusq́; ſuſcepturi ſint curationem. Scio, ait, quod ſententiā Petri ſequitur ſententia cœli, ſcio fore ligata in cœlis, quæ ligamus in terris, fore ſoluta quæ ſoluimus: at qui ſumus nos, vt ſperare debeamus quod ſicut illis, ita nobis Dominus ſoluenda ligandaq́; reuelabit, vt iuſtum ſemper iudicium iudicemus? Id ſcilicet mihi ad cōſcientiæ meę miſerias defuit, vt niſi in alienis eluendis ſordibus fuero vigilantiſsimus, proprij mihi capitis ſubeundū ſit periculum. Aetatem præterea ſuam, ita iam eſſe ad occaſum inclinatam, ita fractas vigiliis & ſtudijs vires,

ftomachiq; robur detritum, vt valde dubitaret, an peccata populorum comedens, sicut loquitur scriptura, cōcoquere ea in hac sua ætate posſit decrepita. Commemorabat illius quoq; Pœnitētiarij factum indignum, quod Theodosij tēpore sub Nectario Patriarcha Coſtātinopolitano accidit, & nonnulla alia in Ecclesia Dei propterea suſcitata scādala: quod carne suadēte & sanguine, soluēda quandoq; ligarentur, & liganda soluerētur.


Quò magis sibi faciendum arbitrabatur, vt iuxta Euangelicū consilium, ſedens prius computaret ſumptus, qui neceſſarij ſunt; ſi habeat ad perficiēdum, ne poſteaquam poſuerit fundamentum, & non potuerit perficere, omnes qui vident incipiant ei illudere dicenres. Hic homo cœpit ædificare & non potuit conſumare. Cum pleraq; in hanc ſententiam dixiſſet Cardinalis. Negari, ait Sanderus, non poteſt, magnum eſſe munus, ſed nec HOSIVS paruus eſt: magnum eſſe quod præcipitur; ſed nec paruum eſſe qui præcipit: dubium eſſe debere nemini: daturum eum ſuſtinendi muneris facultatem, qui Vicario ſuo, conferendi inſpirauit voluntatē. Ad hæc Cardinalis. Scio paratiorē eſſe Deū ad dandum, quam nos ad petēdum, ſed vtinam obijcem nō poneremus: & his dictis in

Oratorium ſeceſsit, vnde paulo poſt dolentibus & rubentibus exiens oculis, in Vrbem è ſuis vnum ſubito expediuit, qui totũ hoc negocium piorum precibus & ſacrificijs diligentiſsimè commendaret: cui ego quoq; has ad R. D. V. perferendas ſine mora literas dedi, ne quid ſit rerum noſtrarum, quod ignoret. Scribitur & hoc quod pleriq; Cardinales egerunt Sanctitati ſuæ gratias, de tam bene collocata dignitate, quæ ad ſuum priſtinum ſplendorem magnam eſſet ex Hoſij laudibus lucis acceſsionem acceptura. Ad hæc Pontifex, Talem, inquit, huic præficiendo muneri quęſiuimus qui propriis peccatis, quam minimum grauaretur, vt expeditius aliena corrigeret. Quidquid deinceps conſecutum fuerit, faciam R.D.V. certiorem, Datum Sublaci Kal. Auguſti 1572.

HIERONYMVS OROSIVS.

STANISLAO RESCIO.

Epiſtola VI.



ITTERAS Cardinalis Varmienſis cum tuis ſimul accepi, quæ me duplici gaudio cumularunt: Cardinali

nali enim, viro & eruditionis præstantia & virtutis splẽdore clarissimo, multis abhinc annis & famæ celebritate, & illius benignitate permotus, ita deuinctus sum, vt vix quidquã arctiùs & adstrictius cogitari possit. Quamuis enim illum minimè vnquã viderim, mente tamen speciem sapientiæ, & probitatis, quæ in illo mirabiliter elucet animo, cum admiratione quadam perspicio, ita vt necesse sit, in me, & in omnibus qui verissimum decus expetunt, summum in illum amorem excitari. Omnia igitur ab illo mihi gratissima contingant opus est. Itaque si solum illius ad me literæ peruenissent, eximiam mihi voluptatem attulissent. Cũ verò sese literæ tuæ in illarum societatem obtulissent, non mediocris facta est ad lætitiam, qua sum expletus, accessio. Epistola namq; tua me in tui studium incredibiliter excitauit. Ferreus namque essem, si non tam insignis elegantia, & tam propẽsa in me voluntas, animum meum in tui amorem vehementer incendisset: sed aliud accessit, quod me multò magis ad te amandum alliceret. Quid illud inquies? amor ille singularis, quo te clarissimum virum amare, & ab illo vicissim non mediocri amore diligi, ex tuis literis intellexi. Cum illum igitur quem tu tam

insigni caritate complecteris, omni obseruantia & pietate, colendum suscipiam, fieri non potest, quin me libentisimè ad eorum studium cōferam, quos amicitia sua dignissimos esse iudicauerit. Nec enim sibi amicos esse volet, nisi eos, quibus maximas virtutes charissimas esse viderit. Quare velim tibi persuadeas, te mihi fore charissimum. Atque vtinam mihi licitū fuisset, in illis locis versari, in quibus tua & aliorum, qui simili morum elegantia præcellunt, humanitate frui possem. Sed quando id non est datum, cum tanta locorum longinquitate disiuncti sumus, demus saltem operam, vt animorum cōiunctione, & literarum crebritate, beneuolentiæ magnitudinē testificemur. In eo verò, quod ais, tibi libros de Regis institutione mirificè placuisse, valdè lætor. Nam cum omnibus qui opera sua in lucem edere volunt, sit euentus valde metuendus, & ea de caussa solliciti simus, quod nam futurum sit doctorum hominum iudicium, ea cura facillimè leuatur, cum illorū iudicium consequimur, quos omni laude eruditissimos arbitramur. Non igitur mediocri me voluptate perfudisti, cum librū illum, & reliquos, qui in manus hominum peruenerūt, tuo iudicio comprobari significasti. Multa qui-

quidem ſunt apud me, quæ cupio ſimiliter edere: ſed multa ſunt impedimento, quo minus id, quod iamdudum conor, efficiã. Nam primũ quidem regio hæc, cui præfectus ſum, ſuo more ac conſuetudine, tantum abhorret a literis, quantum extremi Garamantes ab Helicone diſsident. Ea autẽ eſt partim montana, partim maritima; ſi me ad mõtes confero, ruſticanis hominibus ſunt aures aſsidue præbendæ, ſi ad oras maritimas redeo, cum mercatorũ auaritia ſunt nobis manus perpetuò conſerendæ. Adde nunc Maurorũ, & Turcarum incurſiones, adde pyratarum immanitatem, & alia incõmoda quæ me frequenter a ſtudijs abducunt. Accedit poſtremò onus huius Eccleſiæ moderandæ: cui eſt interdum neceſſariò ſuccumbendum. Sacra enim ſunt ritè facienda, diœceſis ſummo cũ labore peragẽda, flagitiorum radices euellendæ, mores optimi conſerendi, multaq; alia ſuſcipienda, quæ non poſſumus propter virium imbecillitatem ſuſtinere. Quis igitur in tantis incommodis animum poterit æſtu negociorum, & barbaræ conſuetudinis abſorptum colligere, & ad intermiſſa lõgiſſimo interuallo ſtudia reuocare? Quamuis tamen his curis omnibus oppreſsi ſumus, dabimus operam vt ad ea nos tandem refe-

ramus. Nos ama vt cœpiſti, nos te viciſsim amamus. Vale. Datum Villa noua Portimanenſi .1 5 7 3.

S T A N I S L A O
SOCOLOVIO FORTISSIMI REGIS STEPHANI, doctiſsimo Theologo.

Epiſtola V I I.



O Ambitioſum hominẽ: Verbũ Dei, ais, Cracouia Margeburgam me pertraxit. At ego dico; Tu verbum Dei, te pertraxit ambitio. Miſerũ hominem: quid enim præcipuè tibi vitandum erat? Turba. Scis proculdubio quã ſit inimica virtutis ſtudioſis, & optimarum literarum amatoribus, multorum hominum cõuerſatio. Oculos ſibi quidem eruiſſe memorantur, vt nil aliud quàm ſeipſos noſſe, tantò facilius diſcerent; quantò minus eſſent ad colendas hominũ ſocietates idonei. Illud etiam non ignoras, quem animum plerumq; habere ſoleant, qui ſuperbiſsimis magnorum Principum aſsidere liminibus conſue-

ſueuerunt: quibus ſi te ſemel adiunxeris; vel imiteris eos neceſſe eſt, vel oderis. Vtrumq; autem intelligentes viri, ſacerdoti pio fugiendum exiſtimant: ne vel ijs ſimilis efficiatur; qui tempus ſuum in ſtudijs inanitatis contriuerunt; quia multis ſunt: vel multorum odia ſibi & inimicitias cōparet, quia in vitę rationibus diſsimiles ſunt. Equidem ęgri, & inſtabilis animi argumentū ſtatuūt, crebram, locorum, conditionum, & occupationum permutationem. Solidæ autē compoſitæq; mentis ſignum eſſe, aiunt; ſpartam quam quis nactus eſt ornare, ſecumq; morari. Nuſquam eſt, ait ille, qui vbiq; eſt: ſecum non eſt, qui cū omnibus eſt. Nemini ſeruit, Aulæ qui ſeruit. Sicut febris, & vulneris ſanitatem nil ità impedit, quam crebra medicorum & medicinarum permutatio; ità curſum viri ad virtutem contendentis, nil magis remoratur, quàm quotidiana, tùm locorum tùm amicorum & neceſſariorum commutatio. Fieri enim vix, ac ne vix quidem poteſt, quominus ea cum qua viuimus turba, vitia nobis ſua, aut commodet; aut imprimat; aut etiam neſcientibus, atque aliud agentibus quodammodo alliniat. Quid autem, quæſo te, otium illud tuum Academicum; in quo magnam ętatis partem, magno
cum

cum fructu contriuisti, tam malè meritum de te est; vt in castra aduersariorum, illo deserto fugeres? An timebas, ne in illo puluere minus fortiter, minusq; elegãter viueres? néue animus ad cursum virtutis incitatus, si ne aduersario lãguesceret? atq; ei quo abũdat ocio par effectus, inertiæ pigritiæq; suæ succumberet? Idipsum & ego timerem: (plenam enim periculi res est, hominẽ ἀμόυσον, & imprudentem vitæ rationes arbitrio suo moderari) si ex eorum te numero haberem: si sine litteris viueres, (otium enim sine litteris mors est, & hominis viui sepultura) vel si has ipsas litteras occupationis tantùm, fallendiq; temporis gratia tractares: vt doctior, non autem vt etiam melior euaderes. Sed cum ista quæ dico omnia ab animo tuo abesse, quà longissimè videam; cum te quotidie res diuinas meditari; & ex ijs contra pestes animorum præsidia comparare, teq; ijs valdè munitum intelligam: ocium illud tuum Academicum, Aulicis studijs & occupationibus, sine vlla exceptione anteponendum puto; nec etiam autor esse dubitabo, vt pedem ex tàm lubrico loco quàm citissimè referas: & aureas istas compedes, quas iniectas geris, deponas: & si hoc non licet, abrumpas: idq; cum animo tuo constitutũ

habeas,

habeas, quod nullum vnquam in Aula finē occupationis inuenies, nisi finem ipse feceris. Spes, spem irritat: causa, causam trudit: dies, die capitur: promissa, promissis nectū-tur. Quò magis tu velle debes in eorum potius consuetudine, & conuersatione viuere, qui te meliorē facere possunt; quod in Academia fiet: vicissim autem, eos tantùm ad tuam consuetudinem admittere; quos tu potes facere meliores: quod in Aula rarò fortasse fiet. Noli, amabo te, Aulæ blandicijs, fortunæq; ferenti fidere; quę sic in rebus humanis ludere bachariq; consueuit: vt cum aliquem, quocunq; tandem volet, supra cœteros moltales extulerit; vicissim quandocunq; volet, infra omnes mortales, deturbet. Fortis excelsiq; animo officium est; sponte sua intra mediocritatis terminos, pedem figere. Partem esse fœlicitates reputa: superesse, quod speres.

Non te adhuc fortè cæpit Aulica Ambitio. nisi caueris, fortè capiet. Non auocauit a studijs. nisi caueris, fortè auocabit. Animum habes auaritiæ sordibus, minimè inquinatum: nisi caueris, labem fortè non vitabis. Luxuriam hucusque compresisti. ipsa te vicissim, nisi caueris, opprimet. Auram aulæ ferentem & secundam; ferentem

& se-

& secundum Oceani vētum reptta:cuius tā esse præceps & inexpectata conuersio consueuit; vt illo ipso die, & loco; illo ipso quo luserunt momento, maxima quæq; & opulentissima nauigia sorbeantur.

Minus, ait Cyprianus, voluptatibus stimulatur: qui non est, vbi frequentia est voluptatum. Minus auaritiæ molestias patitur, qui diuitias non videt. Nimis periculosum est, inter media vitia viuere, & dicere: habere volo, quod vincā. Hoc est enim dicere viuere volo sub ruina.

Falleris autem, si ea quæ suis amatoribus Aula promittit, propter quæ vmbram, & otium, & illum Academicum puluerem excutiendum putasti, in bonorum genere, inq; numero rerum expetendarum numeras. Insidiæ sunt. Nam quo tempore in tuam peruenisse potestatem putaueris, in tua ipse potestate esse desines: sicut esca non propterea feræ famelicæ proponitur, vt satietur; sed vt in laqueos incurrat, & capiatur. Non est crede, mihi, necesse: vt famem sitimq; repellas. Regios postes, magnatumq; ianuas, obsidere; asperumq; heri vultum, contractamq; frontem, & humanitatem illam nescio quomodo cōtumeliosam tolerare. Nullas spes habet Aula; si tales tantùm habet,

vt

vt ex illa ventrem impleas. Scis quos nobis natura terminos ad vitæ ſuſtẽtationem neceſſarios circumſcripſit: non eſurire, non ſitire, non algere. Hoc in Academia tua, illa ipſiſsima ſimplicitatis officina, parabile ſemper eſt & expoſitum: ad ſuperflua ſudatur in Aula. In Academia tẽpus omne tuũ, rem ſanè præcioſiſsimam, diligentiſsimè auariſsimeq́; ſeruabis: ibi verba inanitatis plena, ibi nugas otioſorum hominum euitabis: quorum eſſe tàm magnum periculum ſanctus ille vir exiſtimauit; vt auderet dicere; quod in ore ſæculariũ nugæ, nugæ ſunt: in ore ſacerdotum blaſphemię. Ibi artẽ omnium præſtantiſsimã ſine interpellatore diſces, Bonus fieri, nullus ibi dies ſine linea tibi tranſibit: Partem quoq; noctium ſtudiis optimis vendicabis: nõ vacabis ſomno, ſed ſuccumbes: & oculos lectione vigiliaq́; fatigatos cadentesq́; in opere nihilominus ſtudioq́; detinebis.

Ibi quicquid debebis, nolle, non poteris ibi ſuſpitiones omnes, quæ eſſe amicitiarũ venena exiſtimantur, non maximo negotio euitabis. Nil enim in Academia geritur, qđ foras proferendum non ſit: ibi quandocunque voles Deus tibi loquetur: quandocunq; viciſsim voles, tu Deo loqui poteris. ibi cõtra

tra peſtes animorum arma quotidie cõparabis; nec huius tantùm temporis, ſed vniuerſæ poſteritatis commodis, & vtilitatibus ſeruies: cùm aliquid vel de religione, vel de Repub. meditatum conſcripſeris; cuius lectione, multos poteris facere meliores. Ibi ad naturam, non ad opinionem viues. nec magnopere curabis ex quam preciosis cibis, ſicut, diuinus ait Hieronymus, ſtercus cõficias. Ibi diſces tam bene culmo, quam auro tegi: tam bene albo, quam ruſtico pane ſatiari: fictilibus vti vt argento, & argento vt fictilibus. Summa eſt, quod in Aulica Scena nunquam; hoc in Academico puluere cõſequeris: vt ita viuas cum hominibus tanquam Deus videat: ita loquaris cum Deo, tanquam homines audiant.

Verùm tu fortaſſe animum ſtudijs & meditatione fatigatum, ludis Aulicis recreare hoc tempore voluiſti. Demus hoc. Interim certè meminiſſe te oportet: quod ſi ad Curiam applicari quandoq; neceſſe eſt; implicari certè non expedit. Fortè enim non idem ex Aula redibis, qualis ingreſſus es: fortè vitæ rationes, ſtudiorumq; tuorum & conſiliorũ curſus perturbantur. Refer itaq; pedem Socoloui, quàm citiſſimè potes, Cum in Aulica ſcęna animũ recreaueris, ad Philoſo-

losophica studia, teq; diguas occupationes recurre;longeq; maiore quam hucusq; fecisti,impetu intermissas cogitationes resume. Sicut sagitta cùm arcus exrenditur, tantò celerius volat, quantò diutius impetum, re trorsum reducta distulerit.

Sed dices. Aliter loqueris,& aliter viuis. Ocium laudas, & occupatissimus viuis. Solitudinem commendas, & in media Vrbis Romanæ luce versaris. Ego verò, vt me tibi aperiam Socoloui, de virtute non de me loquor: non quid facio, sed quid facere deberem ostendo. Cum vitijs conuitium facio, meis imprimis faciò: cùm Virtutem, cùm pietatē, cùm litteras, ocium, Solitudinem laudo;res omnibus omnium votis expetendas laudo.Non præsto,inquam,quæ loquor. Equidem satis præstare,isto solo nomine videor; quod de rebus magnis rectè sentio: quodq; ea loquor, quæ animo recto concipio. Nam si statim omnia, quæ prudenter, vel cogitamus, vel loquimur, re & veritate præstaremus,quid esset nobis beatius?Interim non est, quod mentem contemnas optimis consilijs abundatem. Voluntas, ait ille, & oratio rectum petens: sine dubio laudanda est.

Sed pergis. Tu cum fortunis abundes,de con-

cõtemptu fortunarum egregiè philoſopharis: nil autem eſt facilius, quam de laudibus ieiunij, pleno ventre diſputare: quam tranquillo mari gubernatorem agere. Ego verò ne ſis neſciens, & citò apud te, & libenter confitebor (veritas enim odit moras) quod, ſi quibus animi, & ingenij opibus abundo, quod ſentio, quam ſit exiguum, ijs ego profectò vti malo, ſicut, ait ille, prætextatus, & candidatus, quam nudis ſcapulis: malo gaudia temperare, quam dolores compeſcere. in dolore enim & in aduerſitate hoc ſolum requiritur; nõ turbari, non deijci; ſed omnia fortiter, & pacienter tolerare. At in multarum rerum affluentia; & pietas, & liberalitas, & temperantia, & amor proximi apparebit. Duæ quippe res ſunt, (ait ille) quę poſſunt hominẽ ad turpe compendium cõmouere; Inopia, & auaritia. Poſſum ego iter ſuſceptum pedibus conficere, libet tamen vehiculum aſcendere. Poſſum turbato mari nauigare, magis me tamen ferens, & ſecundus ventus delectabit. Pari quoquè ratione, ſi fugere egeſtatem vitæq; miſerias potero, animo libenti fugiam: & ſi quis caſus, opes & fortnnas obtulerit; in domum illas non in animum recipiam: nõn vt in ædibus meis dominentur, ſed vt omnia diligentis, & accurati

curati ministri munera obeant: easq; tanquam cras abituras aspiciam: neq; permittam, vt mihi vel occasionem offerãt, vel facultatem subministrent; aut officij, pietatisq; deserendę: aut alterius per fraudem & iniuriã opprimendi: & hoc ante omnia prouidebo, ne in limen meum ingredi permittam vllum obulum, malè intrantem: ita, vt si forte cõtingeret habere me nonnulla, quę multi sua esse cuperent: nil tamen in rebus meis inueniatur, quod aliquis suum esse dicere posſit. Non ergo te ego, cum ex Aulica Scęna reuoco; vitæ præsidijs & necesſitatibus destitutum volo. Nil solet fortuna facere libentius, quam vt sua munera in eos cõferat; à quibus scit repetere ea posse, quandocunq; volet, sine sensu doloreq; reddẽtis. Hoc ago, vt vitæ præsidia, in vmbra potiùs & ocio; dum veniant, expectes; non sequaris: non te illis offeras, sed oblata reuerenter, & humane recipias. Cuius rei multa hoc loco possem exempla recensere; non solùm sanctorum, qui nobis Ecclesiæ Dei testimonio, commendantur: sed etiam gentilium Philosophorum quibus naturę tantùm principia secutis, honestisſimè vita acta est. Opes illi subito circunfusas, & afluentes, quod ad se venirent, admirati, multi & ri-

ſu proſecuti ſunt; non tamen à conſuetudine ſua repulerunt; ſed ad eum modum planè vſi ſunt; vt magis audirent ſuas eſſe, quā ſentirent; eodemq; animo, eamq; moderatione,& affluebant opibus,& carebant. Proprium eſt hoc alti,& generoſi animi munus, quod illuſtribus exemplis ad illuſtria facta vehementer inflammatur.

Nec eſt, quod te perturbent ocioſorum hominum voculæ; quod ad vmbram & puluerem redieris; quod nullam tuæ dignitatis, nullam familiæ, nullam propugnandi ad poſteros nominis rationem habendam putaueris: & quantumcunq; tibi fortuna per manus Regias dare potuiſſet, his omnibus ocium litterarium prætuleris. Moueri his ſermonibus poſſes, ſi hęc de te Hoſius, ſi Cromerus, ſi Orichouius, ſi Pouodouius, ſi Gorſcius, ſi Cochanouius tui amantiſsimus loqueretur. Aula loquitur, in cuius ſermone, & occupatione λῆρος πολύς. Aulæ enim hoc eſſe proprium exiſtimant: vt probanda improbet; nec tam ponat verba, quam proijciat: & magis pro conſuetudine, quam pro veritate loquatur. Nec ſatis hoc. Vita quoq; ipſa per luſum agitur in Aula. Nulli enim aut velle, aut nolle decretum ibi eſt. Quo ſors, quo ſpes, quo metus, quo fauor homi-

Nugæ multę

hominũ, quo princeps inclinat; omnes ſine fræno ſineq; modo feruntur. Satiuſq; eſſe putant nemini prorſus quicquam fidere, quã ſemel decipi. In Aula quod facere volunt, pati nolunt: & eundem quem laudant, ſimul & oderunt. In Aula inertem & abiectum putant; ira qui caret; nec tumultus excitat: & ſi quod offitium, vel benefitium vacat, optatur, vt vnam omnes ceruicem habeant: plauſum & fauorem hominum immortalitatem; ſibilum, mortem putant. Multa in Aula multi poſsident; ſed tamen nominibus non reſpondent. Ibi quicquid ſuadet ira; fortuna permittit, ferarumq; more, cum ijſdem viuitur; & cum ijſdem pugnatur. Amicitias enim mortales, inimicitias habere conſueuerunt immortales. Mutatus vitæ ordo eſt, ſede nil propria iacet. Et ſi quis rem omnium in Aula rariſsimam, conſequi, ſenectutem deſiderat, id illi profectò, non aliter aſſequi, licebit; quam iniurias accipiendo, & inſuper gratias agendo. O ſplenijs obducta infortunia.

Rarus, ait ille, ſenex, idemq; fœlix. Alius enim ſpem alterius fallit, alius differt, alius intercipit; & iniuria nihilominus non ſolũ patienter, ſed hilari quoq; vultu, frõte, oculis tegenda, tollerandaq; eſt. Quæ quanquã

omnia ſunt dira, ſicut ait Tragicus, ſed tamen in alto mala. Quid autem non optes homini? per tam cruentas bona quærẽti vias!

Deinde verò, quis, quæſo te, tantarum contentionum, & difficultatum exitus? Si æquis oculis omnia circumſpexeris, equidẽ nil aliud inuenies, quam quod ab omnibus in titulum ſepulchri laboratur: vt vniuerſæ poſteritati, non præclara, & memorabilia facta, ſed duriſsima quædam, & inanimata ſaxa, defunctorum honores & virtutes commemorent.

Scitum eſt illud Tragici

Quicunq; Regno fidit, & magna potens
Dominatur Aula: nec leues metuit Deos.
Me videat & te Troia: non vnquam tulit
Documenta fors maiora; quam fragili loco
Starent ſuperbi.

Alius verò quidam fortaſſe non ab re, naufragium omnium virtutũ, Aulam vocauit. in ea, namq; ſicut ait, inuenire licet equi ſuperbiam: crudelitatem vt in Tygre: rapacitatem vt in lupo: obſtinationẽ vt in mulo: aſtutiam vt in vulpæ; varietatem vt in Pardo: mordacitatem vt in cane; petulantiam vt in hyrco: ignorantiã vt in aſino: hyſtrionicam vt in ſimia; ibi quæ olim Poetæ monſtra finxerunt, re & veritate videntur. Cen-

tauri furiosi, chimeræ periculosæ, Harpiæ deformes, Satyri insulsi, Syrenæ peruersæ; Tempestuosæ Scyllæ; Prothei varij. Ibi Parcæ, ibi Medusæ, ibi Charontes, ibi Cerberus, ibi Rhadamantus. Ibi malorum omniũ & infortuniorum Ilias. Non est itaq; quod Aulæ vocibus mouearis. Non debet auctoritatẽ habere sententia, vbi qui damnandus est, damnat. Facilè est crede mihi & expeditum Aulicas occupationes effugere, si præmia occupationis contempseris. Paucos seruitus, plures seruitutem tenent. Quod si verò propterea Aulæ adiungere te voluisti, vt te contra Academiæ incommoda, aureis armis communires, ne vel tibi paupertas; vel tu amicis & necessarijs tuis esses aliquando oneri: equidem metuo, vt exitum consilij inuenias. Nemo è mari tempestatibus turbato, sarcinis onustus enatat. Nemo vitam à Prædone, nisi præda proiecta impetrat.

Deinde verò, quid causæ est, vt in vmbrã & ocium opes & fortunas inferas? Equidẽ eo fine nemo purpuram induit; vt nulli mortalium ostendat. Nemo in secreto recessu dapes in auro ponit; nemo sub rusticæ arboris vmbra proiectus luxuriẹ suæ pompam sibi solus explicuit. Luxuria enim forum,

theatrum, ſcenam, curiam deſyderat. Sanãtur hæc omnia, ſi abſconduntur. Si tam diu ſine opibus vixiſti, tam diu magna moleſtia caruiſti: tam diu tibi vixiſti. In poſterum etiam pecuniam fortè minorem habebis, eadem quoq; opera & inuidia, & ſuperbia & auaritia carebis. Non eris forte potens? iniuriam facere non poteris. Nõ eris diues? & onere & periculo carebis. Caſam humillem habebis? magnas ruinas non timebis. Hæredes ditare non poteris? nullius intererit vt moriaris. Magiſtratum non geres? ſi ineptus es, non apparebis. Curta erit tibi ſuppelex? nec quicquam inſigne poſsidebis? Ita par eſt; Nil in domo tua debet te ipſo eſſe magis ſpectabile, magiſq; pretioſum. Solitudo ante oſtium erit? Vt te ipſum cognoſcas, ocium ſuppetet. Recreationes nullas habebis? Teipſum ridebis. Contemptus viues? quem quis contemnit, non calcat, ſed tranſit. Nullus ianuæ cuſtos aderit? Aperta effractarius præterit; in ſecreta irrumpit. Mediocri fortuna vteris? Quicquid exceſsit modum pendet in ſtabili loco. Modicis rebus longius æuum eſt. Conditionem tuam viliſsimi quique contemnent? Patiẽs eſt, quiſquis nouit famulum, Regemq; pati. Nullos ſalutatores, nullos anteambulones

habebis? minus tibi placebis, minus pulueris sorbebis. Ignotus multis morieris?

Illi mors grauis incumbat
Qui notus nimis omnibus
Ignotus moritur sibi.
Rex eris?
Rex est qui posuit metus,
Et diri mala pectoris.
Quem non ambitio impotens
Et nunquam stabilis fauor
Vulgi præcipitis mouet,

Sed ego finem facio. Hæc autem quæ scribo omnia, non vt te admoneam scripta putabis: sed vt ipse quæ dico, discam: vtq; me ad mentem officiumq; reuocem: vt eadem quæ scribo, legam ipse; & quæ dico, audiam ipse. Salutifera: ait ille, cõsilia semper agitari animo debẽt, oculisq; sine intermissione offerri, non solùm vt sciamus; sed vt parata ad omnẽ vsum expeditaq; habeamus.

Interdum enim scimus, nec animum aduertimus: plerunq; etiam dum aliud, atq; aliud agimus, ante oculos posita transimus. Erigitur quodãmndo virtus ad omnia audenda, quando oratione incensa inflammataq; est. Fieri enim potest, vt virtutis præcepta inclusa in animo habeamus; sed ita per omnes memoriæ recessus dissipata, vt

ea non facilè possit ad vsum mens inexercitata reuocare. Cum autem consilia; præcepta, cæteraq; sermonis & orationis præsidia accesserint: toto impetu ad honestissima quæq; tentanda audendaq; ferimur, nil vt esse tam magnum tamq; difficilè possit; quod non tota animi, & ingenij contentione pro adeunda virtutis possessione exequẽdum suscipiamus.

Hæc ad tuas Margemburgeñ. litteras, respondenda putaui: quibus te ad Aulam esse vocatum pertractumq; significas. Illa porrò quæ de nostris laudibus & meritis sub finem Epistolę adiunxisti, si tibi constare volueris, palinodiam canas necesse est. Non bonam enim causam suscepisti, facileq; in ea me quoq; iudice superaberis. Cum enim abs te homine amicissimo talis esse existimor, qualis non sum; non me profectò, sed alium sub nomine meo diligis: si non quod sum, sed quod non sum diligis. Ab his enim laudibus tam longè me abesse video; vt, si quæ mihi tribuis agnoscere vellẽ, fatuo potius quam ei quem amare decreuisti essem similior; & omnino dignissimus, vt à tua cõ-
Pugnis & calcibus suetudine, & beneuolentia, non sybilis hominum, sed quod vetus verbum habet πὺξ καὶ λάξ dimouerer. Hoc tamen etiam nomine,

quod

quod me tuo amore dignum putas; quacunque tandem ex causa id facias: & magnas tibi ago gratias, & me tibi vicissim offero, & si non talem qualem esse me arbitraris: talem tamen, pro quo Dominum; vt esse talis merear, humiliter sine dubio deprecaris: idque vt magis atque magis facias, etiam atq; etiam abs te peto. Bene vale, & nos quod facis ama, nec amare desine. Datum Romæ Idib. Sept. 1577.

ANDREAS PATRITIVS

STANISLAO RESCIO.

Epistola VIII.



Ale' sit Capris & Capranicis omnibus; quæ nobis lumen illud non Poloniæ tantum nostræ, sed etiam Europæ vniuersæ extinxerunt. Hosi, Pater mi, Pater, mi Hosi, currus Israel, & auriga eius, Quid igitur. Ego vero iam tũ diuinum illum virum diuinasse existimo, quando ad istas malè conciliatas Capranicas proficiscens, tibi, vt scribis, curam Pœnitentiæ relinquebat. Est enim profectò, mi

Resci,

Rescì,quod te vehementer pęniteat; & quidem dum viuis, pœniteat: hominem ex cōplexu tuo ad Capranicas istas aliquādo dimisisse. Vide enim quantum inter vestras istas Latiales Capranicas;& inter Sarmaticas Caprinias nostras interest. Nimirū nostræ nobis Sigismundum illum Regem, non magis Augusti Regis,quam patriæ ipsius patrem protulerunt: hæ vestræ (heu crudeles terras) Hosium nobis Cardinalem, quasi quendam patrem patratum nefariè sustulerunt. Quis autem in gente humanissima, tantam inhumanitatem fuisset suspicatus? Fuit igitur, Resci, quod non solum te, sed omnes quotquot virtutem illam, ingenium illud sanctitatem,eruditionem, eloquentiā illam amauerunt,atque adeo etiam qui non amauerunt, perpetuò pœniteat; Hosium aliquando in Capranicas concesisse; vt vitam illic poneret,qui vnus propemodum vita vti sciebat,vt vitam illic poneret, qui eā multis dare solebat:vt vitam hanc poneret, qui vita dignus erat immortali: vt vitam poneret, sine quo nulla vita vitalis est futura. Plura præ dolore,non possum. Vale,quātum potes in hoc luctu, & squallore, in hac ingratissima vitę cōmemoratione seu potius diuersorio; in hac incertissima certissimorum

rum

rum humanorum casuum conditione: non enim es, mi Resci, neq; eris discipulus supra magistum: quod si illum perpetui isti naturę nostræ hostes, inualetudo, seniū, mors, cōsecuti sunt; & te profectò consequentur. Dat. Varsouiæ xij. Sept. M. D. LXXIX. in media Vrbis huius gratulatione, ob victoriam de Moschis recens partam, Polocia recuperata, quod die 30. mensis præteriti contigisse dicitur.

ANDREAE PATRITIO.

Epistola IX.

RECTE' iudicasti, de me Patrici, Benè enim, tibi cognitus sum: habiturum esse me dum viuo, quod me pœniteat; & quidem vehemēter pœniteat, lumen illud meum, meum inquam lumen Hosium (neque enim cuiquam mortalium tantum, quantum mihi splendor eius affulsit) Capranicas concessisse: vt vitam illic poneret, qui mihi vitam dare solebat; sine quo nulla mihi vita vitalis futura esset. Totus enim rerum mearum status, & spes meliorum temporum, in vnius

Hoſij vita, ſalute, dignitate, poſita videbatur. Hoſio vero ſublato. Omnia perdidimus tantummodo vita relicta eſt.

Præbeat vt ſenſum materiamq; malis

Sed quid de me dico? Patrici. Hoſio ſublato, Eccleſia Dei cõfeſſorem; religio propugnatorem; hæreſis euerſorem; patria Senatorem; antiquitas conſeruatorem; nouitas depulſorem; populus doctorem; docti præceptorem; pietas tutorem; impietas perſecutorem; paſtores exemplum; impoſtores aduerſarium; veritas domicilium; falſitas inimicum; orbis vniuerſus in tantis tenebris lumen clariſsimum amiſit. Interea gregem Domini lupi rapiũt, oues pereunt. Eccleſia dolet. Synagoga ridet: & ſicut ait ille. Fax nuſquam, Chriſtus dormit. O miſera & calamitoſa tempora. Hoſi pater mi, pater mi Hoſi; non enim verebor dicere, columna & firmamentũ veritatis, Spiritus ſancti domicilium. Sed ita eſt diuino Dei iuditio decretoq; conſtitutum, poſtquam vnumquemq; ſanctorum ſuæ ætati in Eccleſia ſua ſeruire commodareq; permiſit, vt iterum idoneo & competenti tempore ad ſe reuocet. Sit itaq; nomen Domini benedictum: Dominus dedit, Dominus abſtulit Sit nomen Domini benedictum. Facie-

mus

mus quod verbum vetus habet. ῥόδον παρελθὸν, μηκέτι ζήτει πάλιν. Cæterum quod Latiales Capranicas malis omnibus oneras, vide rogo te, quæ Deus purificauit, tu ne commune dixeris. Similiter enim & Romæ, & Antiochiæ, & Alexandriæ, & Constantinopoli, & Cracouiæ nostræ crudelitatibus infamiam attribues: quod in illis Sanctissimi quiq; martyres Christi, & confessores spiritum suum, Seruatori suo reddiderunt: quas tamen vrbes Ecclesiæ Catholicæ populi, vel hoc maximè nomine suspiciunt, quod illa Spiritus sancti Organa, vasa pietatem mundissima, vel in hanc producere, vel in alteram vitam transmittere meruerunt. διὰ ταῦτα, ait quidam ex Sanctis Patribus, θαυμάζω τὸν ῥώμην. οὐ διὰ τὸν χρυσὸν, τὸν πολὺν οὐ διὰ τοὺς Κάνας, οὐ διὰ τὴν ἄλλην φαντασίαν ἀλλὰ διὰ τοὺς στύλους τῆς ἐκκλησίας τούτους, πέτρον καὶ παῦλον. Propterea ego Romam admiror, non propter opes ciuitatis: nec propter columnas, neq; propter aliam phantasiam, sed propter columnas illas Ecclesiæ Petrum & Paulum. Tu vero potius iusto quodam, licet occulto Dei iuditio factum existimabis: quod in hac pace Ecclesiæ Catholicæ, qua per Dei gratiam Italia fruitur, non in vrbe fortitudinis, in qua persecutio-

Rosam prætetitā ne quaquam qras iterũ.

nis tēpore multa ſanctorum millia fortiſsimè,& conſtantiſsimè teſtimoniū fidei Chriſtianæ reddiderunt:ſed in Καπρανικὴ victoriā de luxuria,de carne,mundo,diabolo vir caſtiſsimus, & pudiciſsimus obtinuit:quā ipſe Chriſtus præſentia quoque ſua dignatus eſt Angelorū corona ſanctorumq; omniū choro cateruaq. ſtipatus:vt animā boni & fidelis ſerui ſui,charitatis ignibus in oībus vitę ſtudijs inflammatā,& in æterna tabernacula receptā in concilio cæleſtium collocaret.

O igitur poſt hominum memoriam victrices Capranicas,Sarmaticis tuis Caprinijs nihilo inferiores,imò verò etiam vnius literulæ acceſsione,& nota ſuperiores.

Nam illæ quidem Sigiſmundum Regem ediderunt: iſtæ Cardinalem Hoſium reddiderunt: illæ in terram, iſtæ in cœlum; illæ moriturum, iſtæ ſempiternis ſæculorū ætatibus in ſempiterni Regni poſſeſsione victurum. Plura ſcriberem Patrici, ſed Hoſium non habeo,hoc eſt vita,ſole,animo,ingenio,iudicio,omniq; prorſus & ſcribendi, & dicendi facultate in hac orbitate mea, & in iſta miſera vitæ ratione careo. Tu ſi quā calamitatis medicinam excogitare poteris da operam, vt quā citiſsimè adhibeas. Vale. Dat. Romæ 20. Nouemb. 1579.

ANDREAE PATRITIO.

Epistola X.



D 11. Kal. Maias reddidit mihi litteras tuas, Marsilius noster, tuoq; me nomine perhumaniter, & perofficiosè salutauit: & quo esses erga nos animo, quam præclarè de nobis sentires, ac etiam loquerere, quantūq; de tua in me beneuolentia mihi possim polliceri, ac etiam debeam, amplissimis mihi verbis, quæ vim totā amicissimæ voluntatis redolebant, & diligenter, & accuratè exposuit. Porrò literas præterea tuas cum legissem, magis etiam liquidò perspexi verissimum certissimumq; esse Marsilij de tua in me voluntate iudicium. Nam quod meas tanta contentione requiris, meq; ad scribendum omnibus stimulis, & acriter, & vehementer impellis, silentiumq; hoc meum ab istius Vrbis consuetudine, suauitate, humanitate dissidere, ac quandam Tyrannidis rationem habere existimas; hæc ego spicula ex eodem beneuolentię genere proficisci

ficiſci intelligo; nec tam moleſtum certè eſt, intermiſsionem officij reprehēdi, quam iucundum requiri. Quod autem nobis Tyrannidem quandam obijcis, Patrici, vide ne ego te eodem condemnem crimine. Meminiſtin quibus inſtrumentis ad iſtam feritatem mortalium voluntates irritantur, Opibus, & potentia. Quibus cum tu abundes, ego ſim deſtitutus, quid quæſo venit tibi in mentem, homini ea ætate, dignitate, auctoritate, (iam vt vis, melius ſcribo) tanta ingenij, conſilij abundantia, tāta fortunarum acceſsione cumulato, his offitijs, his beneficijs aucto, Regiaq́; gratia præſidenti; vnius, non hominis ſed ſpirantis mortui, ſine re, ſine ſede, ſine ſpe, ſine fortunis, procul à patria, procul ab amicis, procul à conſuetudine chariſsimorum hominum, omni ingenio, conſilio, iudicio, deſtituti, &, vt omnia dicam, ab Hoſio, at quo præſidio? deſerti, vim & Tyrannidem reformidare? Qui his ſtudijs, & acerbitatibus delectantur, in domibus regum ſunt.

Cæterùm non eſt, quod dubites Patrici, ne quæ fortunarum tuarum diminutio conſequatur: omnē potius acceſsionem, omne genus benignitatis à Domino cumulatiſsimè reportabis, qui tanto ſtudio, tantoque

fructu

fructu pauperum rationes, & hoſpitalis vt vocant Polonici, nunc primum in lucem emergentis, progreſſum apud Sereniſsimã, & pientiſsimam Reginam augendas atque promouendas ſuſcepiſti: quo tibi nomine iterum atq; iterum agunt immortales gratias, quotquot in Vrbe ſunt, noſtræ gentis peregrini, quotquot futuri ſunt; niſi fortaſſe tibi huius periculi metus propterea relictus ſit, vt quos opera tua iuuiſti, eoſdẽ quoque re, & veritate ſubleues; & arculæ illi tuæ diligentius commendes, vt vtriuſque officij gratia tibi cumulatè debeatur: & quas metuis difficultates, & moleſtias, à capite atque à fortunis tuis procul amoueas. id quod proculdubio ſi feceris, conſequetur. Quod nobis Panegyricum tuum miſeris; in eo quoque tuæ humanitati conſtare voluiſti. Sũ crede mihi, illius lectione, tanto digna Rege, digna laudibus, digna triũphis, digna rerum geſtarum gloria, digna te, vehemẽter oblectatus: & viſus mihi ſum βυσσίνους λόγους, quales in filijs ſuis Paryſatis illa deſiderabat, hiſce meis oculis vſurpare; hocq; etiam nomine magnas, mi Patrici, ago tibi & habeo gratias. Sit nomen Domini benedictum. qui nobis tantã vim remediorum, quæ proximis annis in patria

F noſtra

nostra desiderabantur, cum hoc vno omniū fortissimo & sapientissimo Rege adhibere dignatus est; cuius diuina & eximia virtus magnis iam Reipub. nostræ luctibus funeribusq́; subuenisse videtur. Antea hostium gladij, atq; illa vis barbarorum ab incursu & direptione Lituaniæ; partim Boristenis obiectu, partim Dunæ vorticibus, partim syluarum densitate, partim paludibus prohibebatur: nunc perfectum Regis Stephani virtute est; vt si amnes exaruissent, si syluæ deflagrassent, si paludes exsiccassent, nō naturæ præsidijs, sed victoria rebusq́; fortiter & pręclarè gestis Lituaniam tutā munitamq́; haberemus. Sit nomen Domini benedictum.

Quod autem nostra vicissim desyderas: quid ego ad te mi Patrici, tuo isto ingenio, tuaq́; elegantia dignum mitterem? mittant qui eloquentiam tuam ignorant. Ego ociolum hoc meum in Hosij laudibus, rerumq́; pro Ecclesia Dei gestarum meditatione, & studio oblecto: hisq́; interim rebus & cogitationibus in hac orbitate mea pascor, his delector, his perfruor; quod tot summos & amplissimos doctissimosq́; viros in omnibus scriptis, & sermonibus suis de Hosio nostro, opinantur; non secus ac de homine

è cœ-

è cœlo in terram ad ſalutem Reipub. Chriſtianæ delapſo: quod nemo Chriſtianorum nemo Catholicorum eſt, qui ſe modo eum eſſe meminerit, qui Hoſio Cardinali, totius pietatis teſtimonium, & eruditionis laudẽ, non admurmuratione tacita; ſed voce & clamore, & libris, & literis non perhibeat: idq; ego ſemper de Hoſio meo expectaui; hæc ſperaui: hæc euẽtura prædixi: cùm illam innocentiam, illã eruditionem non ad memoriam tantum, ſed prorſus ad exemplum ſempiterni temporis Reip. Chriſtianæ donatã aſpicerem: cum quo vnũ diem ſi vixiſſem, mihi quidem immortalitatis inſtar fuiſſet: cum autem octo ferè dierũ millia, penè in ſinu & gremio eius vixerim, nõ timeo tamen ne dulcedine diuturnæ cõſuetudinis delinitus libentius de illo hæc omnia prædicare videar, quam verius. Cũ ita communis, ita conſtans, ita perpetua omnium ſit de Hosij præſtantia opinio; vt etſi præcipuum eſſe meum erga ipſum ſtudium debeat; penè tamen æqualiter cum cæteris verſari videatur. Non poteſt equidem dici ſatis: ne cogitari quidem; quantum in illo viro dignitatis, quantũ pietatis, quantum ad ſalutem præſidij fuit. Sed quid ago? alterum pene panegyricum in epiſtolam incluſi.

clusi. Panegyricum voluisti; nec certè possum ex hoc genere sermonis, ita facilè emergere. Nō minus enim adhuc Hosium, quam aerem spiro. Da operam, vt nos ames, sed magis vt valeas. Romæ 29. April. 1581.

HIERONIMO OSORIO DEO DILECTO ALGARBIORVM EPISCOPO.

Epistola XI.

ETSI non dubitem & publico omnium sermone, & tuorum necessariorum literis, perlatum isthuc esse de trāsitu viri in omni laudis genere præstantissimi, hominis planè διαβεβηκότου Stanislai Hosij Cardinalis, & Episcopi Varmien. Catholicæ veritatis acerrimi defensoris, qui nonis Augusti plenus dierum, vt ait scriptura, plenus intellectu & sapientia, in senectute bona, quietissimè & placidissimè obdormiuit in Domino: faciēdū tamen ego quoq; putaui, pro veteri meo in te cultu & obseruantia, & pro mutua vestra coniunctione, quæ diuino illo viro propter


pter ſummam, & animorum, & ſtudiorum conſenſionem a multis annis tecum interceſsit, vt idipſum ad te literis quoque meis perſcriberem; maximè verò omnium, vt ea tecum omnia Chriſtianæ pietatis, & fortitudinis argumenta communicarem, quæ in illo fælicisſimo tranſitu oculis ipſi noſtris vſurpauimus: ex quibus illud ſanè liquidiſſimè perſpeximus, quam precioſa ſit in cōſpectu Domini mors ſanctorum eius; quamquàm verum ille ſanctus Pater dixerit, Non poteſt malè mori, qui bene vixit. Puto futurum, vt cum ea quæ ſcripta ſunt legeris diem illū omnibus potius gaudij lætitiæq; ſignis ornandum, quam luctu, & lachrymis proſequendum, ſis exiſtimaturus: quo factū eſt, vt talem ac tantum patronum & aduocatum, tam benè de Eccleſia Chriſti meritū, tot pietatis & ſanctitatis laudibus abundantem, & in te ſuauiſsimè ſemper effuſum, in hac quidem lachrymarum valle deſierimus, in cælis autem & in conſpectu Regis æterni habere cæperimus: quæ ſola res in hoc acerbiſsimo & vix vnquàm conſolabili dolore meo, qui tā ſancti patroni, & in omne tempus laudati Cardinalis, & Epiſcopi conſuetudine ex omnibus rebus quas iſte ſol aſpicit mihi iucundiſsima, & tanti do-

ctoris ductu magisterioq; sum orbatus, vehementer recreat atque reficit. Abs te magnopere peto, vt officium hoc meum grati animi significatione prosequaris tuisq; literis orbitatem hãc meam visere consolariq; non desinas, & si quid erit in quo tibi vsui esse opera mea possit eam tibi promptam, paratam, & expositam existimabis: quibuscunque verbis possem à te impetrare, ita vt de meo in te cultu sentias, his me omnibus vsum putabis. Non fallam opinionem tuam. Sed hoc quoque nomine tibi video esse vehemẽter gratulandum, quod his ipsis diebus, quibus illi iter ad beatorum sedes, morbi vehementia parabat, in Esaię tui lectione vigesimum, & in diuina Sapientia tua (neque enim librum hunc ante Kal. Iulij acceperat) cum summa iucunditate versabatur. Sed Domino visum est, vt sapientiam, quam in omni vita sua adamauerat, ex ipsis sapientiæ fontibus, non autem ex riuulis, pleno quod aiunt, ore hauriret. In medio itaque cursu perdiscẽdæ sapientiæ vt ardẽtem illius sitim expleret, ad vniuersæ sapientiæ auctorem, & architectum transijt, in quo fons totius sapientiæ, & plenitudo gratiæ inhabitat; vt quod humano labore cœptum est, diuina disciplina, & magiste-

gisterio perficeretur. Cupio te vir doctissime, bene & feliciter valere, & in vinea Domini, quam & innocentis vitæ exemplis & doctrinæ laudibus, & admirabili eloquendi elegantia vehementer exornas, quam diutissime laborare. Datum Romæ 3. Idus Septemb. 1579.

IOANNI CRETZMERO CANONICO VARMIENSI.

Epistola XII.



Vòd à morte sanctissimi, & omniũ sæculorum memoria & prædicatione dignissimi Cardinalis Hosij domini & patroni mei beneficẽtissimi, nullas ad te litteras dederim, in causa fuit infinita quædam vis lachrymarũ & dolorum, quæ me omnibus acerbitatibus interclusum tenuerunt, ac omni facultate dicendi scribendique spoliarunt, statumque illum nostrum & æquabilem vitæ rationumque cursum conturbauerunt atque confecerunt.

runt. Etsi enim in amissione tam salutaris viri, non ego solus, sed orbis Christianus vniuersus incredibilem iacturam fecerit: me tamen vnum hęc ruina oppressisse præcipuè videtur, qui à teneris annis in illius pęnæ sinu, & gremio educatus, eiusque exemplis, & institutis instructus, ac incredibilius beneficijs cumulatus, in tantam ad extremum orbitatem incidi, omnibusque vitę præsidijs & iucũditatibus ita subito despoliatus sum, vt vitam quoque ipsam non ob aliud mihi relictam existimem, quàm vt præbeat sensum materiamque malis. Quomodo enim quæso te hæc mihi vita vitalis aut iucunda esse potest, cùm ei vitam ademptam videam, qui mihi vitam dare solebat: ei vitam adẽptam videam, qui multos à morte ac à peste ad vitam salutemque sempiternam reuocabat: ei vitam ademptam videam, qui solus propemodum rectè vita vti sciebat? Quibus, inquam, oculis hanc tantam Ecclesiæ solitudinem, tam excellenti (sicut de suo Basilio ait Theologus) gloria detonsæ ac spoliatæ atque huiusmodi corona excussæ aspiciemus? Bellum Hæreticorum imminet, & qui ducem se præbeat nobis non est. Laborat infirmitatibus Ecclesia, & medicum non inuenimus. Tempus consilij est, & consilium dare so-

re solitus abijt. Helias assumptus est, & Hælises non est relictus. O calamitatem intolerabilem cuius exitus non apparet. O noctem acerbissimam, quæ lucis ortum nō expectat: o infœlices tenebras quæ solem non sperant. Amisit Ecclesia Dei confessorem, Religio propugnatorem, hæresis euersorē, patria senatorem, antiquitas conseruatorē, nouitas depulsorem, populus doctorem, docti præceptorem, pietas tutorem, impietas persequutorem, Pastores exemplum, impostores aduersarium, veritas domicilium, falsitas inimicum, orbis vniuersus in tantis tenebris lumen clarissimum amisit. Et interea, sicut ait ille, fax nusquam. Christus dormit: Misereor tui ò Dei Ecclesia, ac tui quoque patria mea dulcissima, quòd in hoc valde necessario tempore, in his communibus miserijs & ærumnis, in hac tanta rerum omnium conuersione, in hoc religiōnis naufragio, in istis Regnorum & Rerumpub. excidijs, tam certum calamitatum omnium perfugium, rerum agendarum regulam, nauarchum peritissimum, columnam solidissimā, virtutum omnium domicilium, ex istius vitæ statione, & ex omni hominum consuetudine emiseris. At tibi vicissim ò magne homo Dei & fidelis serue, & mysteriorum dispen-

ſpenſator, & arca virtutibus abũdans (ignoſce mihi diuina anima & nunc & antea maximè veneranda: facit enim me in tuis laudibus longiorem, non loquacitas mea, ſed merita tua, & meum incredibile in te ſtudiũ)

Nõ ego adulatũ (crede mihi) venio ne collige bilẽ
Sit mihi lætitiam fas aperire meam:
Tibi inquam, o vir Dei.
Clare fide, præclare actu, clariſsime fructu
Qui meritis titulum nominis æquiparas,

quo verborum honore Regni cœleſtis poſſeſſionem & coronas, & triũphos gratulabor? Si mihi linguæ centum, & ora centum eſſent, nec tuam fœlicitatem, nec illius patriæ dignitatem vllius orationis vbertate aſſequi atque explicare poſſem. Lætantur proculdubio ipſę quoque beatorum animæ, quod tu nouus Chriſti confeſſor, confeſſorum in cœlis numerum auxeris. Lætantur ad ſe moribus conſimilem veniſſe, athletam athletæ, coronatum coronati, animo caſtum, corde puri præconem ſermonis, miniſtri ſermonis. Nos autem quod attinet, ſi ad vota ſingulorum reſpicimus, quandocumque tandem obijſſes, parum vixiſſes, ſi ad res geſtas ſatis diu vixiſti, ſi ad memoriã operum, ſemper viues. Is enim erat innocentiſsimæ vitæ tuæ ſplendor, ea verborum & eruditionis

vber-

vbertas,ea vultus orisque dignitas,ea morũ suauitas tantum præterea iuuandi proximi desiderium,tam ardens de Varmien. Ecclesiæ,atque adeo omnium ecclesiarum salute, deque Elbingensium conuersione sine vlla, vel temporis, vel contentionis remissione sollicitudo, vt nunquam non esset mors tua Christianæ Reip.immatura futura. Sed parce tu quoque mihi, frater charissime, quòd in istarum rerum commemoratione,& libẽter & studiose hæreo: adhuc enim cum Hosio viuere, cum illo mihi loqui videor: scis omnem esse, quærulam calamitatem. Præterea vero Hosium laudans, virtutem laudo, virtutem laudans, Deum laudo. Interest omnium qui virtutem, qui pietatem colunt, scire Hosium quis fuerit: erat enim maximum & singulare viuendi moriendiq; exemplum nobis propositum: ita vt nisi pulcherrimum istud τοῦ ὁσίου cognomen à maioribus súis hæreditarium accepisset, id ipse sibi posterisq; suis virtutis suæ præstantia peperisset. Bonus inquam,& perfectus erat doctor Hosius, faciebat quod docebat, ac omnia vitæ suæ tempora & momenta tanta cũ innocentiæ laude transigebat, nullus vt vnquam eum diem viderit,quo cuiusq; interesset Hosium mori. Tanta præterea contentione

tione atq; doctrinâ, verborumq; & sentētiarum vbertate fidem Ecclesiæ Dei cum scriptis in omnes orbis Christ. partes feruentissimis illis & admirabilibus Epistolis, tum etiam libris editis propagauit, vt quod olim de Gregorio Taumaturgo, hoc de Hosij quoque nostri lucubrationibus rectè dici posse videatur, quod ea ipsi Dei mater virgo scribenti dictauerit: nec alia post illum scribēdi contra hæreses materia scriptoribus vllis relicta esse videatur. Quo factum est vt Hosius Orbi Christiano valde magnus esset, Hosij gloriæ orbis angustus videatur. Cæterorum enim mortes, priuatos, hæc vna communem quendam luctum & dolorem in animis piorum & intelligentium hominum excitauit. Ex quorum ego libris & litteris, 200. fere testimonia magna cum animi mei voluptate collegi, quibus illi, quasi conspiratione facta, totius laudis & gloriæ principatū, cum in cultu pietatis, tum in doctrinæ & eruditionis excellentia attribuunt. Alij columnam Ecclesiæ vocant, alij ornamentum Collegij Cardinalium. Alij splendorem Curiæ Romanæ, alij Phænicem Cardinalium, alij Polonicum Patriarcham, alij senem vere Abrahamicum, alij malleum hæreticorū, alij nostri temporis Augustinum, alij alterū

Polo-

Poloniæ Stanislaum, nouum Bessarionem, Melchisedechicum sacerdotem, nunquam satis laudatum, Ecclesiæ defensorem, rectæ fidei custodem vigilantissimum: Orbis miraculum, patrem patratum, Romani senatus ornamētum, Apostolicæ sedis propugnaculum, Christi fortissimum athletam, formidabilem hæreticorum aduersarium, senem suauiloquentem, alterum Numam, micans Latij lumen. Alij synceræ pietatis magistrū, Dei interpretem, alteram Pauli manum, alij alijs laudibus celebrant, & vsque ad sydera tollunt. Omnes vno ore sanctissimum, pientissimum, sapientissimum, doctissimum, integerrimum, antiquæ pietatis imaginem appellant, easq; etiam laudes cantare celebrareq; adhuc non dubitant, & docti in bibliothecis, & indocti in circulis, & magistri in scholis, & Antistites in sacris, & Prædicatores in cathedris, & in versibus Poetæ, & in montibus Eremitæ, & in orbe terrarum genus Christianorum. Habebat enim in se reuerà Abrahamicus ille senex quo totius orbis oculos in sui admirationem conuerteret, habebat Petri fidem, Pauli charitatem, Ioannis integritatem, Augustini doctrinam, Basilij grauitatem, Athanasij zelum, Chrysostomi eloquentiam, Ambrosij libertatem,
Gre-

Gregorij vigilantiam; In ſeipſum Hierony-mi ſeueritatem exercebat. In conuerſatione & conſuetudine hominum Meletium, in cõtemptu vitæ martyrijq́; deſiderio Cyprianũ referebat, (non enim vereor ne ſanctiſsimi illi viri inuideant, ſi ijſdem quibus ipſi abũdabant laudibus, hic illorum diſcipulus & imitator honoretur) didicit quod docuerunt, fecit quod iuſſerunt, ſequutus eſt quo præceſſerunt: & dum illos in omnibus vitæ ſtudijs imitatur, ipſe quoq; poſteris ſuis ſe præbuit imitandum. Factus enim ad extremum erat, velut arca quędam virtutibus abundans, ex qua in orbem vniuerſum totius pietatis exempla emanabant. Fuit velut quędam vox clamantis in orbe Chriſtiano: Non eſt fides niſi vna, & quicquid extra vnam fidem eſt, non fides, ſed perfidia eſt. Fuit velut manus, cathedram vnitatis in qua Dominus poſuit doctrinam veritatis oſtendens: Fuit velut tuba vaſtum in auribus omnium clangorem fundens, quod quiſquis cum Romana Eccleſia in fidei doctrina non concordat, Chriſtianus non eſt: Niſi ꝙ in omnibus Hoſij laudibus percenſendis, nõ me ſed Hoſio laudatore opus eſſet. Hoc autem excepto, quicunque Hoſium laudare voluerit, aut mecum ſit, aut me ſequatur oportet.

tet.

tet. Neq; mihi tamen in hoc officij prędicationisq; genere pertimescendum esse video, ne dulcedine diuturnę, quę mihi cum Hosio intercessit, consuetudinis delinitus, libentius hęc omnia prędicare de illo videar; quàm verius, cùm ita communis, ita constãs, ita perpetua, sit omnium de illius pietatē opinio, vt etsi pręcipuum esse meum erga illum studium debeat, pene tamen ęqualiter cum cæteris versari videatur. Hisq; ego interim rebus & cogitationibus in hac orbitate mea pascor, his delector, his perfruor; quòd amplissimi quiq; atq; optimi viri de Hosio nostro opinantur, non secus ac de homine è cœlo in terram ad salutem Reip. Christianæ delapso; ꝙ nemo bonus, nemo Christianus est, qui modo se Catholicum esse meminerit, qui Hosio totius pietatis testimonium & eruditionis laudem non admurmuratione tacita, sed voce & clamore, & litteris non perhibeat. Quæ ego omnia, & si de Hosio meo semper expectaui, hæc optaui, hæc speraui, hæc prȩcatus sum, hæc euentura prædixi, cum illam vitæ innocentiam, illam morum suauitatem & elegantiam per 20. ferè continuos annos, non solum ad exemplũ patriæ nostræ totiusq; ordinis Ecclesiastici, sed etiam memoriam sempiterni temporis, huic

huic nostro seculo donatam aspicerem, plura tamen quàm sperabam acciderunt: Sed iterum veniam abs te peto: φιλεταῖος γὰρ συμφορά, Me vero hoc tempore loquaciorem facit amor. Loquacitas autem (sicut ait ille) in ædificationem nulla turpis, si quando turpis. Non est, inquam, reprehendenda loquacitas, cum nimio amore pietatis & nimio odio impietatis. plura quàm res postulare videtur, aliquando loquimur. Sed nec quenquam tali futurum esse ingenio puto, vt omnes Hosij nostri laudes ita posit mandare litteris, vt ea quæ diximus facta non ficta videantur esse. Me quòd attinet etsi mihi secretarij & familiaris nomen mors illius abstulit, cultum tamen erga illum meum & obseruantiam & diuturnæ consuetudinis ac beneuolentiæ memoriam non ademit. Quominus etiam tantam illam pietatem, tam incredibilem sapientiam, ac pene diuinam eruditionem, tam inusitatam clementiam, tam feruentem Charitatem, tam raram humilitatem, tantum deniq; in maxima potestate rerum omnium modum, tacitus apud te præterire potui. Ad extremum autem te etiam atq; etiam peto & quæso, posteaquàm me calamitatis eius acerbitate, ita fractum & deiectum esse vides, vt non solum animi,
sed

ſed & vultus & frontis, & oculorum hilaritatem in ſempiternum tempus amiſerim, ne me vnquam conſolationibus tuis ſuauiſsimis, orationumq; præſidijs deſtitutum derelinquas, ſed has vitæ noſtræ tenebras vel potius iſtum noſtrum carcerem, imo mortem, imo funus, & cineres, cùm ad altare domini ſteteris in ſacrificijs tuis illius bonitati cõmendes.

Neue, roga quid agam, ſi perſequar omnia flebis
Summa ſatis noſtri ſit tibi nota mali:

Nunc enim omnia ſole illo meo, illo inquam ſole meo Hoſio, vel potius patriæ noſtræ totiuſq; orbis Chriſtiani extincto, quaſi conſpiratione facta totum planè vitę rationumque mearum curſum ita euerterũt, vt ſi mecum hoc tempore eſſes, non eum profecto videres quem reliqueras: non eum quem noras, quem flens flentem, via Flaminia proſequentem, ad pontem Miluium proficiſcens dimiſeras, ne veſtigium quidem eius nec ſimulachrum, ſed quandam ſpirantis mortui effigiem videres. Etſi enim nihil magis in hoc meo calamitoſo tempore curo, quàm vt ne curem, neue doloris magnitudine ſuccumbam, nec eſſe quicquam ſolitudine amicius ſtatuam, omneſq; vmbras & receſſus appetam, in quibus mihi omnis ferè ſemper

fermo eſt cum ſacris litteris,hæc tamen omnia quocunq; me verto, dolor ex abſentia Cardinalis Hoſij acceptus interpellat: eum porrò fletus ſequitur, cui repugno quoad poſſum; ſed adhuc pares non ſumus. Quo magis me quem tui orationibus ſubleuandum ſuſcipias dignum eſſe putabis. Ego verò idem viciſsim tibi impendam apud venerandos ſanctorũ Apoſtolorum cineres charitatis officium. Quæ geruntur in vrbe ex D.Stanislao Hoſio,eius de quo agimus Cardinalis nepote cognoſces, cuius rationes tibi cæteriſq; confratribus noſtris paulo profectò diligentius commendarem, niſi vos ſponte veſtra ad augendam & ornandam illius familiæ dignitatem incitatos eſſe mihi perſuaderem:quæ nobis tam ſalutarem Eccleſiæ Dei virum,Epiſcopum planæ Eccleſię natum,memorem ſui nominis, maiorũ ſuorum imitatorem,tam præclaris ad imitandũ exemplis abundantem, vel vt Theologi de Baſilio verbo vtar διαβεβηκότων, velut ſydus quoddam ad illuminandos cæteros in hac prope depoſita Reip. Chriſtianæ parte produxit.R.D.Martino Cromero, Epiſcopo noſtro Varmien. magno Magni Hoſij ſucceſſori (Baſilium & Gregorium diceres) ſtudia officiaq; mea denuntiabis: quem ego virũ,
pro-

propterea nobis relictum puto, ne cum vno Hosio, omnis in patria nostra zelus, omnis pietas,& eruditio,extincta sepultaq; videantur. Deum precor, vt quam diutissime Ecclesiæ Dei commodet. Bene vale & nos quod facis ama,nec amare desine. Romæ Idibus Decemb. 1579.

ODE LVGVBRIS.

DE OBITV MAGNI HOSII CARDINALIS Varmiensis.

STANISLAI RESCII.

ECCLESIASTICI 44.

Laudemus viros gloriosos & parentes nostros in generatione sua. Multam gloriam fecit Dominus, magnificentia sua, à sæculo.



VIS meo fundet capiti liquorẽ?
Quis dabit fontem lachrymis scatentem.
Flerendũ mortem paro luctuosam,
Præsulis Hosi?

Tigris emittat gemitu ſtrepentes
Vortices, Phiſon riget ore lato
Mixtus Euphrati, tribus atque fletus
Vnda ſit vnus.
His Geon iunctus lachrymoſa pandat
Ora, diffuſis ſuper arua riuis,
Irriget latos lachrymando campos,
Viſtula præceps.
Axis à ſummo bipatentis Orbe
Depluat, cœlum grauidis opertum
Nubibus, cœlum pluat è recenti
Flumina rore.
Quid nites Titan? tenebras Polonis
Hæc dies adfert, Hoſium iacentem
Dum vides, albas piceo quadrigas
Obtege velo.
Nube ſub tetra lateat bicornis
Luna, funebres cieant querelas
Aſtra, deplorent miſerata mortem
Præſulis almi.
Præferant triſtes elementa luctus,
Nil ſit in cœlo vel in orbe lætum,
Gaudium mœret, ſubit ecce virtus,
Iura ſepulchri.
Mors Stanisſlaum fera Varmienſem
Præſulem, terræ columen Polonę,
Abſtulit nobis, rubei nitentem
Laude galeri.

Sed notis tantis quid erat necesse?
Vt semel dicas Hosium, iuuentus
Mille per annos oritura, notas
Arriget aures.
Surgit è matris gremio futurus
Fulgidum vitæ speculum, futurus
Forma virtutum, celebris futurus
Aetheris astrum.
Surgit vt candens rosa rore tacta.
Surgit vt spargens folijs odorem
Lilium, surgit velut excitatus
Rore hyacinthus.
Matris ex aluo veniendo, semper
Purior vitro, niue vixit alba
Albior; vixit magis & columba
Simplice simplex.
Hic iugo Christi puerile collum
Subdit, & stiuam capiens aratri,
Vt decet, sulcat bonitatis aruum
Vomere pacis.
Hic nouum seruans hominem, vetustum
Pergit antiquo spoliare Adamo,
Sic nouo tectus sacrosancta Iesu
Membra sub intrat.
Cordis ex agro tribulos reuellit,
Semen irrorat lachrymis in alta
Mente iactatum, geminas daturum
Tempore fruges.

Spiritu carnem domitat petulcam,
Ocium pellit gelidum labore
Feruido, ſomno vigili profundum
Pellit ocello.
Totus incumbit precibus beata
Regna ſuſpirans, fluidis in horas
Pectus irrorat lachrymis, iuuentæ
Vincit amores.
Non minus cœlum precibus fatigat
Quàm pio cultu lachrymis nigrantem
Abluit noctem, Sathanam repellit
Dulcibus odis.
Spe polo pendet, nihil eſt in Orbe
Quod velit, cenſus ſuper aſtra ſeruans:
Et Liam ſponſus ſimul & Rachelem
Caſtus amauit.
Ventre ieiuno famis atra diræ
Bella deuincit, ſuperans anhelam
Mox ſitim dulcis meditando IESV
Fel ſub aceto.
Rimulam tranſit velut anguis arctam,
Sub manu Saræ ſubigit ſuperbam
Agar, ad curſus agitat aſellum
Verbere inertem.
Diua ſcutatus monimenta Patrum
Sacra deguſtat rudimenta IESV
Deditus Marthæ, pia Magdalenæ
Suſcipit acta.

Ille

Ille doctores celebrandus inter,
Igne diuini rutilans amoris
Pectus errantum face veritatis
Irradiauit.
Hostis effectus Sathanæ, repletur
Spiritu Christi, capit arma, cæcas
Detegit technas, precibus maligni
Proterit artes.
Omnibus charus superumque Regi,
Nactus est illo tribuente dotes,
Quas ministrator Domini fidelis
Sparsit in omnes.
O quot à falsis fidei magistris
Saucios, arte vera medicauit?
O quot intactos per amœna Iesv
Prata cibauit?
Hic oues pastor vigil è periclis
Liberat multas, licet ore sicco
Acer, huc illuc lupus vsque circum
Cursat ouile.
Laurea fulsit gemina pudoris,
Et bonum famę retinens odorem,
Carnis & seruans animę decoram
Virginitatem.
Martyr est, carnem cruciando: virgo
Est habens pulchrę bona castitatis:
Doctor exemplis: calamo, loquela,
Instruit omnes.

Ergo iam laſſum latus hic reponit,
Hęc quies illi placuit laborum:
Pulchrior nullus locus eſt in Orbe
Nobiliorque.
Magne (te nomen decet hoc) Hoſi mi.
Magne ſpe præſtans, fide, amore Chriſti,
Magne doctrina, minimi clientis
Suſcipe dona.
Iamne abis? & nos properans relinquis,
Quos tamen ſola regione linquis
Semper adnixa, ſine fine tecum
Mente futuros.
Iamne abis? fœlix tamen & recedens
Semper huc ad nos animo recurre,
Eſto nobiſcum licet ad paternam
Veneris vrbem.
En tuam, Præſul bone, charitatem,
Orbis aut alter, neque mors reuellet.
Corporis vita, moriente, vita
Viuet à moris.
Vnde complexi ſine fine charum
Pectus hęremus laqueo fideli,
Quaque contendes comites feremur
Mente ſequaci.
Quando mortalis fueras, iuuaſti
Nos precum ſemper ſtudio tuarum:
Nunc poli ciuis tueare gentem,
Oro Polonam.

Patrię magnus pater es ruentis,
Tu ratem portu laceram reponis,
Hinc licet ſurgat Boreas,fermenſque
Hinc ruat Eurus.
Huius imprimis tibi cura Regni
Adſit,& clemens patrię faueto.
Sit fames,peſtiſque procul. Quieſcant
Aſpera bella.
Nonne tu nobis monumenta vitę.
Vita dum terris tua luxit alta
Voce prompſiſti? ò gregis alme cuſtos
O bone paſtor.
Gaudeo mundi iubar vniuerſi,
Quod meis vidi toties diebus,
Illud excellens decus omne dicam,
Vrbis an Orbis?
Sint Deo grates,quod amore tanto
Nos tibi aſtrinxit per operta vincla;
Vis vt internam valeat catenam
Rumpere nulla.
Pro datis magnis tibi,diue paſtor,
Seruitus quęnam poterit rependi?
Nulla compenſant precium ſalutis,
Vota precantum.
Namque te celſum meritis in altum
Culmen imponit precioſa virtus
Inq; viuentum ſuper vrbe magnis
Turribus addit.

In diem atque horam fine te mifellus
Nequior fio, vitiorum in omnes
Pronior fordes, facilem ruenti
Porrige dextram.
Pande, fi Refci eft tibi vita curę,
Vt fuit quondam, rutili corufcum
AEtheris callem,facra pande fummi
Oftia regni.
Auribus gratis,pater alme, tandem
Quas tibi laudes cecini libenter
Sume, nec fpernas modulos fideli
Pectore promptos.
Carminis leges amor aureorum
Nominum parui facit, & loquendi
Cura de fanctis vitiofa non eft,
Quamlibet infans.
Scis Deum nunquam potuiffe flecti
Voce peccantum, fer opem roganti
Diue defenfor,pia vota Iesvs
Ocius explet.
Vnicum Gentis decus o Polonę,
Hęrefum victor venerande,falue:
Sis falus nobis miferis,tuamque
Refpice gentem.
Impetra pacem populi, falutem
Corporum,vires animę, benignum
Aerem,gratam pluuiam, quietę
Commoda vitę.

Lex Romanorum.

Honoratorum virorum laudes in concione memorantor, easq; ad cantus, & ad tibicinem prosequantor.

FRANCISCO LOMBARDO CANONICO Neapolitano.

Epistola X I I I.

QVAM acerbè tuleris Hosij Card. sanctissimi viri planè διαβεβηκότου amissionem, ex tuis literis perspexi: neque vereor, ne magis amoris, quàm iudicij sit hoc, quod ei tribuis, testimonium. Erat enim Hosius maximum, & singulare viuendi, moriendiq; exemplum nobis propositum: atq; etiam isto nomine magnus in orbe Christiano semper est habitus; ita vt eius gloriç orbis angustus videretur. Hosio verò sublato, Ecclesia Dei confessorē,

reli-

religio propugnatorem, hęresis euersorem, antiquitas conseruatorem, nouitas depulsorem, populus doctorem, docti pręceptorem, falsitas oppugnatorem, Roma senatorem, patria consultorem, pastores exemplum, impostores aduersarium, pauperes refugium, oppressi solatium, claudi pedem, cęci oculum, orbis vniuersus in tantis tenebris lumē lumen clarissimum amisit. O misera, & calamitosa tempora. Hosi pater mi, Hosi pater mi. Non enim verebor, quod de S. Basilio scriptum lego, de te quoq; dicere, Columna, & firmamentum veritatis, Spiritus sancti domicilium, Arca virtutibus abundans.

Religionis altas, vox & manus altera Pauli,
Mors Lutheri, Cœli ianitor, orbis amor.

At tu quidem præsens es apud Dominum: nos autem quibus oculis tantam Ecclesiæ solitudinem aspiciemus? quæ enim pluuia ita maturo tempore in sitientem terram incidit? quæ aqua ex aspera rupe in deserto habitantibus erupit? Quod mare mortem, & seruitutem fugientibus ita subuenit? quæ tranquillitas fluctuantes tam oportunè recreauit? quàm tu nobis in tempore, imò Ecclesiæ Dei vniuersæ, patriæque tuæ carissimæ tempestatibus iactatæ, vitæ innocentissimæ exemplis, & eruditionis tuæ præstantia,

tia, sapientiæq; laudibus subuenisti, atq; succurristi? Num autem misereor Patriæ nostræ, quod in hoc valdè necessario tempore, in his communibus miserijs, & ærumnis, in his Regnorum, & Rerumpub. excidijs, & ruinis, in hoc Religionis naufragio, in hac tanta rerum omnium conuersione, tam certum calamitatum perfugium, rerum agendarum regulam, nauarchum peritissimum, ducem fortissimum, senatorem sapientissimum, &, vt sanctissimi Greg. XIII. Pont. Max. pleno iudicij, & maturitatis testimonio vtar, Columnam Ecclesiæ solidissimam, ex istius vitæ stationem, amiserit. Nisi quod ego quærimoniarum pelagus iterum ingredior, tibiq; molestiam adfero, cui leuationē doloris adferre decreueram: sed interest profectò omnium, qui pietatem colūt, scire, Hosius quis fuerit? Bonus enim doctor erat Hosius; faciebat quod docebat; ita vt, si ad res pro Ecclesia Dei gestas respexerimus, satis diù, & ætati, & gloriæ vixisse videatur: si ad vota singulorum, atq; ad præsentem Reipublicæ Christianæ statum, quandocunque tandem obijsset, parum vixisset; si ad memoriam operum, semper viuet. Quamobrem nō possum non vehementer probare consilium tuum, quod in ciuitate quoque Neapolitana,

na,quã ego totius humanitatis,& vrbanitatis domiciliũ ſtatuo,Hoſij Chriſti Ieſu veterani laudes,promulgare decreuiſti: in cuius vita licet neq; martyrium, neque miracula, præter illa notiſsimis ſcripturarum teſtimonijs commendata, quia poſt aurum non abijt,nec ſperauit in pecuniæ theſauris, cõmemorare poſſumus: vitam tamen martyrio plenam,aſſiduiſq; curis,& laboribus pro pace Dei Eccleſiæ ſuſceptis, attritam, atq; laceratam oſtendere poſſumus. Habebis illum viciſſim in conſpectu Dei interceſſorem, cùm ipſe te habeat in terris integritatis, & innocentiæ ſuæ laudatorem. Benè vale, noſque,qđ facis, amore illo tuo ſingulari amare ne deſine: non eſt enim quod nobiſcum hoc tẽpore eſſe magnopere velis: neq; enim eum videres,quem reliqueras: non eum,quẽ noras: quem ex Vrbe proficiſcens dimiſeras: ne veſtigium quidem eius, nec ſimulacrum,ſed quandam videres effigiem ſpirantis mortui.Quæ enim per Deum vita in Hoſij penè ſinu, & gremio educato, vitalis eſſe mihi ſine Hoſio poteſt? qua fronte, quibus oculis meminiſſe potero ei vitam ademptã, qui mihi vitam dare ſolebat? qui ſolus propemodum vti vita rectè ſciebat? qui vita di-
gnus

gnus erat immortali ? Quamobrem etiam nil aliud in hac misera vitæ ratione, in hac ingratissimæ lucis vsura, magis esse mihi cu randũ video, quàm vt ne curem, iuxta illud, ῥόδον παρελθὸν μηκέτι ζήτει πάλιν, vel iuxta sacræ Scripturæ testimonia, cogitemus quod nos ibimus ad ipsum, ille autem non reuertetur ad nos. Verùm ego longior sum, quàm initio decreueram, aut quàm me fore putaui: In causa est, quod nunc quoque Hosium magis, quàm aerem spiro, & eo solo viuo, quod cum eo adhuc esse videar. R. Patrem Salmeronum rogo te verbis meis valde saluere iubeas; & exemplar literis nostris adiunctum, cum omnibus verborum ornamentis, offeras, neque illius orationibus, & sacrificiis præcipuè commendes, ac tuis quoq; etiam, atque etiam commendatum habeas. Romæ Nonis Maij 1580.

Rosá pteritã nequaq̃ querere iterum.

STA-

STANISLAO SOCOLOVIO, S. P.

Epiſtola XIV.



FAMAM illuſtrem, quæ de te, Socoloui, conatibuſq; tuis, pro Eccleſia Dei ſuſceptis, conſtanti omniũ ſermone, ab his prædicatur, qui in Vrbem ex Aula Regia veniunt. Equidem admiratus ſum fuiſſe hominem, qui te ab iſtiusmodi ſtudijs, & occupationibus abducere conaretur: quæ viam ad beatorum ſedes, atq; ad memoriam hominum ſempiternam munire parareq; exiſtimantur. Nam ſi intereſt Eccleſiæ Dei commodis, & vtilitatibus inſeruire, de ſalute proximi ſollicitè laborare, conſilijſq; peſsimis Chriſti perduellium Hęreticorum, qui nil aliud, niſi vel Regum, vel Legum interitum meditantur, ſeſe opponere: nullum videris conſilium ſuſcipere potuiſſe commodius, quam vt in Aula Regis Stephani viueres, in qua de ſumma rerum omnium conſilia ineuntur. Neque

enim

enim de te metuendum mihi video, ſi modò te rectè noui, (noui autem) ne deprauatos Aulæ mores tibi proponas imitandos; qui in virtutis ſtadio, vitæ curſum omnem confeciſti, nec vllis te vnquam temeritatibus obtuliſti. Cur enim illam florentem ætatis partem in Academio puluere, vnde tu, ais, iter in cœlum rectius, in illa virtutum palestra, in qua vir bonus diſcitur, magnorumq; virorum ſeminario tranſegiſſes? niſi vt te nulla mala exempla deteriorem, tu tuis bonis exemplis, multos poſſes facere meliores? Arundines & tenera arbuſta, vndecunq; afflauerit ventus incuruat: at ſolidas arbores, quæ radices in alto fixerunt nonniſi rarò validiſsima tempeſtas euertit. Poſſem fortaſſe de te timere, ſi primum tantùm Philoſophiæ limen ingreſſus, in altum illius non deſcendiſſes: Si ſumma tantùm extremis quod aiunt laboris decerpere (quod multis in patria noſtra ſolemne eſt) exiguumq; illi tempus, quaſi aliud agentem impendiſſe, te viderem. Nam qui iſtius modi ſunt, nimis citò ſibi placent, ſtatim vt blandulos adulatores inuenerint; qui bonos vires proclamēt, qui doctos, ſapientes, eloquentes: laudibus ſuis illico aſſentiuntur, etiamſi ſciant illos ipſos ſæpè multa falſa dicere: nec etiam du-

bitant,illotis,vt aiunt,manibus in arenam profilire,morumq; se,quos non habent,magistros,& præceptores profiteri. Atqui dies suos in Christianæ Philosophiæ præceptis, & vitæ rationem in cultu pietatis transegerunt; semper & vbique sui esse similes consueuerunt: & siue in Aula versentur, siue in Academia viuant, siue in paupertate, siue in diuitijs,siue in patria,siue in exilio: pedē à cursu virtutis nunquam referunt: ita vt, quocunq; tandem insaniæ genere vulgus laboret,cum in eos inciderit, non magis proficiat,quā proficit tenuis, in alto mari nimbus. Stet licet ad latus carnifex, fixas cruces,parataq; supplicia teneat: ignes, scorpiones, vngulas expediat, vir bonus sui esse similis non desinet: nec quid passurus, sed quid facturus sit aspiciet: præcisis quoque manibus, & omni agendi facultate spoliatus inueniet: in quo proximo ciuibusque suis commodet. Stabit enim & clamore iuuabit,& si quis fauces oppresserit, stabit tamen,& silentio iuuabit. In summa,quocunque loco,quacunq; dignitate,quacunq; fortuna fuerit, nunquam esse poterit inutilis opera viri boni. Auditu, visu, vultu, nutu, incessu proderit: & erit,aliquid quod ex illo vel iacente proficias: tantum abest, vt à

cultu virtutis, optimisq́; consilijs: perditorum sibilis & exemplis abducatur. Nil itaq́; metuo de te Socoloui, ne tibi corruptos Aulæ deprauatæ mores imitandos proponas. Hoc enim in illorum mores cadere consueuit; quos odium inuidia; spes, metus, contemptus: quinq; Curiarum pestes, de statu mentis dimouerunt: contra quas, quicunq; remedia ex sacrarum litterarum lectione didicerunt; scopulos effugient, & inter procellas Aulæ fluctuantis, non aliter ac in tuto portu nauigabunt. Odium autem vitare, difficile non erit homini, qui mortalium neminem, vlla vnquam lacessiuit iniuria. Inuidiam effugiet; qui sese hominum oculis non ingesserit: qui bona sua non iactauerit: qui sciuerit de eo quod habet in sinu gaudere. Spem porrò improborum præcidet, si nil insigne possederit; nec quicquam habuerit, quod alienam cupiditatem irritare queat. Concupiscuntur enim insignia, etiamsi parum nota sint. Vt autem ne timeatur, præstabit hoc fortunæ mediocritas, & ingenij lenitas, cum homines talem esse cognouerint, quem offendere sine periculo possunt: cùm reconciliationem illius, & facilem, & certam esse senserint. Contemptus autem etsi in Aula ad tolerandum adeò difficilis

videatur; vt plerunq; generosos animos ad improba consilia irritet, tamen & iste magnam securitatem afferet, placidè moderateq; ferentibus. Nemo enim homini contépto pertinaciter, nemo diligenter nocet. Quem quis contemnit non calcat proculdubio, sed transit. In acie quoq; iacens prȩteritur, cum stante pugnatur. Quamuis nõ magis sacerdotem contemni posse putes: quam cum ædium sacrarum ruinæ calcantur: quas religiosi homines, etiamsi iaceãt, æquè tamen ac stantes adorant.

Iam verò quæ maior esse pœna posset Sacerdotis boni, si Aulæ asseclas omnes propterea odisse deberet, quod ab illius moribus, vitæq; institutis dissentirent? nihil profectò illius esset animo ærumnosius. Omnis enim illi vita per iracundiam mærorem que transigenda veniret. Quod enim momentũ erit, quo non multa vbiq; omnibus calculis improbanda videat? Quoties domo sua in curiam processerit, per auaros illi, per ambitiosos, per luxuriosos, per prodigos, per impudentes, & hoc nomine fœlices reputatos, transeundum est. Deficeret, si toties irasci vellet, quoties irascendi causas inueniret: cum præsertim nè inter istos quidem, quos ob cristas, & balteum admiramur vlla con-

conſtare pax videatur. Fœlicem oderunt, infœlicem contemnunt, maiore grauantur, minori graues ſunt: & velut in quodam ludo gladiatorio, cum ijſdem viuitur, & cum ijſdē pugnatur. Ambetio enim ambitionē, & ſpes ſpem excitat, ac ſæpè fit vt omnia ꝑdita ob leuem prædam voluptatemque cupiant. Non iraſcendum tantum, ſed inſaniēdum eſſet; ſi ad omnia omnium flagitia, & ſcelera animo commoueri deberet. Quin potius Sacerdos, nil timens, niſi Deum; nil ſperans niſi à Deo; placide ſeſe, leniterque ad omnes iſtorum errores adhibebit: tātoque magis amabit hominem, quantò magis deteſtabitur errorem; & omnes in vniuerſum ſociorum cupiditates tam æquis oculis aſpiciet, quam aſpicit ægros ſuos medicus. Et licet, in publicum, vt ita dicam, miſſam nequitiam viderit; itá vt innocentia non tam rara, quam nulla ſit: etiamſi vitia in mores hominum abierint; ita, vt ſcelera non ſolum delectent, ſed etiam placeant: vir tamen bonus; poſtquàm ſemel artem omniū præſtantiſſimam didicerit, prodeſſe: poſteaquam ſibi pacem fecerit, nil timendo: diuitias parauerit, nihil concupiſcendo, tanquā ſi telis, & ſcutis omnibus armatiſſimus eſſet, in publicum prodibit, ciueſq; ſuos ab

omnibus pestibus,quibus animos eorum infectos inuenerit,toto conatu vt liberet, laborabit ; alios re, alios fide, alios gratia, alios consilio, alios præceptis adiuuando: omnes in vniuersum Christiana charitate tolerabit. Sacerdos enim velut communis quidam pædagogus humani generis existimatur;& quanto magis gloriam Dei, & salutem proximi amabit; tanto se propius velut quidam pius medicus ad lectulos ægrotantium adiunget: & læsas prauis moribus conscientias, quasi venam tangens, salutaria remedia non solum monstrabit, sed etiã admouebit: sollicitus assidens, ad suspecta tempora occurens; nullum illi ministerium oneri, nullum fastidio erit: vt, quæ dicit, in ægri animum descendant; vt non delectent, sed vt prosint. Hunc talem, tamq; diuinum virum, quis dixerit in Academico puluere,& in tacito aliquo, licet Sancto secessu perpetuis temporibus occultandum? Meministi proculdubio, quid aureum illud os,quodam in loco hac ipsa de re scripserit. Quod si quis,ait,existet qui admiretur, laudetq; sacerdotem eum, qui sibi ipse viuens domi se contineat, ac multorum consuetudinem vsumq; auersetur; equidem hoc pacientiæ specimen aliquod esse dixerim non

tamen

tamen idoneum id argumentum virtutis omnis eius, quæ illius animo inesse debet, affirmauerim. Neque enim si, cum obdormirem, non deliqui: neq; si cum non colluctarer, non cecidi, neq; si cũ non depugnarẽ non percursus sum, mirari oportuit. Gregorium quoque Nissenum, cum sibi leuis, & inconstans videretur, ob crebram locorũ mutationem, sicut ligna quæ aquis feruntur, his verbis cõsolatur & defendit Gregorius Nazianzenus: Nequaquam vir egregiè, nequaquam ità affectus esto. Illorũ enim coactus est cursus; tua verò discursatio Deo grata est; fixumq; ac certum est, de multis bene mereri, quamuis loco minimè fixus sis: nisi verò quis solẽ accuset, quia in orbẽ currit radios fundẽs; atq; omnibus rebus quas peragrat vitã afferens: Aut etiam sydera fixa laudans, planetas vituperet, quorum ipse quoq; error compositus est, atq; concinnus. Illud quoq; proculdubio meministi; quid olim, præclarus ille Aphraates fecerit, & quod præterea Valenti Imperatori responsum dederit exprobanti, quod in Ciuitatem ex solitudine venerit. Si pax, inquit, Christi ouibus esset, domi manerem, ibiq; quietè confidens, pro Imperio tuo orarem. Sed cũ multa insaniæ caligo, loca viamq; occupa-

 uerit;

uerit; & maximus insuper subrepat timor ne à feris oues dilanientur, necessitas mihi quoq; incumbit; vt vigilem, omnemq; funē moueam, ne quod grex Christi capiat detrimentum. Sic etiam laudatus ille Iulianus, solitudine relicta Antiochiam venit, vt aduersariorum redargueret mendacium, & veræ fidei doctrinam deprædicaret. Idem fecit Flauianus & Diodorus, & Magnus ille Antonius Monasticæ vitę professor, Constantis temporibus. Nemo, ait saluator, lucernam ponit sub modio, sed super candelabrum, vt omnibus luceat. Laxum quippe spatium, res magna desiderat. Ipsi quoq; muti greges, aut maxima corpora sequuntur; aut vehementissima: non sequuntur armenta degenerem taurum, sed qui magnitudine torisq; cæteros mares superat: Elephantorum gregem excelsissimus ducit; sic & homines optimum quemq; & innocentissimum Sacerdotem, quacunq; duxerit, ijsdem vestigijs non inuiti sequuntur. Quamobrem etiā maximi, & sapientissimi Principes, cum viderent quantam secum vim remediorum traheret magnorum & intelligētium virorum consuetudo, ad explicanda Reipub. cōsilia: atq; ad res arduas, & difficiles expediēdas: quos ingenij sapientiæq; laudibus abū-
dare

dare cognouerant, eos in Aulam euocare, lateriq; suo adiungere, atq; in suis intimis habere, non vtile solum, sed etiam honorificum existimabant.

Ita Cræsus Anacharsim ad se pertraxit; ita Antiochus Phormionem; ita Dionysius Platonem: ita Alexander Aristotelem summo in honore habuit. Ita Reges Aegypti Menandrum. Ita Antonius Frontinum; ita Traianus Prusseium, & Dionem, ita Vespasianus Salenum Bassum Poetam: & à Octauianus Arrium Philosophum ita Rex Vngariæ Mathias Volateranũ: ita Robertus Siciliæ Rex Petrarcham: ita Sigismundus primus Miechouitam, ita secundus Hosium, & Cromerum: sed quid aio? Veritas odit moras; ita te quoq; Socoloui, Rex sibi Stephanus adiunxit. Et illa præterea sæculi nostri lumina, Muretum dico: Vrsinum, Sigoniũ, Belarminum, Flaminium, Gregorium de Valentia, vt ad se pertraheret, magna contentione, magnisq; propositis præmijs laborauit. Scitum est illud Theodosij, quod interoganti cuidam respõdit; quibus nam artibus assequi Princeps possit; vt & optimus, & sapientissimus euadat? Si, inquit, & foris, & in conclaui; & in cæna, & in ambulatione; & in pace, & in bello; bonorum & intelligẽtium

con-

consuetudine delectabitur: cum ijsq; quotidie viuat.

Nec est, quod te ab Aulæ consuetudine calumniantium voces auertant; qui dicũt, opum causam Sacerdotes bonos in curia viuere: lucrum quæri, salutem animarũ prætexi. Tametsi enim Dei Regnum quærentibus, adijci cætera plerunq; consueuerunt: non propterea tamen ab illis Aula petitur, non enim illa quærit Sacerdos, sed & illa ve niunt: non propter illa, se principibus viris adiungit, sed labor eius dum salutem animarum quærit, illa quoq; inuenit. Sicut qui in sole ambulat, etiamsi non ob hoc ambulet; fit tamen nescio quomodo vt coloretur; Sicut in aruo, quod segeti proscisum est, aliq; flores internascuntur, nõ tamen huic herbulæ, quamuis delectet oculos agricola tãtum opere laborisq; impendit: aliud fuit aranti, serentiq; propositum: hoc superuenit. Sic igitur & opes, & honores non sunt merces, & causa laboris, sed accesio. Dum scilicet vitæ præcepta seminantur; vitæ commoda, velut flosculi internascuntur; sicut qui pauimenta verrunt, & gemmam inueniunt.

At paucis Sacerdotibus idẽ est finis propositus? Vtinam esset. Sed interea quoque videmus: quod in eodem prato medicus bonus,

nus, elleborum; malus, ac onitum inuenit: in eodem prato, bos herba, puella florem. Canis leporem, Ciconia quęrit lacertã. Quamobrem si qua ad illum dignitas, si opes, & fortunæ venerint, non ea respuet; sed velut externum quid, & alienum, hospitio grato recipiet, adeoq; abstinenter vtetur, vt suas esse magis audiat, quam sentiat. Et si quę potestas summa cũ auctoritate oblata fuerit, eius priuilegia semper in salutem, nunquam in cuiusquam pernitiem, & exitium explicabit.

Inde porro videmus, quod in Repub. bene constituta sacrorum Antistites, terrenis opibus abundantes, primos etiã teneant dignitatis, & honorum gradus: vt in opibus quidem exerceant, & doceant domandæ cupiditatis artificium, & in potentia prosint oppressis. Quis enim alius magis opibus dignus est, quam qui opes contempsit? Tutò Christi patrimonium committitur: qui suũ reliquit: & hoc cum animo suo constitutũ habuit: quod etiam sine illis rectè & ex virtute vitã duceret: & si fortè ad se venissent, eas tanquam cras abituras semper aspiceret. Nam cum Sacerdos bonus velut quidã artifex domandarum cupiditatum censeatur, & in exemplum generi humano datus

fit; quæcunq; illi materia obuenerit, in qua animi sui vires exerceat, eam æquo animo semper amplectetur. Quis autem dubitat? maiorem esse cāpū, ad vim virtutis ostendendam in omnium rerum affluentia quam in paupertate? In hac enim solùm hoc requiritur, non inclinari, non deprimi, non deijci, de gradu constantiæ, non deturbari: sed fortiter & viriliter contra omnes fortunæ impetus consistere. In opibus autem & in omnium rerum affluentia, & pietas vtentis, & liberalitas, & Prudentia, & Temperantia, & Magnificentia, & amor proximi apparebit. Præclarus quidem est cui cum paupertate benè conuenit: sed magis suscipiendus est, qui in diuitijs pauper est: qui argento vtitur, vt fictilibus: & fictilibus, vt argento: qui tam benè culmo, quam auro tegitur: tam bene rustico, quam tenero pane satiatur.

Rectè igitur maiores illi nostri optimi, & Sapientissimi viri, Sacerdotes Christi, his quas vidimus opibus, & hoc in patria loco, atque ordine dignandos esse in Repub. censuerunt: vt essent velut custodes rerum cōmunium, vt reliqui haberent quos respicerent; quos consilijs & cogitationibus suis interesse quodammodo sentirent. Tutissimum enim est sub disciplina bonorum viro-

rum

rum viuere., & eos tamquam ſemper aſſiſtens, noſtraque omnia ſtudia, & conſilia inſpectantes, cogitare. Vult enim Deus opera ſua eminere: vult ſeruorum ſuorum virtutes in oculis hominum verſari. Luceat, ait, lux veſtra coram hominibus. Quid enim vir optimus, virtutiſq; cultor conſtantiſſimus, & conſilijs publicis ſeſe ingereret; & medendis Reip. Ciuiumq; ſuorum vulneribus inſudaret; ſi parum dignitatis, parum auctoritatis, parum virium haberet? Non ſuſcipit vnquam ſuperuacanea conſilia vir ſapiens; nec operam ſuam rebus non profuturis impendit. Quem Deus morum magiſtrum & præceptorem humani generis deſignauit, cur detraxiſſet poſſe quod iubetur? Nil poſſe ait ille, hoc eſt mortuum viuere, nil curare, hoc eſt inſanum eſſe. Rectè dixit tuus ille quondam poæceptor, & magiſter Ariſtoteles. *Ἀδυνατον γὰρ ἢ οὐ ῥάδιον τὰ καλὰ πράττειν, ἀχορήγητον ὄντα: πολλὰ μὲν γὰρ πράττεται, καθάπερ δι' ὀργάνων. καὶ διὰ φίλων, καὶ πλούτων, καὶ πολιτικῆς δυνάμεως.*

Impoſsibile enim nec omninò facile bene operari ſine pecunia: multa enim fiunt tamquàm per organa, & per amicos, & per diuitias, & per polyticam poteſtatem.

Et

Et videmus vbi à consilijs publicis amoti sunt Antistites, suaq; illa dignitate, autoritate, opibus despoliati, quam in paucis spes, quam in paucioribus facultas remanserit subleuandæ Religionis, quam in multis sit audacia, quam minor facta est hominum ad quiduis audiendum verecundia. Scit infęlix Anglia, experta est Scotia, quã certam quam luculentam plagam acceperit Religio Christiana, statim vt ordo Ecclesiasticus de suo gradu fuit deturbatus. Sicut ergo non contemnet seipsum vir sapiens, etiamsi fuerit minima statura, esse tamen se procerum vellet; & exilis corpore valebit; malet tamen sibi corporis esse robur: & amisso oculo, pedeq; iucundè viuet, malet tamen id ipsum integris omnibus membris facere. Ita nec opes, nec honores contemnet, Christi Sacerdos: etiamsi sciat sine illis securè, beateq; se posse viuere; sed sic illis afficietur, & exhilarabitur; sicut nauigantes, secundus, & ferens ventus exhilarat, sicut ambulantes dies temperatus, & in pruina, ac frigore apricus locus recreat. Sicut colossus molis suæ magnitudinem seruabit, etiamsi in puteo iaceat; pumilio vicissim, etiam in excelso mõte erectus, pusillus est: Sic magni viri animus, & in paupertate, &
diui-

diuitijs ſui ſemper erit ſimilis; nec vlla vnquam egeſtas, opera eius propria prohibebit,ſed ad alios tantum pertinentia: Non poterit ſe malorum conatibus opponere: Stultorum conſilia diſsipare: inopum egeſtate ſuccurrere: oppreſſos iniurijs liberare: hoſtes à ciuilium vigulis propulſare. In ſumma, Solem humano generi detraxeris, ſi facultatem exercendæ virtutes in foro, in Curia, in Repub. Sacerdoti bono negaueris: ſi ad vitam priuatam, vmbratilem, & inopem relegaueris. Scitum eſt illud Homeri.

Αἰεὶ δ᾽ ὁπλοτέρων ἀνδρῶν. φρένες ἠερέθονται
Οἷς δ᾽ ὁ γέρων μετέησιν, ἅμα πρόσσω, καὶ ὀπίσσω
Λεύσσει ὅπως. ὄτ᾽ ἄριστα. μετ᾽ ἀμφοτέροισι γένηται.
Semper verò iuniorum virorum mentes pendēt,
Quibus verò ſenex interfueret, ſimul præſenter
& futurè
Proſpicit; vt valde optimè cum vtriſq; agatur.

Sed ſæpè aiunt ipſi Rectores errant. Quis negat? ſed ſæpiùs rectè ſentiunt. Num eſſe homines deſierunt,cùm in hunc ordinem aſſumerentur. In vinea benè culta fertilique, non omnia quæ ſunt, vites ſunt: ſunt enim & arbores infructuoſæ,ſunt & arundines leuiſsimæ, quæ ſuſtentant vites: & tamen nec ſine vitibus, nec ſine arundinibus vel alijs

vitium

vitium ſuſtentaculis eſſe vinea poteſt.

Dormitat aliquando,& paſtor, & gubernator, & vigil, & cuſtos; num ideò, quia lupus ouem rapiet, tempeſtas nauem opprimet, hoſtis in Ciuitatem irruet, latro carcerem effringet; ſine paſtore ouem,ſine gubernatore nauem,ſine vigile ciuitatem,ſine cuſtode carcerem relinques? Improbi ac impotentis animi argumentum eſt, nonnullorum errores, infirmorum oculis obtrudere, vt & ipſi peruertantur: & egregia multorum benefacta tenebris inuoluere, ne exemplis emendentur. Sic lucidum ſolem, propter nocturnas tenebras: ſic Lunam propter Ecclypſis incommoda:ſic ſtellas propter diei claritatem ex omni rerum vniuerſitate tolleres. Iniquum eſt, propter paucorum vitia,vim virtutis opprimere: & propter aliquorum errores; omnibus calumnijs venerandum ordinem ſanctorum Sacerdotum lacerare. Si poteſtis bonos viros laudate,ſin minus præterite. Quod ſi vobis exercere tetram iſtam licentiam placet,alterum maledictis cõfigat. Nam cum in Deũ, Deiq; miniſtros,verba iſta inanitatis pleniſſima iactitatis; non dico ſacrilegium facitis, ſed operam perditis. Quod ſi omnia quæcunque vel videtis,vel auditis,nullo adhibito

hibito iuditio trahere ad inuidiam volueritis,quotus quiſq; Apoſtolorum erit,quem non lacerandum putabitis? Obijcietis proculdubio & Petro Apoſtolorum Principi, quod hominem necauerit, quod cum gentibus manducauerit,Simonem aſperis verbis obiurgauerit,quod è carcere exiuerit, Paulo, quod alium Sathanæ tradiderit; alium Anatemate damnauerit; alium cæcitate ꝑcuſſerit; quod ex muro dimiſſus fugerit; qđ Galatas ſtultos, Cretenſes mendaces vocauerit; quod Petro Apoſtolorum Corypheo in faciem reſtiterit. Obijcietis omnibus in vniuerſum Apoſtolis, quod inter ſe de primatu contenderint: quod precia poſſeſsionū ad pedes proiecta receperint; Sed ò vos maxime fælices, cum vobis eius generis vitia imitari contigerit. Facilius enim, quiſquis obiecerit,vitia fecerit honeſta, quam turpes Apoſtolos. Quamuis quo minor iam Stephano Rege facta eſſe dicitur, in patria noſtra ordinem Eccleſiaſticum proſcindendi,vexandiq; licentia: quo remiſsior luxuria;eo tibi debent videri leuiora Aulæ incōmoda: vt alia quoque vitia tuis concionibus ſublata,moreſq; maiorum reſtitutos videamus.

Nec ideo manus erit remittenda, quod

non ſemper fortaſſe, quod ſeminas prouenie; Non reſpondeant potius, quam non ſeminentur beneficia: & poſt malam enim ſegetem ferendũ eſt: forte vnius anni vbertas, multorum annorum ſterilitatem compenſabit. Etiam poſt tempeſtatem nauigantur maria, & aliquando fit, vt fumãte adhuc tepenteq; area, noui ædificij fundamenta fodiantur. Cuius rei euentus incertus eſt, vt aliquando ſuccedat, ſæpè tentandum eſt. Quo magis facies vt tetra iſta errorum & vitiorum portenta quæ homines audacia, & licentia præfidentes, in patriæ pernitiem direxerunt; tantò etiam liberius, & libentius orationis tuæ vehementia, verborumq; ſpiculis, & ſententiarum quibus abundas grauitate comprimas atque conficias: quantò ſecurior es, Regem Stephanum auctoritate poteſtateq; ſua, quæ ſumma eſt, omnia tentaturum, vt maiorum noſtrorum, qui nouos iſtos recenteſq; Deos ignorauerunt, & in vitæ rationibus ſumma moderatione vſi ſunt, ſimus quam ſimilimi. Iſtiuſmodi enim ſtudijs, & artibus perdiſcendis, tempus omne ſuum occupatum tenebat; vt & in pace dignitatem tueri valeat; & in bello victoriam conſequi: & in omni negotio cautè verſari: & in ocio tranquillitatem retinere;

re; & omnibus in rebus, ita ſeſe adhibere, vt ſubiecti imperio ſuo populi, ſumma conſenſione ſeſe illi regendos committant: & in illius virtute, bonitate, prudentia, clementia, exiſtiment eſſe ſibi firmiſsima vitæ, ſalutis atque dignitatis prꝑſidia conſtituta. Neque enim caſu, aut in triuio Rex bonus, orbi Chriſtiano naſcitur. Dominus eſt, qui quando vult, ex lapide quoque ſeruos ſibi fideles ſuſcitat. Tardè, ait Ethnicus, quæ magna ſunt, prouenire conſueueruut, mediocria verò, & in turbæ numerum referenda, quotidie producuntur. Eximia, ipſa raritas commendat. Ante regnauit vitijs, quam nobis; ante cupiditates refrænare, quã hoſtes vincere didicit; nũc paratis bonis vtitur. Quid autem negotij eſt continere eos in offitio quibus præſis, ſi te ipſe contineas? Infælix æger, in quo medicus artis ſuæ experientiã tentat: multorum dum diſcit, funera numerabit. Nos verò fœlices, & beatos; poſtea quam morbis noſtris, non ſpe & expectatione, ſed re & veritate ſciens, & expertus medicus contigit. Non diſcet in Repub. noſtra prudentiam, ſed oſtendet: non diſcet Temperantiam, ſed faciet: non diſcet Fortitudinẽ, ſed exercebit: non diſcet Iuſtitiam, ſed adminiſtrabit. Nobis enim hæc omnia naſce-

bantur: nobis illa omnia acquisita nobis laborata, parataq; fuerunt. His comitibus stipatus, velut sydus quoddam, nobis ortus est. Hoc videlicet in eo Deo prouidente, quod non semper priuatus futurus esset. Isto ergo Duce foris armato, domitogato, quid ni tu impetum in publica vitia facias? & quia instruenda vitia est exemplis illustribus; noli iam ad vetera, & externa confugere. Detrahit patriæ maiestatem suam, qui fortia ciuium facta, quæ in luce collocari cupiunt, silentio prætermittit. Discant potius à suo Rege subditi pietatem colere; ius ex æquo dicere; non variari gratia: cupiditates con tinere: suos coercere: aduersarijs parcere: pericula contemnere: rebelles castigare. Discant temperanter viuere: otium detestari: sobrietatem colere: delicias odisse. Discant esse faciles in rebus cognoscendis: in hominibus audiendis admittēdisque: lenes esse in discernendo: diligentes in satisfaciēdo. Discant esse humiles, affabiles, comites: semper prodesse: nunquam obesse; nisi cum eius, cui cōsulitur, interest. Postquam enim illi consensus hominum magnam personam imposuit, multum ab eo exigūt, multum expectant. Interest ergo sciri, quid prosit. Interest istam virtutem, moderationem animi,

mi, temperantiam; istam pietatis, & sapientiæ coniunctionem, non latere in tenebris, neque esse abditam. Quis autem eius potentiam non amauerit? quis si per stragem humanam iter illi ad salutem aperiendum esset, substernere corpus suum detrectauerit: & illic se suaque omnia proijcere, quocunq; desiderauerit salus illius, quem tam pro se, quam supra se, scit esse? cuius vigiliæ, omnium domos; cuius Prudentia, omnium fortunas; cuius labor, omnium otium; cuius industria, omnium delicias; cuius occupatio, omnium vacationem defendit? qui cum se Regno Poloniæ dedicauit; sibi eripuit. At ordo noster, quem Ecclesiasticum vocant, plus etiam debet, tam salutari potentiæ: sub cuius tutela positus, Deum securè maiorum ritu veneratur: & fraudibus atque insidijs hæreticorum minus quam antè obnoxius esse dicitur.

Sicut enim mercator, nauis gubernatori plus debet; qui plura, & præciosiora vehit: & impensius illi gratus est; qui gemmas, & purpuras, & auri ponderibus æstimanda portabat: quam qui vilissima quæque, & suburræ loco futura, congesserat. Sic ista benefitia, quibus Stephanus Rex patriam nostram afficit: licet ad omnes pertinent plus

tamen illi debemus nos, quibus cœleſtia talenta credita ſunt; vt operemur in eis, & alia ſuperlucremur: quam qui vitæ ſuæ tempora in luxu, & in popinis, & in ſtudijs inanitatis, tranſmittere conſueuerunt. Quamobrem noſtræ partes erunt, Deum ſedulò pro eius incolumitate deprecari: cuius imperio ſi non tenemur; fortaſſe nullam à nobis, neque belli externi, neque domeſticarum diſcordiarum calamitatem abfuturam videremus: Hoc autem ſaluo, & omnibus qui in ſublimitate ſunt, quietam per Dei gratiã, & tranquillam vitam agemus, in omni pietate & caſtitate. Nam & in reliquis etiam Reipub. vulneribus ſanandis, præclari quidem conatus Maieſtatis eius audiuntur: ſed geſta res, & omnia ab eo ſumma expectantur. Et hoc tamen, inter voluptates eſt, ſupereſſe quod ſperes. Quanquam ea quidem, quæ de Rege ſcripta ſunt, non vt tuum erga illum cultum, & obſeruantiam excitarem ſcripſi. Nec enim tua Prudentia, mea præcepta deſiderat. Sed me in ſcribendo, præclariſsimarum virtutum quæ in eo eluceſcunt, commemoratio magnopere delectauit: ita, vt longior eſſem quam vellem, aut me fore putaui. Te autem ad extremum non poſſum iterum, atque iterum non hortari;

vt ne contrahas aut demittas animum;neúe te obrui Aulæ incommodis, & magnitudine laboris ſinas: ſed facias, quod perpetuò feciſti; vt tuam illam mentem,curam cogitationem vehementius incites: & quæ in patria noſtra pullulant; hæreſibus, maliſque moribus occurras, meq; amore illo tuo ſingulari amare ne deſinas, & ſi me valere vis, tuæ valetudini diligentiſsimè ſeruias.

Eius epiſtolæ prolixitatem defenderem; niſi illam facere vererer defendendo prolixiorem. Ora Deum pro me, frater dilectiſſime, vt ne verba mea contra me ſint in die iuſti iudicij: ſed vt antequam moriar, moriantur in me vitia. Nam & ego tibi, cum ad altare Dei apud memorias Martyrum, licet indignus aſsiſto, idem charitatis officium impendo. Datum Romæ 30. Octobris 1577.

STANISLAO KARNKOVIO ARCHIEPISCOPO GNESneń. Regni Poloniæ Primati, Primoq; Principi.

Epistola XV.

NVLLAM occasionem lubens prætermitto, qua probare queam R. D. Vestræ, meo ergo illam studio, & obseruantia, nihil esse posse feruentius: quo minus molestè feret, si crebrioribus litteris curas R.D.V. Ecclesiasticas, & cogitationes ad Rempub. pertinentes interpello: cùm præsertim ab illo curioso scriptionis genere abstineam, quod de rebus alienis, & inanibus otiosè fabulatur. Scio quod in ore sæcularium nugæ, nugæ sunt, in ore sacerdotum, blasphemiæ: procliuisque est ad noxia transitus ei, qui otiosum verbum non reprimit. Scripsi R.D.V. institu-

tam

tam fuisse Iesabelis Anglicæ auctoritate, in castro Londinensi disputationem, inter P. Campianum Societatis Iesu Theologum, & aliquot Ecclesię malignantium superintendentes: inter quos præcipui fuerunt Hamerus & Charcus. In qua, pars aduersariorum erroris, & impietatis cōuicta, ita succubuit: vt sol ipse noctis obscuræ tenebras magis illustrare non posset, quam eorum fraudes, ab illo Christi Confessore patefactæ fuerūt. Vnde factum est, vt Catholicorum animi, ad spem pristinæ libertatis recuperandę vehementius exaserint, omniq; pęnarum, & cruciatus metu postposito, apertè deinceps Christum confiteri cęperint, Pater autem ille, cùm esset confessionem omnium pulcherrimam coram Regibus terrę confessus: iterum est compactus in carcerem, de cuius vita, quid potestas illa tenebrarum statuerit ignoro. Sed peruenit in manus meas libellus illius, quo ministris patrię suę, quos Academicos vocat causam sui in patriam aduentus recenset; simul etiam errores, quibus irretiti sunt, & in quantis tenebris ac veritatis ignoratione versarentur, euidenter ostendit: cuius ego lectione, cum essem vehemēter oblectatus, ad offitiū meum, & obseruantiam erga R.D.V. pertinere putaui,

taui,vt eiusdem voluptatis ipsam quoque, participem facerem. Quamobrem quædam ex eo capita excerpsi, (exemplar enim vnicum tantùm habui, quod à multis cupidissimè expetebatur) quæ plenum animum Euangelicæ, & Apostolicæ libertatis, & verè Christianę charitatis argumenta repræsentant, quæ R.D.V. mitto, vt videat, ac etiam Deo gratias agat, quod ex illis Anglicis lapidibus, filios Abraham, hoc tam necessario tempore suscitare dignatus est: qui in medijs circumstrepentis populi terroribus, impauidos sese ad dolores obijciunt: qui minas, & terrores iudicum, & vulnera carnificum, ad suas laudes, titulosq; adijciunt, quorum animi tantùm crescunt in pugna, quantum se putat ille vincere per quē eos Christus voluit coronare. Quæ res in maximam certè spem, piorum animos erigit, futurum, vt iste Christi martyrium adeò praeciosus sanguis, magnos Ecclesiæ Dei fructus, & vtilitates pariat. Flamans, ait Sanctus ille martyr, plerunq; iuuit agris immittere, vt calore vagantis incendij cæca terræ spiramenta laxentur: iuuit leues stipulas crepitāti igne torrere, vt se altius grauida seges tollere, parturientibusq; culmis densior arista valeat florere. Benedictus Deus qui per suam

mise-

misericordiam,& bonitatem,vias omnes ad salutem aperit: ad perditionem,& exitium obstruit. Suscitauit Sathanas persecutores, dedit Dominus Martyres. Incendit flammas,gladios:& supplicia parauit:Equuleos furor hæreticorum renouauit. Dominus autem militum suorum voluntates patientiæ fortitudinisque laudibus armauit, & mortis periculorumque despicientia nobilitauit; ità vt vbi non posint Dei seminare sermonem, posint, ac etiam velint proprium effundere sanguinem, vt aduersarij testimonium veritatis, etiamsi nolint in rubenti terra,quã non possunt non calcare,videant, quam ex ore loquentis audire cum possent, detrectabant. Qua ratione cum olim gentilium obstinationem fractam: atque sub suaue Christi iugum subiectam videamus, non possumus ijsdem initijs consentientes exitus nõ expectare, cum idem sit Dominus omnium: diues in omnes, idem ille qui dixit Ego Dominus & non mutor.

Si quid autem deinceps accepero:faciam de tota re R.D. V. certiorem: sed & apud nos certamen paratum, stadium patefactũ, brauium propositum esse videtur. Non est quidem adhuc, qui vita eripiat: sed est qui Christum è cordibus hominum euellat; qui

pacem ſcindat; vnitatem dirimat:charitatem auferat; quam nobis vita ipſa chariorem eſſe debere, & verbo, & exemplo Chriſtus ipſe declarauit. Vidi quoſdam articulos contra R. D. Veſtram: quin, & contra Sereniſſimam,& pientiſſimam Reginã; quid autem eſt aliud, quàm cõtra Sereniſſimum Regem (duo enim ſunt in carne vna) in conuentu Sredenſi poſt crapulam, vt puto meditatos,ab ebrijs ſcriptos, à vomentibus promulgatos,ex omni parte Hæreticorum, qui ſurſum, deorſum omnia miſcere conſueuerunt,ingenijs,& ſtudijs conſentientes: quorum ego ferociam & ſi minimè cuiquã pertimeſcendam eſſe videam. (timida eſt enim malitia) non poſſum tamen non dolere,tantam adhuc eſſe in patria noſtra, iſto tã pio, Catholico,& OrthodoxoRege,quo vno ego nil vidi, tam omnium conſenſione laudatũ, tenebrarũ poteſtatem: vt audeat ſeſe à Deo conſtitutæ poteſtati opponere, & tam nefaria conſilia contra dignitatem eius meditari.

Verùm vnde ſemen adulteræ cognoſceres? ſcriptum eſt,Deum timete, ipſi Deum in ordinem coegerunt: &,quorum miniſterio fit,vt Deus agnoſcatur, & laudetur, Sacerdotes,& Epiſcopos de gradu dignitatis,

& auctoritatis deturbarunt. Scriptum est, Regem honorificate, ipsi in Reginam, vel potius per Reginæ latus in ipsum Regem debachantur. Scriptum est, vt bene faciamus quasi liberi, & non quasi velamen malitię habentes libertatē, ipsi maleficijs suis, & audatiæ, velamen obtēdunt libertatē, & sub hoc pallio humana diuinaq; iura oīa labefactare non dubitant; vt veros Babylonis filios agnoscas: quos olim dixisse scribit Propheta. Non est Rex nobis, non enim timemus dominum, & Rex quid faciet nobis? Sed ego spem habeo in Dei misericordia, & in tam laudata Serenissimi Regis nostri pietate, qđ eorum iniquissimi conatus similem illis Syluis exitum accipient: quæ voluerunt mari facere bellum, & syluas facere alias: & illius maris fluctibus, qui voluerunt debellare syluas campi, & consumare sibi aliam regionē, qua de re gratissimum R. D. V. nuntium expectabo. Visus est olim laudatissimi Cardinalis mei Hosij sermo paulò fuisse durior, cùm diceret, non esse plerunq; bonos Registas, siue Cæsaristas, qui non essent boni Papistæ, sed quid aliud istorum facta loquuntur? Mihi quidem isti; reliquiæ quædam illorum 25. virorum esse videntur, qui sicut apud Ezechielem legimus, dorsa habebant

contra

contra templum Domini, & facies ad orientem. Qui enim dorsum contra templum Domini, contra Regem vnctum Domini, cõtra Sacerdotes ministros Domini, ostendit: is certè orientem versus ad Machometis perfidiam prospectare videtur. Quid enim est, quod non velint, quod non cogitẽt, quod non audeant, quæ pestis tanta est, quam rebus humanis, non libenter inferant Hæretici; posteaquam cõtra templum Dñi dorsum ostendere cæperũt quorũ errores vt pereãt saluis hominibus, vtq; ab eorum oculis tanta ista cæcitas auferatur, eum per quem salui fiunt homines, cuius est salus propria, sine quo nulla est salus rogare licet indignus, tamen sacerdos, ad sanctorum istos cineres nũquam intermittam. Vidi autem his quoque proximè præteritis diebus Cathalogũ librorum nouorum ex Nũdinis Francofordieñ, tam à Christianis, quàm ab hæreticis editorum: Nihil inueni festiuius quã quod Concordiam quandam Religionis, per quosdam Sathanæ ministros, busta illa Religionum, & Rerumpubl. omnium, ex Lutheri, & Caluini perfidia, & ex Apologia Melãchtonis consarcinatam non minus ipsi Lutheristæ, quàm Caluinistæ non solùm non accipiunt, sed etiam exsibilant: illiq; fraudis, &

per-

perfidiæ nomen attribuunt, & duobus præterea festiuissimis versibus inanitatem eius lepidissimè depinxerunt.

R. habet Ausoniū liber hic habet atq; Pelasgum
Et habet Hebreum prætereaq; nihil.

Nec soli tantùm Caluinistæ coniurati Lutheristarum hostes ita sentiunt, sed Saxonici quoque Matheologi cancrino isto tetrasticho, quid à libro Concordiæ vel sperari, vel expectari debeat non illepidè expressêrunt.

Eximij liber est fructus, nec formula pacis
Publica durabit tempus in exiguum.
Vnanimi liber hic coniunget pectora sensu
Dissona, nec gliscet plus graue dissidium.
Perpetuò tua laus viuet, nec Sueuice Doctor
Gloria decrescens, te tua destituet.
Arbitrium ad pacis traxit te gloria Christi
Vnica non turpis quæstus, & ambitio.

Quam tantam discordiam cum ex illo Lemanio lacu Synagoga Geneuen. conspexisset, pro illa sua eximia auctoritate, quā illi Bernensiū arma cæterorūq; Catonum Helueticorum potentia comparauit; Harmoniam quandam Confessionum Orthodoxarum, & reformatarum, vt vocant Ecclesiarum, ipsa quoque edidit: in eum puto finem, ne laudem constitutæ stabilitæque concor-

diæ

diæ Lutheriſtarum factio obtineret; vel vt tam diſcordes Eccleſias tanquàm diſcrepãtes, & cõtrarias fides (fidibus enim iam pro Deum, luditur; non vna fides retinetur.) à ſybilis Catholicorum tueretur: vel vt ne dicamus illis. Diuiſum eſt cor eorum, nunc interibunt: Sed neque Lutheriſtarum pars conatibus ſuis deeſſe voluit, molles illi ſint, an rigidi, atri an albi, frigidi an calidi, neſcio: Nã & ipſi recitationes aliquot Lipſię ædiderunt, quarum primam eſſe voluerunt. De Conſilio ſcripti Libri Concordiæ, & modo agendi, qui in ſubſcriptionibus ſeruatus eſt. 2. De perſona Chriſti, & Cęna Domini. 3. De auctoritate, & ſententia Confeſſionis Auguſtanæ. 4. De auctoritate Lutheri, & Philippi. 5. De controuerſijs nõnullis articulis publicè pronuntiatæ, & recitatæ, & oppoſitæ, cùm Naſi Pontificij, tùm Sacramentariorũ clamoribus, & calumnijs, per quẽdam Nicolaum Selecnerum, in quibus palàm profiteri videntur; eodem ſe loco Caluiniſtas ponere, quo Papiſtas, hoc eſt Catholicos reputare conſueuerunt. Ità ſunt belli iſti homines proprię ſententię amoribus excęcati, vt nec Catholicos audire velint viam veritatis oſtendentes; nec ſui ſimiles Hæreticos tolerare queant, iuſtiſſimam

ſuę

ſuę ab illis diſceſsionis cauſſam adferentes, quo nullum eſſe poteſt manifeſtius argumentum: omnes qui ab Eccleſia diſceſſerunt, cæcos eſſe, & duces cæcorum: Sodomitis illis, qui extra domum Loth, foras erant, rectiſſimè conferendos; qui ob cogitatum maleficium cæcitate percuſsi, à minimis vſque ad maximum, oſtium inuenire non potuerunt. Quærunt Geneueñ. Concordiam, quærunt Lipſeñ. oſtium, inuenire non poſſunt, nec inuenient vnquam, niſi ad illius ſponſam redierint, qui dixit. Ego ſum oſtium, aut niſi conſilium illius Angeli ſecuti fuerint, qui Agar ancillæ à facie dominæ ſuæ fugienti: ſicut iſti à facie Eccleſiæ fugiunt; Reuertere, ait, ad Dominam tuam, & humiliare ſub manu illius. Et interea putabit aliquis pacē inter diſſidētes de religione ſtatui in patria noſtra poſſe? Statuāt eam inter ſe, ſi poſſunt; poſteà Catholicos ad eam obſeruandam aſtringant. Quo loco venit mihi in mentem cuiuſdam conſilij, quod Maximiliano Cæſari cum ab eo vſum Auguſtanæ perfidiæ, ordines Auſtriæ poſtularent, ſapientiſſimus ille Cardinalis meus dederat. Quærat inquit, ex illis Maieſtas Veſtra, cuius approbationem confeſſionis deſyderent. An eius, quæ fuit Carolo Cæſari Auguſtæ primùm obla-

ta, an quæ fuit poſtea toties à Philippo verſa, peruerſa, mutata, adulterata: videbit ipſa ſuis oculis, quod nunquam in vnam eandẽque ſententiam de iſta Confeſſione conuenient.

Quam autem vellem videre Ederi noſtri, viri præſtantiſſimi Matheologiam Hæreticarum fabularum, in qua continentur 900. ferè vaniſſimi errores de 200. propè Religionis Catholicæ capitibus quam hoc ipſo anno in lucem prodidiſſe audio, ſed eius generis libri, rariſſime in has horas importantur. Non dubito quùm is lepidiſsimè, ſicut alias Hæretic. fabulas, ſic iſtam quoque fabuloſiſsimam, vel ſicut à Naſo noſtro vocatur Chartaceam Lutheranorum concordiã vel vt Germanicis eius titulis vtar. Neu geſchmitten concordi buch. exagitet. Verùm Epiſtola mea meridianas fortaſſe vmbras, quę longiſsimæ ſunt, ſicut ait Theologus immitatur; Longius enim eius proceſſit oratio, quam initio volebam; quamobrem dari mihi veniam à R.D.V. peto. Genus eſt hoc voluptatis meæ iſtorum conſilia inanitatis pleniſſima, vel potius in illis iudicij diuini profunditatem admirari, quam etiam ante annos aliquot, cum ad Hieronymum Pouodouium vtilem in vinea Domini operarium,

rarium, & mihi summa beneuolentia coniunctissimum, scriberem, paulò pluribus verbis persecutus sum. Cuius exemplum R.D. V. mitto. Datum Romæ pridie Calend. Ianuarij. 1581.

STANISLAO KARNKOVIO ARCHIEPISCOPO Gnesnen.

Epistola XVI.


Vò magis perspectam, & exploratam habeo R.D.V. in pascēdo grege, prætioso Christi sanguine redempto, vigilantiam, quam multis, & magnis argumentis in administratione Ecclesiæ Vvladislauiensis, & Pomeraniæ comprobauit: hoc maiori sum lętitia cumulatus, posteàquam intellexi R.D.V. prudentissimi, & sapientissimi Regis Stephani (quo ego Principe nil vnquam vidi tàm omnium

consensione laudatum) pleno maturitatis, & iudicij consilio, ad gubernationem Ecclesiæ Metropolitanæ Gnesneń. designata esse. Futurum enim existimo, idque mihi de eximia R.D.V. Voluntate, & de eo, quo abundat zelo, valdè polliceor: quod quantò plus, sicut S. ille Pater ait, in hac terrena Republica poterit; tanto plus impendet, cœlesti, quæ nos genuit Ciuitati: tantoque etiam maiorem vim desiderij adferet, ad ea omnia magna cum laude exequenda, quæ adhoc Archiepiscopi munus pertinere intelligit: in tanta præsertim rerum omnium conuersione, quas de statu suo hæreticorum audacia nimis effrenato impetu deturbauit: quas in pristinum dignitatis, & tranquillitatis gradum reponere eorum id proprium esse munus videtur, qui nil timent, nisi Deum, nil sperant nisi à Deo: & ea præterea auctoritate, & potestate sunt communiti: quæ possit audacissimorum hominum obstinationé frangere, atque à pestiferis consilijs, ad meliorem sententiam reuocare: quam in Archiepiscopo Gnesnensi summam esse maiores illi nostri voluerunt, vt Respublica in omni varietate temporum, cum auctoritate defensorem & quasi quendam custodem rerum communium haberet: vel sicut, Oricho-

chouius noſter, Polonicus ille Demoſtenes loquitur,vt omnia hæc ſalutaria, quæ moribus,quæ maiorum inſtitutis, quæ legibus in noſtra Republica continentur,lateant in tutela, ac præſidio vnius Gneſnenſis Archiepiſcopi,contra vim,libidinemque potentiorum: ne cuiuſquam effuſæ in omni intemperantia libidines,ſeſe vnquàm incitarent in libertatem communem. Quem ego tàm excelſum dignitatis,& auctoritatis gradum non tàm ipſi R.D.V. quàm Eccleſiæ Dei, & patriæ noſtræ gratulandum eſſe video. Ad illam enim immenſum quoddam curarum, & ſollicitudinum Pelagus,ex eo loco, & ordine proueniet: in quo ſi ſexcentos oculos, ſexcentas linguas,ſexcentas aures, ſexcentas etiam manus haberet, quibus Epiſcopū vigilantem opus habere S.Pater ille memorat, vix etiam ijs curis,& laboribus, & moleſtijs exantlādis ſufficere poſſe videretur; quas Archiepiſcopum & Primatem, & primum tanti Regni Principem, ampliſſimiq; Senatus Coriphæum,in ampliſſimo,& potētiſſimo Regno,his difficilimis temporibus, hiſque moribus, in tàm proiecta hominum audacia, animis ſuperiorum temporum licentia adhuc prędidentibus, & corpore, & animo ferre,& ſuſtinere oportet. Cęterùm

Ecclesia Dei, nō solùm à metu oppressionis, & vastitatis respirabit, verùm in spem pristinæ dignitatis, & gloriæ recuperandæ reuiuiscet: cum tua ista, te (cum humilis Adalberti successore loquor) digna vigilantia, atque ista, quam sustines auctoritate, grauitate, planè Senatoria prospectum in patria nostra fuerit; vt istos lucos Heluеticos, & excelsa Geneuēsia, in quibus ira Domini coaceruatur, demolita; conspirationem aduersus Dominum, & aduersum Christum eius rescissam, & obliteratam; & publicis Regni muneribus, & officijs, eos tantum adhibitos videamus, qui nouos istos recentesque Deos, busta videlicet religionum, & Rerumpub. omnium, quos ignorauerunt Patres nostri, nunquam adorare voluerunt: quod R. D. V. curæ futurum, quæ illius est pietas, non dubitamus; Quamuis enim ea contentio difficultatem adiunctàm habere videatur, in tanta præsertim hominum obstinatione: sed quodnam quæso facinus magnum, & memorabile, sine periculo designari potest? Quid autem labor improbus non vincit? Sacerdos, ait S. ille Martyr, Euangelium tenens, & Dei præcepta custodiens, occidi potest, vinci non potest: Sciant iam tandem Hæretici, quod à Christi Sacer-

cerdotibus non timentur.

Ego verò, quod adhuc feci Deum præcari nunquam intermittam, vt ista potestatis, & sapientiæ coniunctio, quæ cæteris omnibus Imperijs valdè salutaris esse consueuit, nos quoque maiorum nostrorum quàm simi limos efficiat: idq; omninò euenturum existimo: si speculatorum loca, vel vt Theologus loquitur animarum præfecturas in patria nostra deinceps etiam tenuerint, quibus in omni pietate,& virtute,in doctrina, & humanitate, in omni artificio vincendę Cupiditatis percipiendo, plurimùm ab ipsa pueritia studij fuisset, & temporis: & vicissim à pascendo grege Christi procul arceātur, qui ad Sacerdotium nil ad ferre cōsueuerunt,nisi velle,quos plerunque, vt ille ait, vno die sanctos fingimus, eosque sapientes, & eruditos,& Theologos,& pastores esse iubemus: qui vix forte adhuc essent in discipulorum ordinem referendi; & anteactę vitę consilia in studijs inanitatis consumpserunt: Sed nos in patria nostra, meliora omnia,& ijs Stephani Regis temporibus, ijsque initijs,& consilijs,& laudibus, & triumphis consentaneos progressus, & exitus expectamus. Ad me quod attinet, sic me his suis moribus, & pietati, quam in omnibus

R.D. V. ſtudijs, & inſtitutis elucere video, addictum eſſe exiſtimet, vt meo cultu, & obſeruantia, nihil poſsit eſſe ardentius. Genus hoc eſt voluptatis meę, in eorum tutela, & patrocinio viuere, qui ſe totos in ſolius Chriſti tutelam, & patrocinium tradiderũt, atque commiſerunt: in cęteris etiam rebus omnibus, dignitate, poteſtate, auctoritate, copijs, & opibus, ſic ſe adhibent vt ſua magis eſſe audiant, quàm ſentiant: & eorum quibus pręſunt commodis, & vtilitatibus ita ſeruiunt, nullum vt prętermittant offitium, diligentis & moderati Imperij: atque iſtam meam conſtantiam per omne tempus, & per omnes occaſiones R.D.V. ſtudioſè comprobabo. Familiares R.D.V. in Vrbe expecto, venient ad ſitientes aures; Iam enim non pauci dies abierunt, ex quo nil litterarum à R. D. V. accepi, quibus hoc meum ociolum, & hoc meum tempus oblectare potuiſſem? In quo etſi mihi omnis ſermo eſt cum litteris, eum tamen ſæpè Hoſij Cardinalis memoria interpellat, eam porrò fletus ſequitur, cui repugno quoad poſſum: ſed adhuc pares non ſumus. Pontifex Gregorius valet optimè, lenitate ſumma delectatur, & eum putat eſſe fructum Imperij ſui maximum, iuſtè, clementer, & moderatè,

ratè, quibus præest imperare.

Si quid erit deinceps, quod R.D.V. scire velle, & me scribere oportere existimabo: non intermittam, quin eam de rebus omnibus per literas meas certiorẽ faciam, Christus Iesus R.D.V. muneri suo strenuè incumbẽtem, quàm diutissime seruet incolumem, & fœlicem. Datum Romæ 15. Iulij. 1581.

ANDREAE OPALENIO
REGNI POLONIAE
MAGNO MARSALCO.

Epistola XVII.



CCEPI literas D. V. Posnaniæ 23. Septembris datas, quibus mihi, vt illius verbo vtar, amicitiã, vt ego accipio, & ista quam sustinet dignitatis amplitudo postulat, gratiam, & beneuolentiã suam humanissime denuntiat: atq; ad litterarum etiam certamen inuitat; sumq; earum lectione, & suauitate vehementer delectatus: ac in magna fęlicitatis parte pono, quod ad D. V. omni offitio, & pietate colendam, non Illustribus tan

tùm

tùm gratiæ,& beneuolentiæ argumentis,verumetiam litterarum illecebris prouocari me videam. Idq; ab eo Regni Senatore, Regiæq; potentiæ administro, qui nobis hodie pristinam illam dignitatem,& authoritatē, quæ in Regni Marschalco summa esse consueuerat, quasi intermissam, restituit; & suā præterea virtutem, & potestatem, cum immortali sui nominis laude, & Regiæ Maiestatis, quæ meritò D. V. tanta authoritate præditam esse voluit, admirabili gloria, ita adhibet, vt nihil esse putet antiquius, quàm eam publice omnium saluti,& tranquillitati,& commodis promptam, & expositam habere; nulla vt alia potestas ab his, quibus præest iustè desyderari queat. Quarum rerum quotidianis laudibus, & commemoratione clarissimorum operum non meæ tantùm aures callent, sed omnium eorum, qui patriæ nostræ, & Religionis Catholicæ rationes caras habent: quo nomine D.V. plurimùm gratulor, mihi verò gaudeo, ac ad istos sanctorum venerandos cineres, quibus hæc æterna Vrbs, præ cęteris omnibus abundat, Deum præcari nunquam intermittam. Vt D.Vestræ det ætatem, quam meretur,& conseruet animum quem dedit: vt pro sua ista authoritate, magno animo,& maiorum suorum

rum gloria,& fortitudine dignifsimo,intermiſſam in Regno diſciplinam, proiectam æquitatem, oppreſſam veritatem, afflictam Eccleſiæ dignitatem,aduerſus omnem licentiam,iniuriam, mendacium, violentiam, & aduerſus illos furioſos hæreticorum impetus,illos non hominum, ſed belli ciuilis vultus, per quos non Dominicæ, ſed Lapitharum cænæ, & conuiuia tranſeunt, quotidie magis, ac magis tueatur; ac reliquorum etiam, quos in Præſidijs Reipub.conſtitutos videmus,voluntates,& ea ſtudia inflammet, quibus perfici tandem aliquando posſit, vt maiorum noſtrorum ſimus, quam ſimillimi, qui ſua conſtanti in Deum pietate, erga miniſtros eius, & ſacerdotes reuerentia, erga Reges ſuos obſeruantia,erga leges patrias, obediētia, Regni Poloniæ gloriam ad iſtum quem videmus dignitatis, & amplitudinis gradum, extulerunt.

Quod ad me attinet,ſic me eſſe ijs quibus abundat D.V. laudibus, & ei gloriæ, quam maximam colligit, affectum, atque deditum profiteor,ac præ me fero,vt cum anteà meo in D.V. ſtudio nihil eſſe videretur ardētius, fateri tamen neceſſe habeam, ad priſtinam illam obſeruantiam,quæ ſumma eſt, non vulgarem accesſionem,cum ex quotidiana virtutum

tutum tuarum prædicatione, quàm ex amicorum, & litteris, & sermonibus quotidie exhaurio, tùm ex ea quoque Epistola, quam ad me innumeris, beneuolentiæ notis resper sam dedisti: consequutam esse, quo nomine iterùm, atq; iterùm, & ago, & habeo D.V. gratias, agamque, & habebo dum viuam. Non enim huiusmodi est genus hoc humanissimæ volũtatis erga me tuæ, vt prolixam gratiarum actionem, & geminata, ac duplicata verba non desyderet: neq; ego is sum, qui nisi ex amore, & beneuolentia summorum, tuiq; similium virorum, aliquem mihi splendorem arcessam, eo non sum penitus in omne tempus cariturus: quò magis datu- rum me etiam operam polliceor, vt cultum meum, & fidem, & omnia studij, ac obseruantiæ genera, non vulgari illo, & vsitato more, sed qui summis viris debetur D. V. probare semper contendam: ex cuius nomine, & gratia, & beneuolentia spero me fore in dies or natiorem. Nam quod dotes, prædicationesque nostras memorat ab humanitate tua id profectum, non meritis meis attributum agnosco? ad eum sanè modum quo pusillos sæpè catellos, Pardos, Tigresq; vocitamus. Res vrbanæ quietæ sunt per Dei gratiam. Datum Romæ Kal. Ianuarij. 1581.

STE-

STEPHANO POLONIAE REGI POTENTISSIMO.

STANISLAVS RESCIVS.

EpistolaXV III.

ETSI multa, & illustria diuinæ bonitatis, & misericordiæ in patriã nostram extent argumenta, quæ in omni rerum, & temporum varietate ab ipsis adhuc orientis Regni Poloniæ temporibus eluxerunt: nullum tamen hoc vno maius, nullum ad muniendam viam salutis, efficacius commemorari potest, quàm quòd ab eo tempore, quo Christi recepit Euangelium per sexcentos ferè continuos annos, nunquam se passa est in aliud quoduis Euangelium transferri: sed quam semel ab vna Sancta, Catholica, Apostolica, Romana Ecclesia fidem didicerat, eam semper & animo, & voluntate summa, magna cum pietatis, & constantiæ laude conseruauit: etiam si non defuerint in cæteris orbis Christiani partibus hæretici, qui doctrinæ suæ fœditate maiorum nostrorum animos simplicis veritatis

ritatis amicos inquinare, ac de ſtatu mentis, deque gradu conſtantiæ dimouere conabantur. Iconomachorum hæreſis, quæ ſanctorum imagines ex omni rerũ natura cum puluiſculo, quod aiunt, tollendas ſuſceperat, cum ſeſe Imperatorum faſcibus, & ſecuribus contra Eccleſiam Dei armauiſſet, non ſolum Aſiam, vnde videtur initium accepiſſe, verùm & alias nonnullas Orbis Chriſtiani prouincias inquinaſſe memoratur. Berengarij perfidia, qui præſentiam Chriſti corporis & ſanguinis in Euchariſtia negare impie auſus eſt, erroris ſui maculis Galliam aſperſit: Bogomilorum impietas, quæ S. Trinitatẽ, & ſacræ ſcripturæ libros in ordinem cogere nitebatur, longè lateque peſtẽ ſuam euomuit. Petrobruſiani & Henriciani incredibili audacia vſi, omnia diuina, humanaq́; iura ſurſum deorſum miſcuiſſe, turbaſſeque referuntur. Albingenſes, Lollardi, Flagellantes, errores ſuos multorum animis afflauerunt. Vicclefiſtæ maguam Angliæ partem fœdiſsima doctrina contaminauerunt. Ad extremum etiam Valdenſes: Huſsitę, Piccardi, Rocchesani vicinam nobis Bohemiam, à via veritatis abſtraxerunt, & in peſtiferas ſectas mirandum, & miſerandum in modum diſſectas, diſtraxerunt. Factum eſt tamen ſingulari

gulari Dei misericordia, vt patria nostra, virginē se castam exhiberet Christo: nec vllius hominis verbum pro Dei verbo reciperet: nec ab ea fidei regula discederet, quam initio ab Apostolicis viris, orthodoxis Episcopis, & doctoribus, Deoq; amabilissimis martyribus Adalberto Gnesnensi, & Stanislao, Cracouiēsi veris verbi Dei ministris, & dispēsatoribus acceperat. Imo verò, quod omni laude, & prædicatione dignissimū statuo: vt omnē in Regnū aditum omnibus pestibus maiores nostri, optimi illi, & sapientissimi viri præcluderent, publico omnium Regni ordinum consensu, & approbatione sanciuerunt: vt si quis hæreticales errores (hæc enim sunt sanctissimæ legis verba) facere vel promouere vellet, contra talem siue tales cuiuscunque status, gradus præeminentiæ fuissent, & in eorum destructionem consurgere deberent, nec pro eis loqui vellent aliquod verbum, sed eos, & eorum quemlibet talem punire vellent, & promitterent. Plus aliquid addam. Regnum Bohemiæ semel & iterum ad Reges Poloniȩ delatum refutare maluerunt, quam in eos imperium obtinere, qui suaue Christi iugum per Vicarium suum Romanum Pontificem, Ecclesiam suam gubernantis excusserunt.

Exi-

Existimabant enim difficile esse, eos in potestate continere, qui in sua potestate non essent, vel vt proprijs Regum nostrorũ verbis vtamur, religionem sibi esse iudicabant apud Hæreticos regnare. Quo factum etiã esse puto (solet.n.Deus in vera conseruanda religione constantiam immortalibus beneficijs cumulatè compensare) vt Regnum quod à minimis initijs sumpserat exordiũ, amplissimarũ Prouinciarum accessione locupletatum, in tãtam hanc, quam videmus, amplitudinem & maiestatem excreuerit, vt à Palude Meotica, siue ponto Euxino ad mare vsque Balticum pertingat, & vicissim à Borysthene vsque ad Oderæ littora extendatur: ijs præterea sit legibus descriptum, ijs moribus constitutum, vt non esse pertimescendũ videatur, si modo officij sui religionẽ tueri cõseruareq; ꝑseuerauerit, ne status illius, vel diuini iudicij seueritate peruertatur, vel Regia potẽtia opprimatur, vel optimatum diuisione scindatur, vel hostiũ armis euertatur, vel populari confusione perturbetur. Nam & sacerdotem habet à quo de colendi veri Dei ratione instruitur: & Regem habet, me multorum imperio distractum, dilaceretur: & Senatum habet, ne Rex incõsiderare ruat, vel aliquid in subie-

ctos

ctos sibi populos furenter & temere moliatur: & equites habet, ne quis impune pestem & exitium in capita ciuium machinetur: & populum habet, ne vitæ præsidijs & & commoditatibus destituatur. Sacerdos ostendit quibus vestigijs ad beatorum sedes eundum sit: Rex e suo eminenti solio prospicit, vt ius cuique suum seruetur: Senator consilia suggerit, vt idipsum iuste, prudenter, & moderatè, exequatur. Eques armatus hastas & gladios tenet, vt quando iussus fuerit, Regijs conatibus obsistentes reprimat: Populus prouidet, vt ne quid ijs qui in speculis Reipub. positi, pro Dei gloria patriæque salute, excubant, ad vitæ conseruationem deficiat. Quam Reipub. faciem maiores illi nostri optimo cõsilio vsi, in omni societatis humanæ moderatione tribus illis Rerumpub. generibus anteponendam esse putarunt, eamque in patria sua constitutam vetustateque corroboratam nobis tradiderunt, atque commiserunt: vnde consecutum hoc quoque esse videmus, vt si qui fuerunt qui patriæ nostræ pacem & tranquillitatem armis suis vexandam atque perturbandam putauerunt, illi re & veritate experirentur, quam difficile sit statum ita constitutæ Reipub. peruertere: quamque Polonis essent

omnia ad frangendos inimicorum impetus expedita. Moſchorum apud Orſam octogin ta millia, non magna noſtrorum manu vno die profligata legimus. Scytarum belluinã illam feritatem, qui ſoli propemodum olim contra Romanorum potẽtiam id auſi ſunt, quod reliquarum nationum fugiſſet, & reformidaſſet audacia, magnis tamen & memorabilibus prælijs aliquoties repreſſam, apud Oczakouiam & Viſneueciam ingenti clade accepta, magnopere diminutam accepimus. Turcarum autem arma quis hoc tempore non reformidanda putet? experti tamen ipſi quoq; ſunt magno ſuo in commo do, cum in Valachia, tum in Ruſsia, neminem poſſe patriæ noſtræ exitium, ſine ſuo exitio machinari: vel ſicut quidam de Romanis ſcriptum reliquit, nil eſſe difficilius, quam armati Poloni latus fœdere: adeo, vt Machometes Turcarum Rex à Caſimiro IIII. & Baiazetes à Ioanne Alberto Poloniȩ noſtræ Regibus, amplifsimis oblatis muneribus, pacem & amicitiam petere cogerentur. De Gruneualdenſi victoria, quo loco quinquaginta millia rebellium Crucigerorum vno die maiorum noſtrorum armis ceciderunt, non eſt huius loci & temporis memorare. Equidem ſi maiores illi noſtri lau-
dis

dis & gloriæ paulo fuissent cupidiores, quã pacis & libertatis conseruandę studiosiores (quibus rebus Romana Respub. in tantam olim amplitudinem excreuisse memoratur) quacunque impetum tulissent, victorias & triũphos reportassent: sed sua fortiter tueri, quàm contra Christi præceptum aliena appetere maluerunt; summam scilicet fœlicitatem, existimantes (sicut magnum illum Ioannem à Lasko Archiepiscopum Gnesnẽsem Lauredano Venetorum Duci respondisse legimus) si nõ transcensis finibus alienis, sua fortiter tueri, cæterisque nationibus contra barbarorum irruptiones pro fide, & Repub. Christiana præsidio esse liceret.

Has itaque victorias, hanc Reip. faciem, hæc pacis belliq; consilia quid nobis aliud peperit non video, quam constans & perpetua laus integræ & incorruptæ fidei Christianæ conseruatæ. Sed maiorem etiam diuinæ bonitatis & misericordiæ magnitudinem animaduerte. Cum sathanas in vicina nobis Germania Lutherum Antichristi pręcursorem, in signe illud Dei omnipotentis odium, (& si homines odissent quos oportet, etiam omnium hominum) ab inferis suscitasset, vt pacem Ecclesiæ Catholicæ per-

turbaret, & omnia diuina humanaque iura sursum deorsum ageret: visumq́; etiam esset iusto, sed tamen nobis occulto Dei iudicio, patriæ quoque nostræ constantiam, & soliditatem per Lutheranos Pseudoprophetas pertētare, vtrum essemus maiorum nostrorum similes, an alicuius hominis nil sibi nō arrogantis, nil cæteris non detrahētis amorem, eius amori anteponeremus: neque defuissent, qui Christiana maiorum fide reprobata, Lutheranam perfidiam (ò turpem notam temporum nostrorum) sequi, quàm in suscepta propositaque sententia permanere maluerunt: vicissim benignissimus ille pater remedia præparauit, quibus homines amentes, & in omnibus vitæ consilijs præcipites, ad mentem officiumq́; reuocaret: nec vllius medicinæ facultatem patriæ quoque nostrę deesse passus est, quam cæteris omnibus Regnis & imperijs quoties in similes laqueos inciderant vt ex illis eriperentur, adhibere consueuerat. Magnis olim erroribus Chaldęorum populi tenebantur, cùm rerū causas ad motum syderum, non autem ad Dei potentiam & voluntatem referebant, sed misericors Dominus ferre non potuit, vt in errore turpissimo consumarentur. Suscitauit enim oportunissimo tempore ad-
mira-

mirabilem illum Patriarcham Abrahamũ, qui fuit illis quaſi via rectæ fidei, creatoris omnipotentiam oſtendens, & à cultu & veneratione rerum creatarum auertens. Aegyptij mirum in modum erant præſtigatorum artibus, & incantationibus de ſtatu mẽtis deturbati, ſed Dominus amicũ ſuum magnum illum Moyſen exhibuit, qui dęmonum fraudes detegeret: & Domini potentiã & gloriam per verba & miracula prædicaret. Iſraelitarum rationes valde erant in aliquo tempore conturbatæ, nullum enim certum magiſtrarum habebant cuius imperio tenerentur, ecce ſubito Samuel diuinus aſfulſit, qui magnum prędidium inclinatis rebus attulit, & ſub vnius imperium Dei mandato ſubiunxit. Achab ille Rex impius Deũ patrum ſuorum dereliquit, & diuinum cultum manufactis ſimulachris adhibuit: ſed Dominus Eliam Thesbiten ſuſcitauit, qui Regis impotentiã frangeret: atq; ad vnius veri Dei cultum reuocaret. Poſterioribus autem ſeculis, cum Arrius, Eunomius, Macedonius, Donatus, Pelagius, & alij Eccleſię Catholicæ deſertores nouis excogitatis artibus ſcripturas ex ſcripturis, legem ex lege, Euangelium ex Euangelio, verba Chriſti ex verbis Chriſti impugnare, atque ad eun-

dem illum infidelitatis perfidiæque ſcopulum, ad quem initio omnia ſua ſtudia atque conſilia Sathanas referebat: vt diceret impius in corde ſuo, non eſt Deus, etiam electos ſi fieri potuiſſet perducere atque allidere conarentur: ſuſcitauit iterum Dominus admirabiles illos Orthodoxę veritatis defenſores, ſanctitatis & eruditionis laudibus celeberrimos, Athanaſium, Baſiliũ, Gregorium, Ambroſium, Auguſtinum, Leonem, Damaſcenum, & alios, vt Theologus loquitur. τοιούτους καὶ τηλικούτους προστάτας, qui hęreticorum melle litos gladios, fraudeſque ſub ſpecioſo verbi Dei titulo occultatas detexerunt, Sathanęque conſilijs vſque ad ſanguinem reſtiterunt. Sed & his poſtremis Reipub. Chriſtianę temporibus, cum primus omnium Lutherus, in gremio Deo ſacratę virginis, mẽtem metumque depoſuiſſet: eumque auctorem ſecuti, Philippus, Oecolampadius, Brentius, Caluinus, Seruetus, Bucerus, Oſiander, Liſmanius, Fricius, Ochynus, Gregorius, Laskus, Vergerius, & alia buſta religionum & Rerumpub. omniũ, pacem Eccleſię perturbare, ſuaque zizania in agro dominico ſuperſeminare cœpiſſent: Deus bone quot in Eccleſia Dei ſydera, quot doctores, quot Mattyres, quot confeſſo-

res,

res, ἀπὸ μηχανῆς quod aiunt, in omnibus orbis partibuj eluxerunt; qui ſeſe contra peſtes illas pro Eccleſia Dei murum oppoſuerunt, & impetus aduerſariorum ad euerſionem Chriſtianæ religionis incitatos, inuicto prorſus animo mortiſque & periculorũ contemptore repreſſerunt. Habuit Germania (vt ex multis paucos aliquos referamus) magnos illos & admirabiles Echios, Pflugios, Sonnios, Surios, Cochleos, Staphylos, Vicelios, Lindanos, Caniſios, Heſelios, Tapperos, &c. Habuit Italia Caietanos, Catharinos, Contarenos, Campegios, Sadoletos, Pighios, Lipomanos, Picos, Pios, &c. Habuit, Gallia, Daneſios, Pamelios, Eſpenſeos, Demochares, Sanctios, Vigoreos. Habuit Hiſpania, Sotos, Alphonſos, Canos, Medinas, Fontidonios, Torrenſes, Viguerios, &c. Habuit Anglia, Polos, Roffenſes, Moros, Arboreos, Sanderos, Hardingos, Stapletonos, Alanos, Copos. Habuit Luſitania, Oſorios, Payuas, Caſalios, Forerios. Habuit & habet ad hunc per Dei gratiam noſtra quoq; Polonia ſuos Hoſios, Cromeros, Carnkouios: Orichouios, Patricios, Scargas, Varſouicios, Vvargouitios, Gorſcios, Socolouios, Herbeſtos, Solicouios, Pouodouios, Bialobrzeſcios, Kochanouios, (omnes enim om-

nes enim omnium prouinciarum viros præstantissimos oratione persequi longioris subsellij negotium statuo) qui ciues suos ab accipienda peste nunquam auertere desierunt,ac ne nunc etiam desinunt: nil vt aliud expectare iam debeamus, quam vt hæreticorum studia & contentiones eum exitum accipiant quem optamus; & quem acceperunt ij,qui eos in simili audacia & impietate præcesserunt,quorum memoriam cum sonitu, vt ait scriptura, perijsse videmus & gaudemus. Quis illam Ariomantiarum potentiam non reformidasset, cum in pernitiē Orthodoxæ fidei, cruces & æquuleos fixisset? cum igne,flamma,ferro,supplicio, exilio, eos omnes persequendos & euertendos suscepisset,quicunque cum Orthodoxis patribus sentire, ab Arij verò perfidia dissentire voluissent? Orbis,ipse,sicut ait Hieronymus,Arrianum se factum esse mirabatur. Quid autem ad extremum consecutum est? Vicit Christus,victus,est Arrius. Vicit veritas,occidit falsitas. Mentita est iniquitas sibi. Arrius Antichristus omnium vbique votis & sententijs & consilijs condemnatur. Athanasius autem, Basilius, Gregorius, & alij per quos locutus est Christus verissimis iustissimisque laudibus in toto orbe Christiano

ſtiano celebrantur. Leo quoque Imperator ſacris imaginibus earumq; cultoribus bellũ nefarium intulit: ſucceſſor eius Conſtantinus Copronymus ſimili amentia incitatus, vim totam ſuæ poteſtatis ad earum euerſionem adhibuit. Deiectæ fuerunt Chriſti, & ſanctorum eius imagines, deletæ, combuſtę, contritæ: in pleriſque locis ſublata earum memoria putabatur. Qui verò cùm Eccleſia Dei ſentiebant, imaginum defenſores, de ſuis ſedibus deturbati, in exilium acti, mille pœnis, mille mortibus obiecti ſunt: nemo non putabat, cultum imaginum in ſempiternum tempus perijſſe. Quid autem euenit? Vicit Eccleſia, victa eſt Iconomachi perfidia. Leo damnatus eſt: & Germanus, Epiphanius, Damaſcenus & alij multi Dei iudicio & orbis Chriſtiani teſtimonio probatus eſt. Idem eſt hoc tempore qui fuit maiorum noſtrorum Deus, æque bonus, æque miſericors, æque ſalutem animarum noſtrarũ ſitiens, idem quoque eſt exitus expectandus earum peſtium, quæ nunc magnam, pro dolor, Orbis Chriſtiani partem infecerunt. Habet enim iſta quoque noſtra ætas ſuos, vt iam diximus, Athanaſios, Ambroſis, Baſilios, Gregorios, Iuones, Lantfrancos, Bedas, Thomas, Hiſelbertos, quibus ſecundas
par-

partes post sanctos illos patres solum tantum tempus tribuit: qui siue per vitam, siue per mortem, vt ait Paulus defendere Ecclesiam Dei non verentur, quibus viuere Christus est, & mori lucrum. Imo verò (quo nomine tibi Christe immortales agimus gratias) habet Constantinos, non habet Iulianos: habet Martianos, non habet Copronymos: habet Tyberios, non habet Zenones, habet Theodosios, non habet Theophilos, qui loci vocationisque suæ memores seruiunt Domino in timore, leges quas nõ possunt facere nisi Reges, iusta præcipientes, & contraria prohibentes, conuenienti rigore sanciendo: quibus det Dominus tantũ velle, quantum in Christi causa velle debent, tantum posse quantum volunt.

Cùm itaque inter alios præclaros & eruditos viros, quos Ecclesiæ Dei patria nostra charissima peperit, Hosium quoque vt diximus, velut sydus quoddam ad illuminandos cæteros, atque ad viam veritatis ostendendam, in hanc lucem produxisset, nil in omni vita diuino illi viro fuit antiquius, quam vt ciues suos in maiorum fide cæterisque pietatis officijs verbo & exemplo contineret: Lutheranæque perfidiæ labem ab ingressu charissimæ patriæ prohiberet. Quamobrẽ

curas

curas suas omnes cogitationes in hoc vno studio, & conatu defixas ante omnia habebat, vt eam religionis faciem in Regno videret, quam antè natam Lutheri perfidiam viderat, cum idem saperent omnes, eandem charitatem haberent: vnanimes idipsum sentientes: nec vlli essent vel Lutherani vel Caluiniani, sed omnes & essent & dicerētur Christiani. Hoc in omnibus vitæ studijs & consilijs laborauit, hoc vnum vt assequeretur contendit, præ huius rei desiderio cætera omnia posteriora duxit: ita vt maiore conatu, pro salute animæ suæ laborare non potuerit, quàm pro salute proximorum toto vitæ suæ tempore laborauit. Nunquam eum suscepti negocij pertæsum est. Suam salutem, suam existimationem, in ea re agi putabat: vt ne quisquam à via veritatis aberraret: neque tamen verbo magis & calamo, quam re, & opere, & veritate laborauit: memor illius quod Saluator ait: Qui fecerit & docuerit, magnus vocabitur in Regno cælorum. Faciebat enim quod docebat, ac omnia tempora & momenta, omnes vitæ rationes tanta cum integritatis & innocentiæ laude transigebat, nemo vt eum diem viderit, quo cuiusquam interesset Hosium mori: vicissim autem nemo Christianus, nemo

Ca-

Catholicus esset, qui se modo eum esse meminisset, qui Hosium immortalē si fieri potuisset, esse noluisset. Habebat enim verè Abrahamicus ille senex, pectus suum omnium virtutum laudibus instructissimum, velut quoddam Spiritus sancti domicilium. Habebat intimis medullis inclusam Petri fidem, Pauli charitatem, Ioannis integritatem, Augustini doctrinam, Basilij grauitatē, Athanasij zelum, Chrysostomi eloquētiam, Ambrosij libertatem, Gregorij vigilantiā, Hieronymi seueritatem in seipsum exercebat. In conuersatione & consuetudine hominum Meletium, in contemptu vitæ Martyrijque desiderio Cyprianum referebat; (neque enim mihi pertimescendum video, ne sanctissimi illi ac beatissimi viri inuideant, si ijsdem quibus ipsi abundabant laudibus, hic illorum imitator honoretur) didicit quod docuerūt, fecit quod iusserunt; secutus est quo præcesserunt. Quamobrem etiam factus ad extremum erat, velut arca quædam virtutibus abundans, ex qua in Orbem vniuersum pietatis exempla emanabant. Erat velut manus quædam, cathedram vnitatis in qua posuit Dominus doctrinam veritatis ostendens. Erat velut vox clamātis in Orbe Christiano; Non est fides nisi

vna,

vna, & quicquid est extra vnam fidem non fides, sed perfidia est. Erat quasi tuba, vastom in omnium auribus clangorē fundens, quod quisquis cum Romana Ecclesia in fidei doctrina non concordat, Christianus non est. Erat velut petra quædam ad sustinendos hæreticorum impetus opposita, vt in eius constantia & soliditate palam omnibus fieret; quod Sacerdos Dei Euangelium tenens, & præcepta Dei custodiens occidi potest, vinci non potest.

Quoties hæretici Lutheranæ perfidiæ fęditatem, quam Confessionem Augustanam (Christiana enim non erat, & ab ipsis Lutheranis, Polnischer Stiffel, hoc est, ocrea Polonica, siue cothurnus vtrique pedi aptus vocabatur) dici voluerunt, interposito Comitiorum decreto, in patriam nostram introducere contenderunt, qua audacia, quo conatu, quibus artibus, quibus terroribus, vt id perficerent laborauerunt? Sed obstitit eorum conatibus Christi minister Hosius: vicit Christus, victus est Antichristus. Factę sunt plagæ illorum sagittæ paruulorū. Quoties Lutherani & Caluiniani aduersarios suos, sed tamē filios suos, Trideistas & Anabaptistas ex omnibus Regni Poloniæ finibus exterminare, suam autem perfidiam tolera-

lerari, vel potius canonizari; hoc etenim verbo vti consueuerat Hosius) voluerunt, sed obstitit eorum conatibus Hosius. Vicit Christus, victus est Antichristus: Quoties Nationale quoddam Concilium congregari, in eoque de vniuersalis Concilij Tridentini decretis disputari, & omnes Orthodoxæ fidei articulos in dubium reuocare conati sunt; & nouam prætereà quandam fidiculam ex omnium Regni ordinum sententia scribi promulgariq; voluerunt? Sed obstitit eorum conatibus Hosius. Quoties in Regijs ciuitatibus templa Deo sacrata, vt in ijs Deo suo Luthero, & Caluino sacra facerent appetiuerunt? sed obstitit eorum conatibus Hosius. Quoties Caluiniani quidam Synagonistæ, Theodori Bezæ Symmistæ, Regni religionisque statum perturbare, & sicut in Gallia, sic in Polonia sursum deorsum miscere, immaque summis paria facere contenderunt? Sed obstitit eorum conatibus Hosius. Vicit Christus, victus est Antichristus. Quoties Principi nefaria quædam separationis consilia suggesserunt, quibus perfectum iri sperabant, vt Ecclesiæ Catholicæ nuncium remitteret, & illius capiti Romano Pontifici diceret, Non seruiam, sed post Deos alienos ambulabo? Sed obstitit

eorum

eorum conatibus Hoſius. Vicit Chriſtus, victus eſt Antichriſtus. O Epiſcopum natum Eccleſiæ, memorem ſui nominis, imitatoremq; maiorum.

Equidem ita ſentio, quod niſi pulcherrimum, hoc, τοῦ ὁσίου cognomen à maioribus ſuis hæreditarium accepiſſet, id ipſe ſibi poſteriſque ſuis virtutis ſuæ præſtantia peperiſſet: Neque enim vnquam vitæ ſuæ ſplendorem, vlla turpitudinis macula aſperſit: nullo ſuſcepto facinore laudum ſuarum gloriam inquinauit, nullas tenebras nominis ſui claritati offudit. Summa erat in homine pietas, incredibilis ſapientia, pene diuina eruditio, inuſitata clementia, charitas in omnem proximum tanta, maiorem vt materna viſcera, erga proprios filios ferre poſſe non viderentur: tantus deniq; in omni varietate temporum rerum omnium modus, vt à primis illis, & puerilibus annis, per varios dignitatis, & honorum gradus ad ſummum illum, ad quem peruenerat auctoritatis apicem aſcendens (quis enim ei viro honor non debitus tribui poterat?) ad extremam vſque ſenectutem intactus (ſicut ait ille) à ſibilo perueniſſe videretur. Deinde verò, quam laudem in numerum rerum admirabilium ſacræ Scripturæ auctoritas re-

ferendam existimauit, post aurum etiam non abijt, nec sperauit in pecuniæ thesauris. Quo magis etiam illud de misericordia Dei nobis pollicemur, posteaquam illi visum est, ad accipiendam Regni cœlestis possessionem, virũ illum admirabilem, ex istius corporis domicilio euocare, quod ipsę quoque beatorum animæ lætantur, quod nouus iste Christi confessor confessorum in cœlis numerum auxerit. Lætantur (sicut de Basilio quoque suo scriptum reliquit Nazianzenus) hominem ad se consimilem moribus venisse, athletam athletæ: coronatum coronati, animo castum, corde puri: præconẽ sermonis, ministri sermonis: in quorum etiam societate longe maiore, quam cum in carne viueret contentione Deum precari nunquam itermittet, vt ne sit amplius inter nos Iuda & Israel, Roboam, & Hieroboam, Hierusalem & Samaria. Ipsi quoque Deiparę virgini supplicabit, & sacratissimis illis Apostolorum Principibus Petro & Paulo, ad quorum hic cineres cordis suis sanguinem, per lachrymas ex oculis defluentes communi Regi & Domino, pro Orbe Christiano offerebat, Adalbertum quoq; Gnesnensem, & Stanislaum Cracouiensem Episcopum patriæ suæ Patronos, & Aduocatos

exora-

exorabit,vt infirmitatem humanam orationum ſuarum præſidijs dignam putent,& pro ea fide,quam in Orbe Chriſtiano plantauerunt, pro Eccleſijs quas conſtituerunt, pro populis quos verbo veritatis genuerunt, pro quibus cathenas geſtauerunt, mortem ſuſtinuerunt, laborare, apud cœleſtem Regem non deſinant: quo dignetur auferre ex cordibus hominum cor lapideum, & dare cor carneum, vt ſit multitudinis credentiũ cor vnum,& anima vna,vt ſit vnus paſtor, & vnum ouile.

Non vereor autem ne me quiſquam exiſtimet diuturnæ conſuetudinis, quæ mihi cũ Hoſio intercesſit,& eius beneuolentiæ,qua me ad extremum vſque vitæ ſuæ diem proſequutus eſt, dulcedine delinitum, hæc quæ dico omnia libentius, quàm verius prædicare: cum ita communis, ita conſtans, ita perpetua ſit omnium de Hoſij noſtri pietate opinio,vt etſi præcipuum meum, erga illum ſtudium eſſe deberet,pene tamen æqualiter cum cæteris verſari videatur. Hoc enim in omnibus pene libris, & litteris ſummorum,& doctiſsimorum virorum, qui noſtra hac tempeſtate floruerunt, obſeruaui; quod magna ſit inter omnes in omnibus Orbis partibus de Hoſij præſtantia conſen-

ſio. Alij vocant Eccleſiæ columnam, alij malleum hæreticorum, alij ornamẽtum Collegij Cardinalium, alij Polonicum Patriarcham, alij ſenem vere Abrahamicum, alij Magnum Hoſium, alij Prælatum probatiſſimum, alij noſtri tẽporis Auguſtinum, alij alterum Poloniæ Staniſlaum, nouum Beſſarionem, huius ſæculi Hoſium, Melchiſedechicum Sacerdotem, nunquam ſatis laudatum Eccleſiæ defenſorem, rectæ fidei cuſtodem vigilantiſsimum: Orbis miraculum, Patrem patratum: Romani Senatus ornamentum, Apoſtolicę Sedis propugnaculum, Chriſti fortiſsimum Athletam, Phœnicem Cardinalium, Curiæ Romanæ ſplendorem, formidabilem hæreticis aduerſarium, ſenem ſuaui loquentem: alij ſynceræ pietatis magiſtrum, Dei interpretem, alteram Pauli manum, alij alijs laudibus celebrant, & vſque ad ſydera tollunt: omnes vno eodemque ore ſanctitatis & eruditionis teſtimonium perhibent, & antiquæ pietatis imaginem appellant: idque etiam in auribus omnium gentium, ac nationum cantare prædicareque non dubitant: & docti in bibliothecis: & indocti in circulis; & magiſtri in ſcholis, & antiſtites in ſacris, & prædicatores in cathedris, & in verſibus Poetæ, & in mon-

montibus Eremitæ,& in Orbe terrarum genus Christianorum : hoc enim summis, & præcipuis viris euenturum,apud Danielem legimus. Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti,& qui ad iustitiam erudient multos,quasi stellę in perpetuas æternitates.

Ad libros autem eius quod attinet, tam est omnium laudibus peruulgata, & percelebrata Hosianarum lucubrationum vtilitas,vt quod olim de quodā Gregorij Thaumaturgi scripto creditum est, id multi de Hosij quoque nostri libris existimare non dubitent : quod eos ipsa mater Dei virgo Maria scribenti dictauerit : vel quod de Basilio suo,Theologus scriptum reliquit, in pixide Spiritusancti calamum suum scribens intixerit : nec alia contra nostri temporis hæreticos scribendi materia scriptoribus vllis relicta,post Hosium esse videatur. Neque etiam dubitauit vir quidam eruditus Germanos suos admonere : vt Hosij Christianæ Catholicæ fidei confessio, in omnibus templis, & Catgedris ab omnibus Patrochis populo prælegeretur, & iterum atque iterum repeteretur, cum vix quisquam isto,vt ait,sæculo plenius,vtilius, apertius, magis etiam ordinate,totum corpus doctri-

næ Christianæ, totamq; illius vim & rationem complexus esse, nec efficacius Lutheri errores & aliarum sectarum vanitates refutasse, videatur. Ita vt merito possit, propter admirabilem vitæ sanctitatem & diuinam pene eruditionem, rerumque maximarum vsum, & experientiam, non pro qualibet Ecclesiæ Dei columna, sed pro altero huius tẽporis Augustino reputari. Cuius rei illud quoque maximum argumentum esse statuo: quod ipso etiam auctore viuente bis & trigesis in prçcipuis Christiani orbis vrbibus, Latina, Germanica, Gallica, Flandrica, lingua omnes Hosij libris typis excusi, in Polonicam etiam & Italicam translati videbãtur, & fortasse etiam in Armenicam, sicut ex sermone viri cuiusdam in hac vrbe Illustrissimi accepimus. Romæ, Parisijs, Venetijs, Lugduni, Antuerpiæ, Coloniæ, Moguntiæ, Dillingæ, Cracouiæ, Viennæ: tam facile per manus hominum distrahebantur; tam auidè à doctis & indoctis legebantur, & asseruabantur: quin & hoc ex Episcopo Ruremundano Gulielmo Lindano, viro in Ecclesia Dei notissimæ pietatis & doctrinæ, in vrbe cum esset audiuimus: quod sicut olim de Basilio, ita nunc in quibusdam Germaniæ Academijs de Hosio existiment, nefas

esse

esse in fidei doctrina ab illius sententia discedere. Ipsi quoq; Lutherani Catholicam fidem, Hosen Galuben hoc est, Hosianam fidem, & ipsum Hosium. Polnischen Gott, hoc est, Deum Polonorū, sicut olim Hunni Theothimum Scytarum Episcopū, propter summam eius virtutem, Deum Romanorum vocare non dubitauerunt. Tam magnus erat in Orbe Christiano Hosius, tam Hosij laudibus & gloriæ orbis angustus videbatur. Quo magis dolendum est, tantum illud præsidiū, quod in illius vita doctrina, pietate, sapientia positum videbatur tam necessario Ecclesiæ Catholicæ patriæq́; nostræ tempore defecisse: quem immortalem si fieri potuisset, esse oportebat: cum præsertim hostes Ecclesiæ pacem adhuc Ecclesiæ perturbare non desinant: necdum receptui canant: sed licet se se legum vinculis & armorum periculo per quandam confœderationem liberatos esse glorientur, armatum tamen contra Catholicos gerunt animum, & in hoc vno studio curas adhuc & cogitationes suas consumant, vt à Christo in Bethlehem nato, ad Antichristum Islebiensem vel Geneuensem vel nescio quem alium quamplurimos conuertant; nisi quod hæc iactura deplorari potest, corrigi nō potest. Nos enim,

vt ait ſcriptura,ibimus ad illum, ille autem non reuertetur ad nos. Deinde vero ſcitum eſt illud Paulini.

Impia nam pietas animam lugere beatam.
Gaudentemq; Deo flere nocens amor eſt

Et ſatis ille quidem & ætati vixiſſe videtur, & gloriæ,& ſi rerum geſtarum magnitudinẽ reſpexerimus,nunquã viuere deſinet. Quan diu litteræ ſacræ latiniq; ſermonis conſuetudo & eloquendi elegantia, in orbe Chriſtiano manſerit, Hoſij Cardinalis nomen optimis & doctiſsimis viris aunumerabitur, nec vllam vetuſtatem collecta per eum ſanctitatis fama pertimeſcet. Nos autem quod attinet,ſi ad vota,ſtudiaq; ſingulorum atque ad præſentem Reipub. ſtatum oculos vertimus, certum & indubitatum eſt, quod quandocunque tandem obijſſet, parum vixiſſet. Nunquam enim fœcundiſsimi illius pectoris opera non potuiſſet, non eſſe Eccleſiæ Dei valde neceſſaria.

Hic itaque homo Dei (magna videlicet orthodoxæ veritatis tuba) cum ex iſtius corporis domicilio migraturus eſſet,neque ſe Eccleſiæ Dei,cauſa, quicquã adhuc præſtitiſſe putaret,niſi illius rationibus, etiam e ſepulchro ſuccurrere conare; Lucubrationum ſuarum quæ adhuc in theſauris eius

lati-

latitabant, me hæredem, cum cætera omnia refutarem, testamento suo constituit: vt si quid in illis esset, quod intelligentium iudicijs in hac vrbe, quæ semper habita est altrix doctissimorum virorum, probaretur, quod gloriam Dei propagare, quod hæreticorum audaciam frangere, quod infirmorũ tepiditatem inflammare posse videretur, edendi & imprimẽdi facultatem & copiam permitterem: sin minus inter mea κυμήλια reponerem.

Ego vero cum intelligentium iudicia cognouissem, nil prius & antiquius habui, quã vt ea sub tuo, Stephane Rex potentissime, nomine & tutela, & patrocinio, in lucem hominum euulganda susciperem. Multæ enim & magnæ causæ erant, quæ mihi huius consilij & cogitationis initium attulerunt. Nã & in eo regno lucem hanc primum, tam pręclarus hic auctor aspexit, cuius tu nunc gubernacula, iuste, prudenter, & fortiter, & tẽperate moderaris: & eius Regni causa præcipue curas istas & cogitationes, & vigilias, & labores sustinuit: & in eo Regno ad vnitatem Ecclesiæ præcipuè reuocando vehementius laborauit: quod etiam ipse, qua erat modestia, pluribus in locis confessus est, cùm ea quæ scripsit, Tarentinis, sicut ait

ille,& Consentinis,hoc est,Polonis,Lithuanis,& Pruthenis, non autem Romanis; se scripsisse memoraret: vt existimare debeas tibi hæc omnia scripta ab Hosio fuisse, cum ad antecessorem tuum Regem Sigismūdum pro eius Regni salute scripta sunt, cuius tibi rationes, vt eas partim consilio, partim etiam armis tuis sanares, summa Dei bonitas & misericordia commendauit. Deinde verò non desunt adhuc, proh dolor; in Regno tuo homines Deo rebelles, falsitatis erroribus implicati, qui hoc genus veritatis antidoto vehementer indigent.

Cum itaque Ioanni à Lasko visum esset, probare se non posse sui similibus (quod Ecclesiæ rebellis,& hæreticus esset) nisi Hosio quoque Ecclesiæ defensori se inimicum esse declararet, aureum illum de expresso Dei verbo libellū,quē tātas vtilitates peperisse videbat,& dolebat,scripto quodā suo refellendum refutandumque suscepit: in quo suā quandam fidiculam,quam etiam oppressum Dei verbum (o vim veritatis incredibilem) vocare voluit, Orthodoxæ fidei repugnantem,pro puro, puto, & expresso Dei verbo, cum ipsi Regi Sigismūdo tum subiectis eius imperio populis, hauriendam propinabat: Cæteris enim in rebus Caluini doctrinam seque-

ſequebatur,in doctrina vero de Euchariſtia Suiſticam (hoc enim verbo vti conſueuerat Hoſius) hoc eſt ſuam propriam, & priuatã ſui capitis opinionem,non iam poetica vel pictoria (vt ait Tertullianus) ſed tertia quadam hæretica licentia vſus, in medium adferebat. Nec alium finem propoſitum habuiſſe videbatur, quam vt in patria noſtra ex hoc eius labore & contentione,aut legũ, aut hominum interitus ſequeretur. Sed vere dixit S. ille Pater Auguſtinus, Felix eſt cor acutum ad veritatem, infelix contra veritatem. Veritas enim falſitatem, non falſitas debet oppugnare veritatem. Accidit igitur Laskij libello quod ſuo tempore neſcio cuius hæretici libello accidiſſe in platea cuiuſdam maritimi oppidi idem Auguſtinus memorat. Nam & Laski libellus in platea maritimi oppidi Braunbergenſis, quod Epiſcopo Varmienſi ſubiectum eſt, à quodam prætereunte iuuentus, ad Hoſium Epiſcopum deportatus erat: quem ille cum legiſſet, etiamſi nullum huius temporis hæreticum ſcriptorem vidiſſet,qui maiore auctoritate nil diceret,memor tamen illius ꝙ à quodam patre ſcriptum legerat:Hæretici ſcriptis ſuis firmos quidem fatigant, infirmos capiunt, medios cum ſcrupulo dimittunt:

tunt: tum vt illam Augustini reprehensionem effugeret, qui de sui temporis Episcopis scribens quæritur, quòd sæpe noluissent dicere, quod teste scriptura poterant dicere; timentes videlicet, ne loquentibus illis, qui veritatem non potest capere offendatur: & non timentes, ne tacentibus illis, qui veritatem posset capere, falsitate capiatur: Hæc inquam cum animo reputans nullo momento temporis interposito, cum pestem illam in lucem hominum prodijsse putaret, etiãsi ternis Pauli IIII. litteris, Concilij congregandi caussa, ex Episcopatu suo euocatus, iter in vrbem adornaret, confutationem tamen Lascanarum Fabularum ipse quoque est aggressus: vt si quispiam ex illarum lectione, in qua auctor ramos loquacissimi erroris expandere voluisse videbatur, incommodi accepisset, Catholicæ veritatis antidoto sanaretur: ac illud etiam palam omnibus faceret, quam nihil sit cor acutũ & lingua expolita, nisi à Domino gressus hominis dirigantur. Cæterum Laskus non ita multo post antequam librũ suum typis edendũ curasset, è rebus humanis exemptus est, & Hosius qui virtutes suas potius quam vitia celare didicerat, ab editione libri sui abstinendum sibi quoque esse existimauit,

ne

ne cum laruis (ſicut aliquando dicebat)pugnare,vel aerem verberare velle videretur.

Hunc itaque Hoſij de oppreſſo Dei verbo libellũ,nos ad te Rex inuicte mittimus, ex quo magis etiam liquide perſpicies, qđ hæretici ſcripturas habere poſſunt, Biblia habere poſſunt,Euangelium habere poſsũt, verum autem ſcripturarum intellectum,verum Euangelij ſenſum, quia extra Eccleſiã ſunt, habere non poſſunt. Licet Euangelij verba in ore & in lingua prompta habeant, licet diſputent,diuidant,argumenta faciãt, patrum & Conciliorum dicta & auctoritates adferãt,mendaces ſunt,lupi ſunt, hoſtes Chriſti ſunt, quãdiu ſe ſe ad Eccleſiam, quæ corpus eius eſt,non adiungunt. Sicut enim ait Tertullianus, ſi quis in tibiam flauerit, non propterea tibiam hominem fecerit, quamuis de anima ſua flauerit, ita non ſtatim verum & expreſſum Dei verbum fecerit, quicquid aliquis ex ſcriptura in mediũ attulerit,niſi idipſum cum Cathedra vnitatis concordauerit. Cathedram autem vnitatis,ſicut in alijs,ſic in hoc quoque præſenti libello aliam eſſe non poſſe oſtendit Hoſius,quam eam quæ & in capite Orbis vrbe Romana: cuius fidem Apoſtolica voce laudatam eſſe ſcimus,in qua perpetuo (vt eiuſ-

dem

dem auctoris verbis vtamur) conseruatam eam fuisse, quæ est ab Apostolis traditionem refert Irenæus, cui totam doctrinam Apostolos vna cum sanguine profudisse asserit Tertullianus: ad quã accessum habere perfidiam nunquam potuisse testatur Cyprianus: quam ita semper incorruptæ patrum doctrinæ fuisse tenacem, vt quoties Romana fides diceretur, Catholica intelligeretur, ex ijs quæ scripserunt Ambrosius & Hieronymus didicimus: in qua semper Apostolicæ Cathedræ viguisse principatum narrat Augustinus: quam hæretici fœtoris semper expertem permãsisse, nec vnquam in ea qui contrarium sentiret sedisse, quam potius Apostolicam gratiam inuiolatam custodiuisse, testatur Theodoretus: ad quam propterea de fidei causis iam inde ab ipsis Apostolorum temporibus nunquam non relatũ fuisse, asserit Bernardus, quod ibi potissimũ damna fidei sarcita iri spes foret, vbi fides non posset sentire defectum; cuius morem multas gentes propterea imitatas esse in sacris rebus scripsit Lantfrancus: quod tanti magisterij ex apice Apostolico primordijs claret, & nulla per orbem Ecclesia æque vt Romana ab omni fece hæreseon cunctis retro temporibus pura permansit. Sed non

est instituti nostri fusius ea de re disserere.

Cum autem in Episcoporum vigilantia plurimum sit præsidij collocatum, vt homines istam vnitatis Cathedrã & cognoscant, & audiant, visum quoque est intelligentibus viris, vt exempla curæ vigilantiæq; pastoralis gregis Dominici pastoribus ad imitandum proponerentur, quæ mirabiliter in omnibus Hosij Ecclesiasticis actis & gestis elucescunt: quanta fide charitate, lenitate, seueritate, clementia, patientia, præditos eos esse oporteat, qui homines erroribus implicatos, à studijs iniquitatis ad viam veritatis reuocare conabuntur. Quæ omnia Hosius Cyprianum & Augustinum imitatus, summa fide propterea perscribebat, vt de ijs qui conuersi videbantur iuxta Pauli præceptum congauderent omnia membra; de ijs autem qui nihilominus obstinati veritati repugnabant, compaterentur reliqua membra; & sicut Dominus præcipit, vt eos qui voci pastoris suis obedire noluerunt Ecclesiæ denunciaret. Ecclesia vero iuxta potestatem à Deo sibi traditam conuenientia remedia morbis egrotantium adhiberet, vt non solum, sicut ait Augustinus, tenebras erroris, vox prædicantis expellat, verumetiã malæ consuetudinis vincula vis timoris abrumpat.

rumpat. Si enim errantes docerentur tantum,& non etiam terrerentur, vetuſtate cõſuetudinis obdurati, ad capeſſendam viam ſalutis pigrius mouerentur. Viciſsim autẽ ſi tantum terrerentur,& non etiam docerẽtur, improba quaſi dominatione premi viderentur.

Quod autem ad Eccleſiaſticas Auctoris Epiſtolas attinet, quarum bonam partem hoc tempore in lucem hominum mittimus, equidem puto futurum, vt lectorem non ſolum iuuent, verumetiã delectent. Sunt enim plenæ zeli, plenæ pietatis, plenæ Euangelicæ libertatis, Apoſtolicis plane conſilijs & ſententijs abundantes. Nam quod Paulus Timotheo ſuo præcipit dicens: Tu verò vigila, in omnibus labora, opus fac Euangeliſtæ, miniſterium tuum imple. Et iterum: Clama neceſſes, iuſta oportune, importune, argue, increpa: id Hoſius noſter per Epiſtolas ſuas re & veritate expleuiſſe exiſtimatur: quibus enim ille vigilijs, quibus laboribus pepercit? quod tempus ſine lectione tranſmiſit? quas litteras ſine doctrina & adhortatione ſcripſit? Nullius vnquam magnitudinem & potentiam pertimuit: nullius ſibi faſces & ſecures reformidandas eſſe in cauſa Chriſti putauit; viciſsim autem nullius

vnquam tenuitatem vel contempſit vel neglexit. Totum Orbem Chriſtianum ſuas oues eſſe reputabat, pro omniũ ſalute æquè laborabat, omnibus ſe debitorem ſentiebat, Catholicos in fide confirmabat, hæreticos docebat, medios confouebat, omnes diligebat. Reges docebat, quomodo ſeruire deberent Domino in timore. Subditis oſtẽdebat nullius mortalis pertimeſcẽdam eſſe potentiam, quæ ab vna ſancta Catholica Eccleſia quempiam abducere attentaret. Omnia molitus eſt, in omnia ſe vertit. Iã ſe ſubmittit, vt pontem in cœlum faciat properãtibus: iam ſe erigit, vt ſe murum opponat perſequentibus; iam (quod Paulus præcipit) mutat vocem ſuam, iam ſicut gallina expandit alas ſuas. Conatus hæreticorum, nemo feruentius, nemo apertius, apud Reges terrę in omnibus Orbis Chriſtiani partibus ſine vllis diſsimulationis inuolucris oppugnauit, ſtudia & cõſilia Catholicorum nemo diligentius fouit, promouit, excitauit: nemo familiarius rationem fidei ſuæ omni poſcenti expoſuit: nemo Lutheranæ perfidiæ fœditatem, progreſsionem, diuiſionem, vanitatem, ſimplicis veritatis amicis planius atque ſimplicius expoſuit. Quæ omnia cum ex magna parte pro Regni tui, vt diximus,

mus, ſalute, cum apud anteceſſorem tuum Sigiſmundum, tum apud Regni tui Senatores, & Equites per Epiſtolas ſuas molitus ſit, tibi quoque præcæteris, ò Rex, conuenire videtur, tam laudati Senatoris & Epiſcopi plena maturitatis conſilia cognoſcere, illumque quaſi adhuc in illo grauiſsimo Regni tui Senatu ſententias ex intima ſapientiæ arte venientes proferentem cogitare. Porrò quæ de conſpiratione potius, quàm Confœderatione hæreticorum, in illius excuſsione, & de quatuor in ea conſiderandis ſcripſit, neminem tali ingenio fnturum puto, quin ea veriſsima eſſe & proprie ad hoc tuum munus Regium pertinere, atque ad auertendum à ciuium tuorum capitibus nefariæ cõſpirationis periculum ſit exiſtimaturus. Huc accedit, quod ſicut medici ſalutaris alicuius medicinæ amaritudinem mellis dulcedine temperant, ſic futurum exiſtimo, vt ipſi quoque hæretici, quos in Regno tuo ſicut ægros ſuos medici, dolentibus adhuc oculis aſpicis, tanto auidius erroris ſui medicinam in Hoſij libris propoſitam accipiant, quanto manifeſtius illam tui nominis dulcedine & gratia tinctam atque delibutam viderint.

Atque vtinam poſſem ſemones quoque

Hoſij,

Hoſij, quos eius propria manu in Euangelia quæ feſtis, & Dominicis leguntur conſcriptos, Latina, Germanica, Polonica lingua in theſauris adhuc meis teneo, in iſtorum librorum comitatu ad te mittere. Sed aliquod adhuc tempus in ijs ordinem cogẽdis ac deſcribendis ponendum eſſe video: nec dimittam iſtam curam, ſuſcipiam etiã omnem actionem, quam video verbi Dei miniſtris fore gratiſsimam.

Diuinitus autem, ò Rex, factum eſſe puto, vt in ea tempora lucubrationum iſtarum editio inciderit, in quibus tu maximis & memorabilibus victorijs & triumphis, de coniurato Latini ſimul & Polonici nominis hoſte Moſcho reportatis, in Regnum hoc tuum reuerteris. Nam ſicut olim Abrahamo à quinque Regum cede reuertenti Melchiſedech ſacerdos Dei altiſsimi gratulabundus occurrit: Sicut Moyſes poſt cedem Madianitarum Phineæ victoriam reportãti obuiam prodijt: ſicut mulieres ex vrbibus Iſrael congregatę, Dauidem Goliati cede nobilitatum, cum omnibus lætitiæ ſignis exceperunt: ſicut Ioſa phat poſt deletos Ammonitas & Moabitas cum Pſalterijs & Cytharis occurriſſe memorantur. Sic Hoſius quoque alter quaſi Melchiſedech ſacerdos

Dei altiſsimi obuiam tibi in his ſuis lucubrationibus occurret, teque è prælio reuertentem cum omnibus gaudij lætitiæque ſignis excipiet: ac eadem illa vota tua quoq; cauſa concipiet, eademque te benedictione proſequetur. Puta eum tibi quoque dicere, Benedictus Stephanus Deo excelſo, & benedictus Deus excelſus, quo protegente hoſtes in manibus tuis ſunt. Et ſicut olim trecenti illi viri Gedeoni victori lætiſsimis vocibus acclamauerunt: Domino & Gedeoni: Gladius Domini & Gedeonis. Ita quoque tibi Hoſium acclamare exiſtimabis, Domino & Stephano Regi, Gladius Domini & Stephani Regis, neque dubites quin magnum ſit pondus hæc illius oratio habitura. Fuit enim ille cũ adhuc in carne viueret his tuis laudibus, & virtutibus ad te omni officio colendum non vulgari illo modo, ſed pręcipuo quodam ſtudio, quod ſummis ac de Republ. Chriſtiana bene meritis Principibus debetur vehementius inflammatus: idque tibi comprobare etiam conatus eſt, cum de eo ſermone cognouiſſet, quem habuiſti, cum quodam ex his, qui ne quid habere commune cum Chriſto videantur, Euangelici potius quam Chriſtiani dici malunt, quod genus hominum Eſaias Propheta viros illuſores

res vocat,ſic enim ait: Quo magis mihi deſideratum hoc accidit, vt veſtra Maieſtas tam aperte Chriſtum confiteretur, etiam eo tempore quo contra Chriſti ſuoſque rebelles multorum eius generis hominū opera vti neceſſe habebat, hoc maiore illius exarſi deſiderio propter tam fortem & imperterritum animum,quod nulla vſa circuitione teſtata publice eſt. Se non niſi vnum Deum & eum patrum noſtrorum Deū agnoſcere, ſolum illum in Regno terriſq; ſubiectis coli, nec in ſocietatem eius vllum Belial admittere velle. Quamobrem credibile non eſt,quanto fuerim ſtudio videndæ Veſtræ Maieſtatis inflammatus, vt me tenere non poſſem, quin exclamarem cum illo ſancto Rege & Propheta: Quis mihi dabit pennas,ſicut columbæ,& volabo? niſi quod ego non ſicut columbæ,ſed ſicut aquilæ pennas, cuius velocitatem in ſcripturis prædicari memini, dari mihi cupiebam, vſque adeò mihi fuit omnis mora longa, qua non aduolarem ad Maieſtatem Veſtram, qua tā Chriſtianum illius pectus non exoſcularer, qua tantum animi robur in Chriſti fide contra Chriſti perduelles tuenda & conſeruanda non illi gratularer. Hoc ſibi certo perſuadere poteſt Maieſtas Veſtra,quod ſi per in-

grauescentem hanc ætatem meam, & imbecilles vires licuisset, nihil fecisem libetius, & ardentius, quam vt in viam primo quoq; tempore me darem, ac ad vultum illius contemplandum se mota quauis cunctatione me conferrem. Sic ille Cardinalis sapientisimus, qui in omni re verisimum certissimumq́ne pulchritudinis iudicium assecutus existimabatur, erga tuam pietatem, & istum qui in te eminet zelum propagandæ fidei Christianæ fuit inflammatus; quem etiam magis semper in te est, quam istos fasces & ista quęgeris Regia sceptra admiratus. Neque enim tu, ò virorum fortisime, vel minore in Deum fiducia, cum ad auctorem Deum victoriæ tuæ gloriam referas (sicut ex tuis Suirensibus edictis, & litteris quas ista quoque vrbs laudibus suis vehementer comprobauit, apparet) vel minus fortiter, qui spiculis tuis totam pene Moschouiam scrutatus es: vel minus fœliciter, qui res tam magnas tãta neleritate, non toto adhuc triennio à suscepto bello, minimo tuo incommodo confecisti, neque deteriore causa, quam olim Gedeon, prælia Domini contra hostem Domini coniuratum Ecclesiæ Catholicæ aduersarium præliaris.

Qui ex patria nostra in has horas veniũt,

tuam

tuam erga Deum pietatem, erga S. Sedem Apoſtolicam obſeruantiam,erga Dei miniſtros,& Sacerdotes humanitatem,& liberalitatem, ſatis prædicare nequeunt. Hæreticorum errores qui diuinam Regiamque ſimul auctoritatem,& poteſtatem, & leges,& iudicia, & pœnam ita contempſerunt:nil vt eos delectare videatur, quod aut per naturam fas ſit,aut per leges,liceat, & animo, & voluntate ſumma deteſtari te perhibent; nec vllius medicinæ facultatem prætermittere, vt ſaluis hominibus errores hominum interire queant. Quamobrem etiam in arce Polocenſi, quam ante triennium è Moſchi-manibus Herculea claua tua,vel potius feruentiſsimis orationibus extorſiſti, quas ad Deum tota illa nocte expugnationem præcedente, apud tuum illud militare ſtragulũ effudiſti. Collegium Societatis Ieſu, cuius hodie laus eſt in Euangelio, omnibus vitæ præſidijs inſtructum Regia plane animoq; tuo digna dileralitate erexiſti, vt ſit quaſi quædam ara fortitudinis, ſempiternumque victoriæ tuæ monumentum, in quo tenera ſubditorum tuorum ætas in recta fide imbueretur, & ij qui Græcorum erroribus implicati aut Hæretica perfidia contaminati ſunt,tãto facilius lucem veritatis aſpi-

 cerent,

cerent, quanto illam sæpius doctissimi viri oculis eorum offerent: tibique etiam lætissimum illud carmen sempiternis sæculorum ætatibus occinerent, Domino & Stephano Regi, Gladius Domini & Stephani Regis. Et nunc etiam de Rigensi ciuitate, atque adeo de totius Liuoniæ salute, quæ extra Ecclesiam nulla est, quæ consilia, quas cogitationes suscipias, ex Solicouij Secretarij tua pietate dignissimi litteris abunde cognoui. Nil hic dicam de Transyluanico tuo collegio, cuius opera fit vt errores grauissimos, in quos de religione inciderant illius Prouinciæ populi quotidie recognoscant, & ad Ecclesiam Dei cupidissime reuertãtur. Nil dicam de tua in optimarum artium professores & Theologos singulari propensione, quos maximis tuis sumptibus, ex intima Italia in Regnum tuum euocare amplis propositis præmijs, contendisti. Toletum dico, Belarminum, Aquarium, Muretum, Fuluiũ Vrsinum, Flaminium, Sigonium, Petrum de Valentia, & alia Orbis Christiani lumina. Nil de priuatis tuis orationibus, lectionibus, studijs, in quibus Christianam eiusdem Hosij fidei Catholicæ Confessionem, & Cæsaris quoque commentaria esse præcipua voluisti memorabo; quod solum si Moschus

cogno-

cognouiſſet, ſtatim illi ex manibus arma cecidiſſent, multum enim tibi animi; multũ virium acceſsiſſe ſenſiſſet, eo ſolo nomine, quòd Cæſarem imitari in laudibus bellicis decreuiſti. Quamobrem te etiam vir quidã Eccleſiæ Dei valde ſalutaris, Homerum imitatus, μύθων ῥητῆρα πρακτῆρα τ' ἔργων, ad Hoſium Cardinalem ſcribens appellauit. Aditus ad tuam Maieſtatem eſſe perhibent minime prouinciales. Facilis es in audiendo, lenis in diſcernendo, in ſatisfaciendo diligens, in iure dicendo ſumma & æquabilis ſeueritas adhibetur: neque enim pateris, vt leges patriæ aranearum telis perſimiles habeantur, in quas ſi Muſca inciderit teneatur, ſi veſpa, telam laceret & auolet. Si quid tractandum eſt differs, ſi quid expediendum acceleras. Aures tuæ patent querelis omnium, nullius inopiam Regia tua vis excluſam, delectus in familiaribus peracutus & diligẽs. Aulæ tuæ grauis & conſtans diſciplina: nec enim in illam otioſis & inertibus, ſed aut librorum, aut armorum ſtudioſis, & amatoribus patet acceſſus. Miniſtros qui vias omnes pecuniæ norunt, non in tuis intimis reputas. Scis enim tales omnia viciſſim pecuniæ cauſa facere conſueuiſſe, & quod omni laude prædicationeque dignum ſtatuo, cum

cæteros omnes poteſtatis tuæ magnitudine vincas, vincis etiam artificio beneuolentiæ colligendæ, nec quicquam ad tuam Regniquę tui ſalutem & dignitatem amore & beneuolentia ciuium tuorum anteponendum exiſtimas. Times timeri,ſcis amorem amore,arma armis irritari. In ſumma ſic te in tanta tua poteſtate adhibes,nulla vt alia po teſtas ab his quibus pręes deſideretur. Oēs enim tuos ad laudem impetus recenſere, nec induſtriæ meæ,nec iſtius temporis officium eſſe ſtatuo:nec etiam pertimeſcendum video,ne laurea gloriæ tuæ rebus abs te fortiter,& præclare,& celeriter geſtis acquiſita, amittat aliquo tempore viriditatem.

Sed vide,quam ſuauiter omnia diſponit Dominus, quamq́ue egregie extrema cum primis contexat. Tu non erubeſcis eum coram hominibus confiteri,ille te viciſsim nō ſolum coram patre ſuo cæleſti, ſed etiam in oculis omnium gentium,& nationum confitetur. Tu vt animas diabolica fraude deceptas Chriſto lucrifacias, nullos tibi labores,nullos ſumptus, nullas vitæ contentiones defugiendas exiſtimaſti: Ille vt tibi materiam pietatis exercendæ ſubminiſtret,potentiſsimarum prouinciarum acceſsione te locupletauit. Bonum eſt, o Rex, confiteri

Do-

Domino: bonus eſt enim Dominus Deus noſter. Magnus eſt Dominus Deus noſter, & magna virtus eius. Hic eſt, qui te tam fortem, tãq; ſapientem Regem patriæ noſtræ obtulit, hic eſt, qui cum ſuo noſtroque hoſti pene omnia ad perniciem Lithuaniæ patere videret, ſubito te vnum excitauit, qui nos omni metu periculoque liberares; hic eſt qui te puerum litteris, iuuenem armis, virũ conſilio inſtruxit. Hic eſt qui tuum hoſtem Principem otio inimicum, pacem metuentem (de quo tu recte poteras illud Homeri dicere,

Ἔχθιστος δέ μοί ἐστι θεῶν, οἳ ὄλυμπον ἔχουσιν.
Αἰεὶ γάρ τοι ἔρις τε φίλη, πόλεμοί τε, μάχαι τε.)
Inimiciſsimos es Deorum qui Olympũ habitant
Seper enim tibi contentio grata, bellaq; pugnæq;

in manus tuas tradidit, ac iſtis tot tam præclaris, & memorabilibus victorijs, & triumphis nomen tuum, ad vniuerſæ poſteritatis memoriam propagauit, nulla vt iam videatur eſſe Orbis Chriſtiani ora, ſedes, locus, quo non tuæ fortitudinis fama peruaſerit. Quid ergo? Dicam quod olim Auguſtinus Bonifacio: Chriſtianus es, cor habes, Deũ times, tu ipſe conſidera quæ volo dicere. Pugnarunt quoque cum Moſcho alij ante te Poloniæ noſtræ Reges, ſed poſt illorum pugnas

gnas pugnauimus , post tuas pugnas vicimus . Illi fecerunt, tu bellum sustulisti. Statim enim vt in Regem Poloniæ à Senatorio, pariter & equestri ordine maiorum more in campis, longe lateque patentibus, sole isto, Vistulaque inspectante, inter equitum peditumq; copias , inter hastas & gladios, inter clangores tubarum, tympanorumque sonitus, & tormentorum explosiones (quibus rebus Martij illi fortissimique equites, magis etiam incendebantur, vt Regem sibi Martium querendum eligendumque putarent) in hoc inquam tali fremitu, strepituque armorum, cum electus Rex esses, nullã tu quoque moram interponendam existimasti, quin eum honorem, quem tibi arma dederant, omnibus vicissim castris & armis conseruares. Quamobrem in aciem armatus, illico prodijsti, hostisq; tui animum, im manitate barbarum, varietate leuissimum, perfidia periculosissimum domuisti, & quod in patria nostra nullus à multis annis miles viderat, tu tergum illius non solum vidisti, sed etiam calcauisti: fortassis autem ideo superioribus aliquot annis tergum fugientis non vidimus, vt tu, Rex potentissime, in hoc tuo felicissimo tempore, cum bene parato nostrisque etiam armis instructo hoste

non

non ſolum fortius pgnares, ſed tanto etiam glorioſius vinceres fœdamque illam barbariſſimi Principis crudelitatem, imbutoſque ſanguine gladios, vitæ libertatique ciuium tuorum imminentes, ab vniuerſæ patriæ membris & viſceribus auerteres. Nemo adhuc contra te in aciem prodijſſe dicitur, qui non tuis laudibus & triumphis adderetur. Ter tuos milites in mediam pene Moſchouiam immiſiſti, ter victores ex hoſtili terra reduxiſti: & ſi quos paucos caſus aliquis abſtulit, plus ex illis gloriæ, quam ſanguinis emanauit: hoc enim quoque iſta tua fortitudine, ac vigilantia, qua cæteris omnibus emines, perfeciſſe te perhibent: vt milites tui tanquam ſi tu eſſes ita ſint: nec eos vel metus belli ſtupefaciat, vel laſſitudo exhauriat, vel hoſtium legiones terreant, vel impedimenta viarum defatigent, vel cœli intemperies, vel hyemis aſperitas, vel niuium altitudo, à ſuſceptis conſilijs deterreat. Acutis ſunt auribus ad præcepta, promptis oculis ad ſigna, expeditis manibus ad opera. Dare vulnera paratiſſimi ſunt, accipere vero tardiſſimi. irati pugnant, receptui ſignum, aut reuocationem à bello audire non queunt. Sperant ſemper optima, pati vel difficillima malunt, quàm cedere:
nec

nec poteſt vllius auctoritate tantus ille ardor extingni, longe vt eos rectius ἀθανάτους, hoc eſt, immortales, quorũ olim apud Perſas decem millia fuiſſe legimus, quos vinci poſſe non putabant, ſi quis in te faſtus eſſet, appellare poſſes. Quo factum etiam eſt, vt quot bella ſuſcepiſti, tot iam tuas victorias & triumphos numeremus: tantumque patriæ noſtræ ſcuto tuo, quantum Duna, Vielica, vel Polota, alueo ſuo, quantum ſyluæ denſitate, quantum montes altitudine, præſidij attuliſti: ita vt ſi amnes exaruiſſent ſi ſyluæ deflagraſſent, ſi montes ſubſediſſent, nõ naturæ prȩſidijs, ſed virtute tua Lithuaniam tuam, munitamq; haberemus.

Iam minæ ſæui cecidere ferri,
Iam ſilet murmur graue clariſsimorum,
Iam tacet ſtridor Litor ſtrepentis,
Alta pax noſtro reuocata Regno eſt.

Quod autem in ſumma laude ponendum eſt, cum alij victores captarum vrbium & prouinciarum aut prædas appetant, aut ruinas; tu in his tuis victorijs & triumphis ſic te adhibes, vt ſeueritatem abditam, clementiam autem expoſitam habeas: neque adeo magnum exiſtimes, ea quæ & naturam, & conditionem habent, vt vinci poſſint, vincere, verum in victoria animi impetum cohibere,

hibere, iracundiam refrenare, captas vrbes, quas victoriæ conditione delere potuisti, clementiæ tuæ iudicio conseruare, viros virtute præstantes, non modo extollere iacentes, sed etiam libertate donare, ac beneficijs cumulare, hanc tu veram victoriam esse reputas; quod certe nihil aliud est, quã inuictum esse, quam ipsam victoriam vincere. Sic tuam virtutem hostes, misericordiã victi, fidem & prudẽtiam cæteri omnes perspexerunt. Ex quo illud etiam consecutum existimant, vt armis tuis subactæ prouinciæ doleant, tardius se in tuam potestatem peruenisse: nil enim illis aliud præter inferendæ iniuriæ licentiam eripis. Rem nouam dico. In fœlicitatis parte ponunt, vinci: victoriam tuam vitam suam, salutem suã existimant: libenter in tuam potestatem veniunt, quem in sua potestate esse, nec vllo iracundiæ impetu de statu mentis dimoueri consueuisse cognouerunt: & hoc tuum, tam iustum, tam temperans, tam moderatum imperium, patrocinium potius vitæ fortunarumq; suarum, quam imperium esse existimant. E quidem est quod sibi hostis tuus gratuletur, se in tam pium, Christianũ, Catholicum, & Orthodoxum ἀνταγωνιστὴν incidisse. Nam si pari perfidia cupiditate;

imma-

immanitate, in ſubictas illi prouincias impreſſionem feciſſes,quam tuam Lithuaniam annis ſuperioribus aggreſſus ipſe eſt,ne ſperare quidem illi principatum,ſed ne vitam quidem optare licuiſſet. Verum tu in Eccleſiæ Catholicæ ſchola didiciſti, quod Regem non deceat eſſe diuitem aliorum iactu ris,locupletem aliorum calamitatibus, immortalem inimicorum funeribus, nec eſſe quicquam Chriſtiano Principe indignius laſſa crudelitate. Incendij enim ac ruinę ſimile eſt,multos ſine cauſa furenter occidere,viciſsim autem nullum ornamentũ Principis faſtigio dignius eſſe poſſe, quam illam coronam, ob defenſam patriam ciueſq; ſeruatos: Niſi quod ego hoc tempore de tuis laudibus, apud te Regem Homerico ingenio & carmine digniſsimum, non poſſum omnia,quæ mihi in mentem veniunt, ſingillatim recenſere,quæ tui illi Patricij, Socolouij,Varſeuicij orationibus, & Panegyricis ſuis λόγις plane ϐυσσίνις, quales in Regibus Paryſatis illa requirebat, ita perſecuti sũt, vt non dubitem ipſum te qui feciſti rerum abs te geſtarum magnitudinem admiratum eſſe cum legeres: quæ etſi magnæ ſunt, maiores tamen adhuc à tua ſapientia, iuſtitia, fortitudine,animiq; moderatione expectamus;

mus; nos præsertim qui vocamur Ecclesiastici, quibus ad bene de tota re Ecclesiastica sperandum quasi signum quoddam sustulisti, pristinæque vitæ & pacis, & tranquillitatis vsum & consuetudinem, hæreticorũ audacia pene interclusam, aperuisti, quo nomine quàm sumus magis obstricti, atq; obligati esse tibi non possumus: atque vtinam maiora possemus, quandoquidem maiora nos ab te accepturos esse confidimus. Maiora enim, ait ille, populus semper à summo exigit. Verum interim Deum Patrem misericordiarum, & totius consolationis deprecari nunquam intermittemus, quod olim Christianos, pro suis Imperatoribus precatos esse legimus, vt tibi det Dominus Imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, senatum fidelem, populum probum, Regnum quietum, vitam prolixam (te enim esse prolixissime regnaturum, ipsa quoque tui corporis forma & statura ad eam quam geris dignitatem accomodata designat) idque nos à Diuina clementia tanto facilius impetraturos esse confidimus, quanto maiore conatu in id studium & antea semper & nunc in Liuonia tua incumbis, vt in omnibus prouincijs imperio tuo subiectis sit omnium credentium cor vnum & anima

vna

vna ἀγαθῶν ἀνδρῶν ἔργον, ait Conſtantinus: τῇ πίστῃ τὴν πρῴην σύζην. Et Leo ad Theodoſium: Defendite, ait, inconcuſſum Eccleſiæ ſtatum, vt & veſtrum Chriſti dextera defendatur imperium, ſcientes imperij veſtri viribus profuturum, quicquid Catholicæ libertati benigna fuerit diſpoſitione collatum. Equidem, Sereniſsime Rex, in omnibus iſtis hęreticorum ſtudijs & contentionibus nil aliud, quam aut legum aut hominum interitus oſtenditur. Non poteſt enim fieri, vt falſitas non perſequatur veritatem: cum enim hæretici ſint vniuerſis erroribus amici, non poſſunt niſi ſolis eſſe non errantibus inimici. Quamobrem optimum eſt notis vitijs impedimenta proſpicere, quod te & ſtudioſe & libenter facere lætamur & gaudemus, ne poſtea ſero medicina paretnr. Hæreſis enim ruinis ſimillima eſſe perhibetur, quæ ſuper id quod mole ſua oppreſſere franguntur. Sed oppreſsionem Deus omnipotens à patriæ noſtræ capite auertet, te præſertim Rege vigilantiſſimo ad illius gubernationem aſſidente; quo non modo victore, ſed etiam viuo, & florens, & incolumis patria noſtra eſſe poſſet. Peſtis autem iſtius exitium quæ multorum animos inquinauit, cum à Dei miſericordia, qui neminem vult

perire,

perire, ſed vult omnes ad agnitionem veritatis peruenire: tum etiam ab ijs quæ in te eluceſcũt, quæque in Regno tuo comparas, pietatis præſidijs expectamus & ſperamus. In te enim vnum atque tuum nomen tota ſe apud nos conuertit religio Chriſtiana.

Te permiſto
Matrona minor maiorque choro
Colit, & referat venienti tibi,
Templa ſacerdos, tibi nexilibus
Turba coronis redimita venit,
Tibi graudæui laſsique ſenes.
Compote voto reddunt grates.
Libantque manu vina trementi.

Qua de re ego nolo hoc tempore pluribus, ne panegyricum in Epiſtolam includere velle videar: quin & ipſius Epiſtolæ longitudinem excuſare deberem: niſi eam vererer excuſando magis etiam facere prolixiorem: cum pręſertim ad eos, quos tibi offero libros, pro tua in Rempub. Chriſtianã pietate, & in Hoſij memorjam ſingulari beneuolentia, te & animum & oculos conuertiſſe videre mihi videor. Quod ſupereſt me & hos poſthumos Hoſij Cardinalis fœtus Regiæ tuæ clemẽtię & protectioni qua ſumma poſſum animi mei ſubmiſsione etiam atque etiam diligenter ac ſtudioſe commen-

ſiuiſſet, de te quoque vt valeres, vtque flore-
res, quiq; eſſet rerum & rationum tuarum
ſtatus, valdè eſt omnia diligenter percun-
ctatus; eo planè modo, quo ſolemus, cũ quẽ
non vulgari illo ſtudio, ſed præcipua quadã
ratione amamus. Dixi quæ ſciebam, quæq;
erant ſuæ Maieſtati gratiſsima. Ille verò in
tuas laudes effuſus. Magnus, ait, iſto ſæcu-
lo vir Morettus. Multum illi debet Reſpu-
blica litteraria. Non eſt, vt audio, quod
quiſquam velit diſcere, quod docere More-
tus non poſſet, quoties abditum aliquid in
litteris humanioribus quæritur, Moretus
theſaurus eſt. Quò magis gaudeo iſtũ ho-
minem valere, in cuius ſiue morbo, ſiue mor-
te, non vnus homo, ſed litteræ ipſæ, omneſq;
bonæ artes ſummum mihi aditure pericu-
lum viderentur. Luctuoſa quippè acerbaq;
mors eorum ſolet accidere, qui quotidie ali
quid immortale meditantur, & quaſi quoſ-
dam agunt humani generis præceptores.
Quid noſtra purpura? quid caſtra? quid de-
uictæ iacenteſq; ſub pedibus prouinciẹ: Cõ-
temptores ambitionis animi, litteris imbu
ta & vniuerſam poſteritatem docentia, mo-
dicoq; contenta ingenia, ipſa vetuſtate flo-
reſcunt, nec ab vllis magis laudantur, quam
quibus minime neceſſe eſt. Viuent dum vi-

uet honor litteris: noſtras purpuras, niſi iſtorum loquantur litteræ, idem fortè qui corpus, lapis & vrna obruet. Quò libentius à me ſuſceptum fuit illud conſilium, vt Muretum, Sigonium, Vrſinum, Aquarium, Gregor. de Valentia, illas Muſarum delitias, in regnum hoc meum ex Italia euocarem, qui curam erudiendæ ſuſtinerent iuuentutis, qui ſe, qui me, qui Regni mei tempora immortalitate donarent, qui diſcendi, docendi, viuendique methodum, dictis factiſque docerent: vnde quotidie ciues noſtri, & meliores euaderent, & doctiores: tales autem cum euaderent, regnum quoque hoc meum omnium redderent, non ſolum florentiſsimum, ſed etiam ſecuriſſimum: profectò longe nobis iſta gratior fuiſſet purpura, ſi à bellico ſtrepitu, fremituq; armorum, ad Academicum quandoq; puluerem ſecedere, ibique iſtos de diuinis pariter ac humanis doctè, prudenter, eleganter, audire diſſerentes licuiſſet.

Iſta cum more illo ſuo Rex optimus dixiſſet, verbis qualia olim Paryſatis in Regū deſiderabat filijs, Cardinalis quoque Bolognetus pleraq; alia de tui elegantia ingenij commemorare cæpiſſet, curſum ſermonis interrupit, Regni Procancellarius, qui horam

ram adesse concionis & sacrificij nunciauit. Ita itum est in Ecclesiam.

Ego verò cum ex eo, tam prudentis Regis de te sermone, voluptatem penè incredibilem accepissem, facere non potui, quin illico de tam præclara, tam laudati Regis voluntate redderem te certiorem, idque tu officium ex summo meo in te studio profectum putabis, & quo soles, quoque volumus amabis amore. Dat. Cracouiæ Idibus Ianuarij 1582.

CHRISTOPHERO VVARSEVICIO REGIO SECRETARIO.

Epistola X X.

VARIE sum affectus ijs literis, quas ad me Grodna 18. Kal. Febr. scripsisti, ego verò Romæ imbecilla impeditus valetudine accepi; Nã quod valere te nosque amare nuntiabant,

nil equidem carius: Quod autem tanta contentione viciſſim extorques; vt ad te, & ſæpe,& copioſe ſcribamus, de rebus plane omnibus publicis,priuatis,vrbanis, ruſticis, vt ne quid rerum noſtrarum neſcias, neve tibi operis noſtri, vlla ſit hora ignota, cruces crede mihi fixas parataq́; ſupplicia oſtendis: tanquam ſi diceres,Caput obnubito,arbori infœlici ſuſpendito : ita ego peſtem hanc ſcribendi quotidie magis atq; magis fugio: ac illa male feriata capita,ſiue Mercurius ille fuerit,quem Aegyptij Thoth,alij Trimegiſtum appellant: Siue Cadmus, ſiue Phænices,ſiue Pelaſgi,ſiue Hetruci,& ſcæleris,& ſtultitiæ condemno, qui primi carnificinam hanc in res humanas inuexerunt; quaſi hoc vnum maleficium ad cumulatam miſeriam in Pandoræ pixide defuiſſe videretur.

Quid enim habet ars ſcribendi, hominis præſtantia, & ingenio conſentaneum? quid non potius velis remiſq; πὺξ καὶ λὰξ, vt aiunt, fugiendum? Animum quæſo te aduerte,Spiritus extenuat: caput debilitat; aciem oculorum obtundit: dorſum incuruat: ſtomachum diſſoluit: digitos atterit: frigus æſtū, ſitim inædiam : quatuor humanæ naturæ carnifices teterrimos ferre ſuſtinereq; compellit:

pellit: sæpè etiam pietatis offitia, vitæq; iucunditates eripit; & qui se se huic studio dediderunt, eos si quando videres deiecto capite, contracta fronte, grauibus oculis, fluentibus buccis, tortis supercilijs, cartas, & folia, de eodem quod aiunt, oleo, ad Lychnuchum ligneolum atramento perluentes: vel vt rectius dicam, cerebrum ipsum ex capite, in papyrum transfundentes, non homines humanitate perpolitos, sed quosdam Saturnos, Cacos, Cycoplas, Argos, Paniscos, Satyrosque diceres: quo quid homine liberali indignius? quid ipsi quoque naturæ magis aduersum? quæ cum nobis linguã ad vsum loquendi dederit, nos tamen non turpè ducimus, linguæ offitia manibus, stylis, & calamis exercere.

Quod enim isti verborum & litterarum textores existimant, res humanas constare sine litteris non posse: ij mihi intelligere nõ videntur, quam blanda rerum conciliatrix, & quasi sui sit lena natura? Qua enim, quæso te ratione res humanæ constabant, antequam ars scribendi extaret? Scimus ante Cadmum, ante Mercurium, vel quicunque tandem primi fuerunt, qui voces humanas aspectabilibus notis exprimere cæperunt, vitam cum virtute plurimos coluisse: Res-

publicas gessisse: Regnorum gubernacula tenuisse: nulla prorsus in re à communi vitæ consuetudine, atque à moribus illius tēporis abhorruisse. Scimus Druidas Gallorū sacerdotes qui tum sapientiæ laude cæteris eminebāt, nullis omnino litteris instructos, perpolitosque fuisse. In extremis quoq; Regni Poloniæ, Suetiæq; partibus, perrarus esse videtur scriptionis vsus. Quid in Moschouia? vbi paucis quibusdam Poppis, Salijsq; exceptis, nemo ferè alius, pestis huius contagione infectus est. Sed in isto quoque nostro communi genere, cursuq; viuendi nonne videmus colonos, lixas, baiulos, figulos, & alios infimæ sortis, & conditionis homines, rem suam domesticam, vitæque offitia, sine penna, & atramento, sine cartis, & pugillaribus, non infructuose gubernare? In Gallia, & Germania multas omnino mulieres planè ἀμούσας mercaturis faciendis rem honestissimè quærere certum est: quę si quādo memoriæ subsidijs indigent, litterarum loco, notis quibusdam calculis, signis', figuris, tesseris, incisionibus, nodis, & annulis vtuntur.

Sed cum absentibus per litteras loqui possumus; Sæpius cum præsentibus loqueremur: maioresque ex illorum conspectu

vultu,

vultu,fronte, oculis, amplexu, quàm ex litterarum lectione voluptatis fructus caperemus. Mihi verò vel hoc ipſo nomine in extremas oras maleficium hoc deportandum videretur,quod occaſionem adimit amiciſſimis hominibus quam ſæpiſſimè cogrediẽdi,garriendi,ſuſurrãdi,in ſinum,quod aiunt, intimos animorum receſſus effundendi.

Sed memoriã ais,litteræ ſubleuant. Quis ita quæſo deſipiat,vt hoc ſapiat? Eneruant potius,& extenuant. Non enim ferè memoriæ mandare ea ſolemus, quæ in litteras relata habemus; quibus quo plus fidimus, eò minorem curam alendæ exercendæque memoriæ ſuſcipimus. Quamobrem rectè Pytagoras,ſua præcepta litteris mandare nolebat,ne occaſionem præberet auditoribus, ea quæ animis hominum impręſſa cupiebat, ſtylo potius,& cortici, quàm memorię commendandi,quæ cum exercetur, acuitur, cũ quieſcit,hebeſcit.Legimus in Phædro,quod cum Thamo Aegypti quidam Theut, litteras offerret, memoriæque, & ſapientiæ remedium eſſe diceret: Thamum reſpondiſſe, non memoriæ ſed monitionis remedium eſſe illas ipſas litteras. Ipſe quoque Plato vi veritatis coactus,admodum ineptos vocat, quicunque ſe putant,ſic artem aut mandare

litte-

litteris aut mandatam suscipere, vt certum quiddam & firmum ex litteris sit futurum. Dionysium quoque admonet, ne quædã sua præcepta litteris mandare velit, maximam enim huius rei custodiam nihil scribere, sed addiscere, nam quæ scribuntur, contineri re non possunt. μεγίστη, ait φυλάκη, τὸ μὴ γράφειν, ἀλλ᾽ ἐκμαθάνειν.

Optima custodia nõ scribere, sed addiscere.

Deinde verò, quid est in rebus humanis libertate dulcius? quid nostris hominibus in ea conseruanda vigilantius? quid cupidius? Libertatis autem proprium est, sic viuere, sicque loqui, vt velis? At ipsam quoque tam expetendam libertatem, bellæ istæ, si Dijs placet, litteræ nobis erripiunt. Omnis enim sermo, ait idem Plato, cum scriptus est, passim reuoluitur, æquè apud intelligentes, atque alios, inter quos minimè decet: nescitque dicere, quibus oportet, & quibus non oportet. Neque etiam aduersario repugnare, neque opem ferre sibi ipsi potest: Si quid vnquam dicitur, quod esse fraudi potest, negare licet, reuocare licet, emendare & interpretari licet: Si quid autem scribitur, negandi, corrigendique libertas omnis amittitur. Cicero quoque in cuius libris verborum officinam habitasse existimant, palam, & sæpe fatetur, quod Epistola non

erubescit; Et alio loco, sic ait, complexus sum otium, vt ab eo diuelli non queam. Itaque fluctus numero, nam ad lacertas captādas tempestates non sunt idoneæ: à scribendo prorsus abhorret animus.

Libet aliquid ex nostris quoque litteris ad rē prçsentem addere, Laudi sibi, glorięque ducit Magnus ille Rex & Propheta, quod litteraturam, vt ait, ille non cognouerit. Antonius quoque Magnus ille Monachus, non solùm litteras ipse non didicit, sed neque peritos earum admiratus est; quin neq; ijs quicquam opus esse dixit, si mens per se ipsam valida sit. In vnius Vriæ morte, quam esse possint insidijs, fraudibusq́; struendis, idoneæ litteræ, manifestissimè admonemur.

Sed isti eggregiè sese munitos arbitrantur, nescio cuius barba, pallioque tenus Philosophi auctoritate: cui visum est quod hominis vita, sine litteris mors est, & viui hominis sepultura, Lamiæ turres, crede mihi, dicunt isti, & pectines solis, Ego verò in nullius Granatensis, verba iuraui. Soli sacræ scripturæ indubitatam fidem præstare me debere profiteor, in qua legimus, quod, Qui adijcit scientiam, adijcit dolorem.

Quæ igitur intemperiæ agunt homines, memo-

memoriæ iudicijque peſtem,pudoris exitiũ, fraudis inſtrumẽtum , oculorum excidium , capitis, cerebrique carnificinam ,ſanitatis venenum,ſtomachi citutam, quietis , & otij turbinem,& vt ſemel dicam iſtam malorum Iliadem in rebus expetendis duceret? Si ſcribendi ars non eſſet,maiorum adhuc noſtrorum eſſemus quàm ſimillimi,quibus naturæ tantùm principia ſecutis honeſtiſſimè, & laudatiſsimè acta vita eſt: nemo noſtram quietem,ex ijs qui abſunt , obturbaret , nemo nos ſcribendo obtunderet : paucioreſq; amicos haberemus , ſed ſecuriores : noſtra potius eaque neceſſaria, quam aliena nego tia curaremus: cogitationes, deſideriaque noſtra auribus amicorum non inaniſſimis vmbris , & corticibus committeremus ; ſi quid negotij cum abſentibus intercederet , nos ipſos illis, non hæc leuiſſima folia offerremus : vel alios loco noſtro mitteremus : certioraque omnia , & magis explorata haberemus:& ſi quid intimis medullis lateret, ex illorum conſpectu vultu , fronte , oculis, ex ipſo motu corporis hauriemus . Deum immortalem , quantum quietis , quantum otij nobis ſupereſſet ad omnia pro Patria , pro Republica,pro amicis audenda ? Si Heſiodi obſtupenda monſtra, Gigantes,Tytanas,

nas,Cothos,Briareos, Giges, Anguipedesque Deos,& immanes eorum fætus,Hydras, Chymeras,Gorgones prorſus ignoraremus: ſi Homeri Syrenes, Iouis cum Iunone congreſſus, in Cygnum mutationes Scortum Lacænum, Martis dolia, Vulcani retia, Cyrces venena, ſi Prometheos, ſi Didones, ſi Pyrrhas,& Deucaliones neſciremus: quæ dum leguntur,dum cognoſcuntur, dum audiuntur, dum explanantur, ex ſtultis inſanos faciunt.

Iuſtitiæ quoque adminiſtrandæ ratio,lõgè magis eſſet expedita, ſi fora, roſtra, caſtra, tribunalia, iuſtitię potius, quàm Iuris rationem ſequerentur, ſi procul ab illis τῆς πλουτακαδημείας nutriculæ Iuriſperiti, Aduocati,Notarij,Copiſtæ, Procuratores, Locutulegij,Linguaces, Blaterones, & ſimiles aliæ temporis,& fortunarum Harpiæ,hominum ſorbentes ſanguinem,arcerentur.

Vita quoque noſtra minus eſſet infirmitatibus, & morbis obnoxia, ſi nullas nobis tricas Hipocrates, nullas Galenus, & Auicenna, & ſimiles alijs Charontis proretæ, homines ἀνὰ τοῦ πρώτιθειν, μέχρι τοῦ λέγειν ſcriptas reliquiſſent. Factis pcul. dictis prope.

Quid illa Principum impendia, turpes iacturæ, & ſumptus,cum probro, atque de-

decore profusi? quos in souendos, & alendos huius infortuuij ministros, homines in vmbris, & otio scæptra, & imperia meditantes, Cancellarios, ViceCancellarios, Secretarios, Librarios, Scriptores, & cæteros vt ita dicam Ciceronicolas facere quottidie cogũtur? nusquamne melius poni possent? Crede mihi, Si memoriæ potius quam scriptioni, illa ipsa præmia statuerentur, multò plures ad perdiscendum potius, quàm ad scribendum commouerentur. Tanta est enim memoriæ facultas, tam abstrusi capacesq; recessus, tam fida custodia, (Antistrophon diuinitatis vocat Plutarchus) vt etiam sine istiusmodi literarum præsidijs in hominum admirationem incurrat. Mytridates duabus, & viginti linguis vtebatur: Cyrus militum suorum nomina tenebat. Cyneas Pyrrhi legatus vno die nomina estRomanorum Senatorum assecutus, Theodetes audita cuiusdam carmina, tanquam sua subitò recitauit. Themistocles linguam Persicam anno vno didicit. Charmides in Græcia, Portius latro & alij multi in Latio memorię laudibus vtq. ad miraculum abundabant. Seneca duo millia nominũ, quo ordine erant dicta, statim recitabat, & 200. versus à præceptore recitatos ab vltimo vicissim incipiens

piens vſq; ad primum ex tempore refere-bat. Huc accedit, quod officium Scribarum ſiue Librariorum, in Apparitorum numero ordineq; cenſebatur; Sic enim apud Ciceronem legimus. Animaduerto quoſque in Magiſtratibus ignoratione iuris ſui, tantum ſapere, quantum Apparitores velint. Apparitores autem (quod etiam Sygonius obſeruat) ſcribas intelligit, quorum fidei, vt idem contra Verrem ait, tabulæ publicæ, periculaq; magiſtratunm commiteban tur. Deinde verò, munus hoc proprium Mercenariorum & arte quęſtuq; viuentiū erat, & non niſi à Libertis, aut ſaltem ingenius ſolebat exerceri; qualis erat ſcriba Pontificum Gneius Flauius: ſcriba Scipionis Cicerius, Scriba Ciceronis Marcus Tullius Libertus. Ac ne forte ſolam ſcribendi ſcientiā in omni re litteraria ſuperfluam & innanem arbitreris, quid de reliquis omnibus artibus & ſcientijs, non ego, ſed ex omni antiquitate primæ notæ ſcriptores ſentiant accipe.

Grammaticam Lucianus Samoſatenſis, & Andreas Salernitanus irriſit; & Auguſtinus noſter Res, inquit, eſt infinita Grammatica multiplex; curarum plenior, quam iucunditatis, aut veritatis. Vnde fit, vt illius

etiam

etiam hodie vilifsima, & ad triarios redacta videatur in Italia profefsio.

Oratoriam Romani publico edicto bis ex Vrbe tanquam peftiferam eiecerunt: quod videlicet rem non veritate, fed ornatn ponderat,fæculo feruit,populo fe iactare & in rebus malis placere geftit;fiquidem veritatē fępius expugnare conatur,vt vim fuā monftret, fopes expetit, honores concupifcit, publico gaudet, celebritatem defiderat,fummum quemq; dignitatis gradum,vt loquitur Lactancius, expofcit. Tacitus vero fiue Quintilianus, illo ipfo fuo fæculo ficut eloquentiam,ita cæteras artes à vetere gloria defciuiffe teftatur non inopia hominum, fed defidia iuuentutis, negligentia parentum,in fcientia præcipientium,& obliuione moris antiqui.

Hiftoriam Auguftinus tam Grammaticis quam Hiftoricis laboriofam iudicauit, & Alexander Magnus, proiecta in flumen Ariftobuli hiftoria, reprobauít.

Medicinam à Babylonijs,Lacedemonijs Aegyptijs refutatam,Strabo, & Herodotus teftis; Vrbis quoq; ingreffu & confuetudine merito prohibitam,Portius,Cato oftendit.

Iurisprudentiam,Franci nunquam receperunt:

perunt: & Hiſpani libros Legum & maximè leges Imperiales, à Regnis ſuis pœna capitis interpoſita, Oldrado & Ioan. Lupo Iuriſconſulto teſtibus, prohibuerunt.

Et Claudius Cæſar. Herculem apud Senecam appellans. Si memoria repetis, inquit, ego eram, qui tibi ante templum tuũ ius dicebam totis diebus, menſe Iulio & Auguſto: Tu ſcis, quantum illic miſeriarũ pertulerim, cum Cauſidicos audirem, & diem & noctem: in quos ſi incidiſſes, valde fortis licet tibi videaris: maluiſſes cloacas Augię purgare, multo plus ego ſtercoris exhauſi.

Ethica, ſiue Moralis, fruſtra conatur reddere homines amatores bonitatis, quos non poteſt facere poſſeſſores veritatis. Nemo quippe bonus, nemoq; beatus extra veritatem proiectus.

Muſicam Filio ſuo Alexandro Macedonum Rex Philippus prohibuit: & Diuinus Hieronymus theatrales modulos ab Eccleſia remouendos putauit.

Philoſophiam ad decipiendum accommodatam Paulus teſtatur. Athanaſius inaniter laborioſam, & occupatam; nec quicquam boni rectè agentem. Ariſtoteles fabularum affectatricem.

P Athe-

Atheneus, maledicentiæ officinam. Euſebius repugnantiam opinionum appellat. Ipſe porrò Philoſophorum Anteſignanus Plato, Philoſophia, ait; Res eſt elegans, ſi modice quiſpiam per ætatem attigerit: at ſi ſupra modum tempus in ea contriuerit, hominum eſt corruptella; nam ſi quis vel amæno ſit acrique ingenio: vltraque ætatem philoſophetur: neceſſum eſt eũ rerum omnium eſſe imperitum: quarum vſum calleat oportet; quiſquis honeſtus probuſque eſt futurus: Legum enim ciuilium peritia, & orationis vacat: quibus in actionibus ac commercijs cum hominibus tum priuatim tum publice vti conuenit. Voluptatem item atque cupiditatum humanarum & morum euadunt prorſus inſolẽtes. Cum itaque in vllam quampaim incidunt priuatã publicãue actionẽ: habẽtur deridiculi, perinde ac viri ciuiles ipſi, vbi veſtra adeũt ſtudia & diſputationes irridentur.

Mathematicam Tacitus potentibus infidam, ſperantibus fallacem, in Vrbe Roma & vitandam ſemper, & ſemper retinendam vocat; Et Seneca, Superficiaria eſt, Mathematica, in alieno ædificat, aliena accipit principia, quorum beneficio ad vlteriora perueniat: quæ ſi per ſe, iret ad

verum,

verum, multum conferret mentibus nostris, quæ tractatu cæleſtium creſcunt, trahuntque aliud ex alio. Et iterum. Metiri me Geometres docet latifundia: potius doceat quomodo metiar quantum homini ſit ſatis. Auguſtinus quoque tales illius coniecturas iudicat, vt ſeipſas deſtruant atque refellant.

Dialecticæ eaſdem qualitates tribuit Origenes, quam habent nominati in ſcriptura Cinifes: quos etſi homo volitantes videre non valeat, ſentiat ſtimulantes. Ita Dialectica minutis, & ſubtilibus verborũ ſtimulis aminas terebrat, & tanta calliditate circumuenit, vt deceptus nec videat, nec intelligat.

Poeticam & Poetas fabularum fabros, & mendaciorum propolas, non vtilitatis ſed delectationis cauſa ſcribẽtes; vt quam ingenioſiſsime & elegantiſsime mentiantur, & Plato in ſua habere Ciuitate recuſauit: & Romana Reſpub. omnia eorum de diſsidentibus & adulterantibus Dijs, etiã viris bonis indigna commenta Ciuitate eiecit: & Cicero ſine quodam afflatu furoris rem poeticam tractari non poſſe docuit. Et Tacitus ſiue Quintilianus Carmina & verſus, inquit, neque dignitatem

vllam auctoribus suis conciliant, neq; vtilitates alunt. Voluptatem autem breuem, laudem innanem, & infructuosam consequuntur.

Arithmeticam à Dæmonio profectam Plato testatur: & Licurgus in Republica Lacedemoniorum lata lege auersatur. Numerare, ait Seneca, docet Arithmetica, & auaritiæ digitos commodare: potius doceat, nil ad rem pertinere istas computationes: nec esse fœliciorem, cuius patrimonium tabularios lassat. Quid mihi prodest scire agellum in partes diuidere, si nescio cum fratre diuidere? doces me. O Scientia, quomodo nil perdam ex finibus meis, at ego discere volo quomodo totos hilaris amittam.

Sophisticam in vanitate sensus & obscuritate mentes versari, testis Hieronymus.

Astronomiam à Dæmonibus traditam & patefactam Plato refert. Et Augustinus à Catholicis iure desertam ostendit.

Cosmographiæ exactam cognitionem Orbis immensitas reddit impossibilem.

Caballisticam Iudæorum fabulæ vanã, & leges Ecclesiasticæ reprobatam reddiderunt.

Magiam cum suo Zoroastre Origenes, & vni-

& vniuersa cum eo Ecclesia reprobat.

Porro de omnibus in vniuersum liberalibus studijs, quid Seneca sentiat accipe, Quidam, ait, de liberalibus studijs quærendum iudicauerunt: an virum bonum facerent. Ne promittunt quidem, nec huius rei scientiam affectant; An esse quidquam in istis boni potest quorũ professores turpissimos omnium, ac flagitiosissimos cernis: Meritoria sunt illorum artificia, ad æs exeunt, hactenus vtilia si preparant ingenium, non detinent. Tam diu est istis immorandum, quãdiu nil agere animus maius potest. Grammaticus circa curam sermonis versatur, etsi latius euagari vult, circa historias, Iam vt longissime fines suos proferat, circa carmina. Quid horum ad virtutem viam sternit. Ad Geometriam transeamus, & ad Musicam, Nil apud illos inuenies quod vetet timere, vetet cupere; quæ quisquis ignorat, alia omnia, frustra scit.

Sed istarum quoque Artium & disciplinarum propolas, & prothomagistros desquamemus, Crede mihi, cum omnia illorum arcana peruideris, meras luscinias putabis. Dant sine mente sonum: & ego homo trioboli sim, nisi id ostendero.

Socrates Dæmonicola, ſciſsili, vt habet Apuleius, palliaſtro ſemiamictus; & ſuos Deos irriſit, & verum Deum ignorauit. Multa dicit non modo laude indigna, ſed & reprehenſione digniſsima. Quale illud. Quod ſupra nos, nil ad nos; quale illud, per canem & anſerem iuramentum; quale votum illud; vt Gallus Aeſculapio ſacrificaretur. Rectè vt Zeno Epicurus vocauerit hominem, ſcurram, inneptum, perditum, deſperatum; Et ipſe quoq; Lactantius noſter' dementiſsimum & omnes eos inſanos qui Socratem putat eſſe ſapientem.

Plato Lactantio teſte, ſomniauit Deum non cognouit; Simulauit ſe inueniſſe iuſtitiam, & eam prorſus euertit; cum illa ſua mirabili quadam æquitate, turpiſsimoq; conſilio, iubet in Republica omnia in commune poſsidere etiam vxores. Hac enim doctrina tulit frugalitatem, quæ vtiq; nulla eſt, vbi proprij nil habetur; tulit abſtinentiam, ſiquidem nil fuerit, à quo abſtineat alienum; tulit temperantiam, tulit caſtitatem, quæ virtutes in vtroque ſexu maximæ ſunt; tulit verecũdiam, pudorem, modeſtiam, ſi honeſta & legittima eſſe incipiunt, quæ ſolent flagitioſa & turpia iudicari; Sic virtutem dum vult omnibus da

re

re omnibus ademit. Christom. quoq;. Plato (inquit) plenus erat ironiæ, ac zelotipija laborabat, aduersus cunctos, multa vbiq; nugari solitus; & quasi studeret in hoc, vt nec ex sese, nec ab altero quidquam afferret vtile, sic ab alio mutuatus est animarũ transmigrationem; ex sese verò Rempub. commentus est, in qua leges prodidit, multa refertas turpitudine. Vxores, inquit, communes sunto, nudæ virgines sub oculis amatorum luctantor; Tum genitores, tum filij qui gignuntur communes sunto. Quæ tam insignis dementia est? quam ista non superent? eoq; non expendo poetarum dogmata, ne quis me dicat fabulas expendere, sed alias adfero fabulas, Poeticis multo magis ridiculas: vbi Poetæ quidquã tam prodigiosum prodidere. Verum istè Philosophorum Antesignanus; vt habebatur, & arma addit mulieribus, & galeas, & ocreas, nec quidquam dicit hominum genus differre à canibus: quin & animum Philosophi muscam esse vult, & coruum & cornicem Prophetas fecit, quod scilicet futura prædicunt. O conspuẽdum Philosophũ: ô detestandum ordinis, societatisq; humanæ perturbatorem. Quale est illud quoque quod animas hominum post mortem reuo

lui vſq; ad corpora beſtiarum ſcripſit? Dicat Porphirius tanti magiſtri corrector.

Ariſtoteles multa ſibi cõtraria, multa repugnantia dixit, quæ cohærere nõ poſſunt nec à viro ſapiente dicta oportuit: de omnipotentia Dei, de triplici ſubſtantia. De Idea boni; de prouidentia; de mente interentia prima; de primo principio; de infinita finiti corporis actione, de temporis definitione; de luminis & caloris generatione; de radiorum à lumine diſtinctione; de principio motus; de mentis & animi proprietatibus; de cœlo, ſphæris, aſtris, animatis. Sexcenti ſunt tanti huius Philoſophi errores, quos prætereo. Quas porrò turpitudines in Rempublicã introducat; quas filio ſuo Nicobulo ſuadeat, turpe eſt commemorare, Calliſtenes, & Armia, reſponderent, ſi viuerent; Seneca verò vocat acrem iræ defenſorem, quam prorſus vetat exſecari; quod ſit calcar virtutis, ſine quo ad conatus magnos, animus iners, pigerq; efficitur. Faceſſant iſti irati, & læuiculi præceptores. Sed & illud quam magnum improbæ mentis argumentum. Platonem præceptorem, iam laudat, iam vituperat, & in locis pluſquam ſexaginta exagitat, quem viuentẽ tantopere venerabatur,

batur,dum ad arcana ab eo colloquia admitteretur. Legat qui volet,Francisci Patritij doctissimam Panaughiam , Panarchiam,Pandosiam,Pancosmiam,cum cætera illius omnia admirabitur, tũ quod Aristotelem errorum omnium in philosophia patrem appellat. Ob quod certè Patricij in Aristotelem odium,omnium amore & beneuolentia dignus Patricius est: meritoque rogat cum Gregoriũ, tum reliquos omnes Romanos Põtifices vt ex omnibus Scholis,Gimnasijs,Cœnobijs,Italiæ, Galliæ,Hispaniæ,Germaniæ explodendam curent Aristotelicam manifestissimę impietatis philosophiam: Deo prouidentiam & omnipotentiam auferentem.

Cicero verborũ faber, q ore vt incude, lingua vt malleo, ad formanda verba vsus existimatur: de seipso fatetur alicubi, qđ falsa quidẽ cõuincere potuit,vera inueire non potuit. Augustinus porrò apertissimã homini tribuit insaniã. Confiteri, ait, esse Deum quod Cicero facit, & negare præscium futurorum, apertissima insania est: & eo illum nomine plusquam Stoijci detestamur. Lactantius quoque hominem arguit, quod cum corporis & animi rationẽ in quarto de Republica, libro, explicare ten-

tentaſſet,nil prorſus effecit, & materiam latè patentem anguſtis finibus terminauit : leuiter ſumma quæque decerpens, etiamſi fateatur ipſe,nec voluntatem ſibi defuiſſe nec curam : & propterea ignoſcendum ait,vmbratico, & imaginario præceptori, nec ab eo veritas exigenda, qui ſe neſcire fatetur. Exclamat deinde, O quã multis argumentis Ciceronis error, & inconſtantia, ſi id agerem redargui poſſet: non tam noſtris quam ſuis verbis refelleretur.

Reliquos eiuſdem Muſæ & notæ Buccones, nil aliud, quam caculas & Lectiſterniatores iſtorum Albogalerorum puto, verborum ſeruos : & opinionum mãcipia: qnos odiſſe te peius volo, quam fullo vllulam : aut certè Maſtigoforos accerſo, vt flagella ferant,& ignem : idque vnum è re Valeſcientianæ Reipub. cenſeo : grauiorem pęnam non inuenio, leuiorem nolo; Seueriorem ſententiam ſi quis in iſtos attulerit, ſententia mea nnlla eſto,illius rata eſto.

Non eſt itaque Varſeuitij, quod à me deinceps vel litteras,vel de litteris, vel de litteratis quidquam litterarum expectes. Nequaquam ego tam tetra te dignum pe-

ſte

ſte ſtatuo, nec amicitia noſtra vlla admittit maleficia. Sed neque tu mihi deinceps iſtas affanias: aut ſi obſtruſeris, eas ego ligneo equo impoſitas, per vias ceruleas, in illas oras, extremaque ſola terrarum vltimarum deportandas curabo; vbi mures ferrum rodunt: vbi cucurbitæ volant, turdi non volant: vbi mortui boues, viuos incurſant homines. Sed garrire deſino, ne nos ad fabros & tonſores releges. Si perſuaſero, benè erit opera poſita, ſi non perſuaſero, in eo amne epiſtolam mergito, qui de Cœlo, Plauto teſte, exoritur ſub ſolio Iouis: Nos aggrediemur alia: neque enim, vt vetus verbum habet, bis tantum pueri ſumus, ſed ſemper. Meus porro animus, ſuam adhuc ſecum trahit pueritiam: vixdū ex ephebis exceſsit: à longe adhuc flouem ſuum. Senectutem proſpectat. Nec tamen ſoli nos hæc diludia. Luſerunt ante nos, præſtantiſſima quæq; ingenia, vt animi vim & contentionem relaxarent Homerus in ranis, Ariſtophanes in auibus, Ouidius in nuce, Virgilius in culice, Catullus in paſſere, Plato in furore, Phœdrus in amore, Democritus in Chamaleonte, Cicero in ſenectute, Quintilianus in cæcitate, Varro in Seſculiſſe, Fauonius in Quar

tana & Tersite: Gnarinus in cane, Apuleius in asino, Sinesius in caluicio, Seneca in Claudio, Plutarchus in grillo, Pithagoras in aniso, Statius in psytaco, Cato in brassica & amurca, Lucianus in Musica, Stesicherus in Helena, Hortensius in philosophia, Stella in colũba, Leo Baptista in cloaca, Lypsius in satyra Mænipea, Stephanus Micanus popularis noster in Podagra. Qua cum hoc tempore malorum pessima laboremus, lædit quodcunque occurrit: & Vitalis Fauonius asper, & vel nigra leuis vmbra fumi, medullas intimas terebrat. In obuium quemque arietamus. Nil porro sic obuium, nil in oculis, nil ad manus, nil ad latus, nil ad dextram, nil ad sinistram vt Musæ, tabulæ, libri, styli, pugillares. Valeant hæc omnia. Quando enim viuemus? Da operam vt nos ames, sed magis vt valeas. Datum Romæ 11. Martij 1584.

MAR-

MARTINO CROMERO EPISCOPO VARMIENSI.

Epistola XXI.

IVDITIVM R.D.V. de vita Hosiana amantis est iudicium, cui locum dare non possum, quia de me dicitur, non dare nō possum, quia abs te dicitur, in cuius ore & pectore fides, & veritas sedem fixisse creditur: Ego vero quas hoc nomine tibi gratias agam nō inuenio: nisi quod me totum esse tuum profiteor, in eo cuius tu totus es, & cuius fidem in veritate retines. Si parum est plus certè non habeo, Pudet me quidē, tantum, boni de me, quātum tu tribuis credere, sed vicissim timeo, viro veracissimo, Episcopo vigilantissimo, Senatori grauissimo non credere. Quid igitur faciam? Nō me credam talē esse, qualem putas, id enim nec agnosco, nec agnoscere volo, & credā me abs te diligi, quoniā id ita esse cognosco, ita nec de me sentiam quod nō est, nec tibi fidem negabo, qua pectus tuum plenū est. Me itaq; D.V. iterum atq; iteru m offe-

ro,

ro, non eum qui plurimum vel dicēdo possit vel scribendo, sed quem D. V. vehementissime diligit paruum enim putari vileque non poterit, quod tantus vir ita valde diligit, & licet talis non sum, qualem me esse coram suis prædicat, talis tamen sum, cui votis & præcibus suis plurimum si amare præstiterit commodabit, modo ne me existimet esse quod non sum, ita namq; sequeretur vt minus mihi optaret adijci à Domino, ad id quodcunq; sum, quod absit ab eo pectore quam longissimè: quod cuicunq; sese offert, vt videatur, tanto magis excitat, vt quæratur: cum autem quæritur & desideratur, nil aliud quam magna Dei dona & mirabilia eius munera, quibus D. V. cumulauit cogitãtur. Sed ego nimius sum. Genus est hoc voluptatis meæ, sine fine cũ tua prudentia sineq; modo colloqui. Librũ Germanicum quem promiseram mitto, vt his diebus habeat quo oblectetur, Magnas enim author iste Euangelicorum Christi perduellium, ineptias, vel vt cum Tertulliano dicamus, Indeterminatas discrepãtias detexit. Datum Cracouiæ Kal. Februarij 1586.

CA-

CAROLO CARDINALI BOROMEO ARCHIEPISCOPO MEDIOLANENSI.

Epistola XXII.

PECCAREM in publica commoda, Deo dilecte, & inter Martyres numerande Cardinalis, si te (humilem humilis Ambrosij successorem humili sermonis genere libet appellare) pastorali cura, & sollicitudine in Christi ouibus ad Christi voluntatem cōformandis impeditum, prolixa vellem impedire gratiarum actione; quod eam voluptatem, quam ex tua beneuolentia Mediolani cum essem incredibilem accepi, datis ad me litteris, omni respectis humanitate adduplicare voluisti. Sed tenere me tamen non possum quin me tibi in eam partem aperiam, quod istam ita luculentā tui amoris testificationem in præcipua benedictionis parte reputo, qui nobis Episcopalis muneris Maiestatem pæne ia fractam iacentemque ista tempestate reddidisti, quā modò non omne vinculum fidei,

vt

vt ſanctus ille Martyr loquitur, & timor Dei, & mandatum Domini & Euangelij Sanctitas, & firmitas ſoluta videtur: in cuius ego zelo, & ſollicitudine ſuperiora miror reſuſcitata ſæcula, ita vt obſtupenda illa S. S. Patrum, & Epiſcoporum opera quæ in Eccleſiaſticis Annalibus tantùm legebamus, iam etiam in tuæ vitæ ratione quàm rectè quiſpiam longum, & lentum Martyriũ dixerit, oculis ſubiecta ad iſtius quoque ſæculi immitationem gaudeamus: illam Ambroſij anteceſſoris tui libertatẽ, Athanaſij zelum, Baſilij grauitatem, Auguſtini doctrinam, Gregorij vigilantiam, Hyeronimi in ſe ipſum ſeueritatem, Melecij in conuerſatione hominum lenitatem, & in appetentia Martyrij Cypriani deſiderium. Benedictus Deus, qui nunquam in Eccleſia ſua deeſſe Sacerdotem patitur, qui Euangelium tenens, & præcepta Dei cuſtodiens occidi poſsit, vinci non poſsit. Inde factum eſt, ô vir Dei, vt ego te mihi non vulgari illo modo, neque ſolita ratione ſed præcipuo genere obſeruantiæ colẽdum propoſuerim, quæ non niſi viris publico bono natis debetur; cui quod viciſſim Chriſtianæ Charitatis offitium humaniſsimè rependis, quod etiam grauiſsimis

lit-

litteris dignum arbitraris, fit vt vitã hanc magis mihi vitalem putem:& licet me adhuc amauerim nunquam,tempus iam esse statuam meipsum quoque à me amari. Cũ enim tu me amas,Princeps Illust. noui qui me amat,quia qui in te habitat noui: quo magis elaborandum mihi video, ita vt me in omni pietatis & offitij genere adhibeã, ne cõsilium hoc nostri in tuam protectionem suscipiendi, sine consilio abs tua prudentia susceptum videatur: idque me facturum promitto sine vlla excusatione, vel temporis,vel occupationis.

Tu quod pro toto orbe facis quottidie, aliquando & pro Rescio peccatore seruo tuo, Deum depræcari dignaberis (nullum tempus vni suspirio angustum est) vt ipsius ante ipsum moriantur vitia: & cum tibi Regni cælestis corona dabitur, mihi saltem meorum venia concedatur peccatorum.


Battoreus Princeps Illustrissimus, diuinis tuis institutis inflãmatus, ad summas laudes ijs contendit itineribus, quibus eunt,qui perueniunt: hanc enim in Vrbe vitæ rationem instituit, quam voluisti, quamquam expedit: nil vt addi posse videatur, quam vt hæc illi Deus esse perpe-

Q tua

tua velit. Quantam autẽ ex illis planè Apostolicis litteris tuis consolationem acceperit, quos animos ad arduas superandas virtutis vias sumpserit, ex responso quod dedit cognouisti: cuius me gratiæ cum his quos in suã protectionem rogante me Ill. D.V. suscepit, gentis nostræ alumnis, qua summa possum animi mei submissione cõmendo; omniq́ue adhuc asseueratione affirmo. (Veritas nil timet quam taceri) quod quicunq́ue te tuasq́ue laudes admirari colereq́; voluerit, aut mecum sit, aut me sequatur opportet. Datum Romæ Kal. Martij 1584.

STANISLAO STASZKOVIO. EQVITI POLONO.

Epistola XXIII.



AMOREM ego tuum in me, non vulgari illo modo, sed pręcipua quadam ratione semper amaui, & amo: officijs etiam meis tueri

tueri nunquam intermittam. Quæ si tibi probare per aliquam occasionem re, & veritate potero, summa semper cum voluntate faciam: idque tibi persuasissimum esse cupio, quod mihi credas velim. Vt autē istam in me voluntatem tuam, magis atq; magis incendam, ad me omni offitio, & humanitate prosequendum: mitto florentis purpuræ (Scarlatum vocāt) vlnas aliquot Tyrijs Conchilijs intinctæ, quas ante multa sæcula cum in Hydruntino littore iacētes, canis quidam mandibulis contudisset; os suum latenti cruore tinxerat: in quo rubicunda quædam obscuritas: vel vt ita dicam, sanguinea rubedo nimio lepore gratissima, oculis hominum sese offerebat: qđ cum esset ab accolis obseruatum (vt est ingenium hominum occasiones repentinas, ad artes ducere) lacteos ipsi quoque Serici fili crines, tenerasque lanas, nouo coloris genere tinxere, quarum deinceps vsum soli sibi Reges vsurpare cæperunt; vel ob eam causam, ne de aspectu illorum, possit errari: vel quod partem Sacrilegij putarent, impurè in purpura viuere: in taliq; ue veste peccare. Splendidæ enim vesti lucu lentiores sunt sordes. Medici deinde, quos lepidè quidam atri Carontis proretas ap-

pellauit, vt haberent, quos diutissimè diuexarent, persuadere cæperũt hominibus; hoc de quo agimus vestis purpureę genus, & calorem hominis naturalem vehementer conseruare: & stomachi mederi debilitatibus consueuisse: quorum ego, siue sciẽtiam siue opinionem secutus: hoc quod dixi, ad te mittendi consilium inij: vt te inflammato isto igneoque vestis genere ad me vehementius amandum, etiam atque etiam inflammem. Abs te peto, vt factum hoc meum ex summa in te voluntate profectum arbitreris, in cuius ego penè iam acta ætate, & ingenij acumen, & memoriæ tenacitatem; & eloquendi elegantiam sæpè sum admiratus.

Sed hoc etiam magis, quòd cùm in schola, & cõsuetudine Lutheri flammas vndis, imma summis, cælum terræ permiscentis, annos aliquot Vittembergæ vixeris, sicut piscis nil è maris salsedine, sic tu nil veneni ab illa tanta peste traxeris. Filijs tuis plurimam salum adscribo. Dat. Romæ 28. Iulij 1586.

CHRISTOPHORO VARSEVICIO.

Epistola XXIV.

QVOD me facturum recepi: vt te litteris meis & appellem, & interpellem: & tundam, & obtundam: id crede mihi, cum hasta, & scuto, quod aiunt, exequar: omniaque ad te de rebus planè omnibus, publicis, priuatis, Vrbanis, rusticis, ita copiose, itaque curiose scribam, vt ne illud quidem ignores: quomodo Iuppiter Iunonem duxerit. Valde enim acquiesco, & scribens ad te, & legens tua. Ne illud quidem præteribo, quæ circa salem & fabam: etiam si tibi Arabicus tibicen videbor: idque tibi omni asseueratione affirmo; quod nō erit Megaricum machinamentum. Vicissim enim mihi de te polliceor, quod salem, & mensam nostram non præteribis: sed facies, quod sphæra per præcipitium, quodque Herculeana balnea: ita me etiam adhibe-

hibebo ne tibi in litteris meis, Alcinoi recitare Apologum videar; vel vt melius dicàm, Leonem radere. Non ſum enim neſcius, quàm ire præclare per funem extentum ſoleas: quamque tibi fœliciter cadere ſoleant, in omni genere, Iouis taxilli. Ex ouo, quod aiunt, mi Varſeuici prodijſti. Aureus in Olympia ſtato. De me, ſi quæris, deque meo Principe Battoreo, Poſonium vſque albis vecti equis ſumus. Lac vbique gallinaceum ſuppetit. Mercurium, vt video, quæuis alit terra, arcamque. Spes eſt, quod reliquas etiam itineris partes, ſine cortice nabimus. Nam propitio quiſquis nauigarit numine, is vel ſtramineo nauigarit vimine: quod equidem adhuc in his ranarum vijs, teſtudineo gradu proſequimur, ne nobis illud contingat. Canis feſtinans cæcos parit catellos. Sed me reprimo: ne tibi cantare mortes Aſinorum videamur.

Te quòd attinet, quem ego ſemper inter grues lapillos deglubentes numeraui: facies quod perpetuò feciſti, ne muto mutus magis Pontico piſce videare. Scitum eſt illud Muſonij apud Gellium. Si quid honeſtum feceris cum labore, labor abit, honeſtum manet. Si quid feceris

turpe

turpe cum voluptate: voluptas abit turpitudo manet. Nos quod velle visus es: nostra tibi nuper Sadecio misimus. In aqua scilicet,visum est aliquid extare: si legisti: tantùm ego tuo tribuo iudicio vt manum non verterim,si nostri illi conatus vt Aiax olim Augusti,in spongiã incumbant, aut Iouis Scãdalium putes, vel pomarium Herculem; vel fulgur ex pelui, vel etiã per illas ipsas fenestras in Istulã deijcias, quæ tibi legenti lumen ministrabunt. (Non ex omni quippe ligno fit Mercurius) Id ago,idq; molior,vt intelligas, me tua causa vel in naupacto excubias agere velle, nec esse passurum vnquam, vt in syluam & taurus abeat. idque tibi persuasissimum esse cupio, etiam Phocensium interposita execratione. Aliter si fecero,ex ipso boue lora sumito. Nunquam equidem deprehẽdes vt Psaphonis aues captemus: illud potius experieris,quod Leontini semper iuxta pocula. Sed manum de tabula, non enim ollæ colimus amicitias; aut cupressum simulamus: idque tibi, quæso te, ne Pytho quidem persuaserit vnquam. Attica enim fide dicimus, quæcunque tibi in hoc genere dicimus: ita vt etiam in tenebris micare nobiscum posses: idque si tibi

ex Iouis tabules testis quispiam probasset; veriora equidem ijs non posses credere, quæ apud Sagram acciderunt. Si modo culicem Indus Elephantus curat. Sed tu quidem crede mihi ala cycadam: ego vero risum ridebo Megaricum. Causam quę ris. Causam tibi dicet iuuenis ille Philippianus

Equus me fert, Rex me alit. Ἵππος με φέρει, βασιλεὺς με τρέφει

Secundas fortunas, decent superbiæ. Sed iocatum satis. Vale, & quod facis ama, amore illo tuo singulari; nec amare desine. Dat. Posonij in Hungaria 8. Aprilis. 1586.

ANDREAE
CARDINALI
BATTOREO.
Principi Illustrissimo.

Epistola XXV.



VOD Illustrissima Cel. Vestra tempus hoc suum venatione, cæterisque istiusmodi occupationibus, recreat; id ego existimo non solum

ſolum ad tuendam corporis valetudinem; verùmetiam ad colligendas animi vires magnopere pertinere : vt tanto maiore contentione ad intermiſſa ſtudia, iſto quo abundat ingenio,& induſtria, & ea, quam ſuſtinet Eccleſiaſtica vocatione digniſſima, reuertatur; & ad eos omnes labores fortiter,& patiēter exantlandos, quos ab iſto quem Ill. C. Veſtra præſefert zelo, & ab ea quam in omnibus vitæ conſilijs adhibere decreuit pietate,& ſperamus, & expectamus: & huic quoque patriæ noſtræ, ac vniuerſæ etiam religioni Chriſtianæ prolixiſsime pollicemur. Solet enim iſtiuſmodi ſtudij,contentioniſque remiſſio animi corporiſque vires, ad omne offitij munus alacrius obeundum vehementius excitare. Legimus in Eccleſiaſticis Annalibus,quod S. Ioannes dilectus ille Saluatoris noſtri diſcipulus,dum Eccleſiam adminiſtraret in Epheſo,Coturnicis geſtatione & amplexu,diuinas,& abſtruſas illas ſuas cogitationes recreabat. Sed nos myſticas, & reconditas quæſtiones miſſas, quæ ſunt amœniſſimi huius temporis,quæque nobis agri huius Creſlauicenſis hilaritas, & in pratis Socolouianis cōpitalitię ambulationes,in hoc genere ſuppeditarūt,faciamus.

Tria,

Tria,in fallor, Venationum genera, in bonorum authorũ lectione obseruasse me memini; Nemrodicam,Arenariam,& Cãpestrem. Primum genus feritatis, Secundum vanitatis, Tertium hilaritatis habet in se plurimum; si in toto illius vsu moderatio quædam adhibeatur. De Nemrot legimus in scripturis;quod ipse cœpit esse potens in terra: & erat robustus venator coram Domino. Fuit autem principium regni eius Babylon. Ex quibus verbis apparet,venationem illam Nemroti fuisse Tyrannicam: & quoddam, in homines violentum,& cruẽtum imperium exercuisse; eius fortasse generis, de quo apud Hieremiam Prophetam legimus. Ecce ego mittam piscatores multos,dicit Dominus, & piscabuntur eos: Et posthæc, mittam eis multos venatores,& venerabuntur eos,de omni monte,& de omni colle, & de cauernis petrarum. Et Micheas. Omnes,inquit, in sanguine insidiantur. Vir fratrem suum ad mortem venatur. Et Psalmista lætatur; quod illum Dominus liberauit à laqueo venantium,& à verbo aspero. Quod venatorum genus cùm à patria nostra semper abfuerit, & aberit, per Dei gratiam longissime; non libet de re nobis ignota pluribus

ribus

tribus verbis isto loco differere.

Arenarias, vt ita dicam, venationes, Persæ primum, atque Græci; postea quoq; Romani, in vsu, & honore maximo habuerunt: in quibus omnis generis spectacula, maxima cum celebritate ad eum prçcipue finem proponebantur: vt populus à priuato, & domestico luxu, & sumptu; publicis ludis, scænis, & theatris auerteretur: quæ res cum à minimis initijs sumpsisset exordium (vidimus enim in Albana Ciuitate, rudis & inurbani theatri exiguas quasdã parietinas; in quo sese ciues illi ante Vrbem conditam recreabant) tanta est deinceps luxuria eo potissimum tempore cõsecuta, cum vnius Imperio res Romana teneretur: cum opes, cum otium, cum obstupenda illa vis & potestas animos hominũ de pristina mẽte & soliditate deturbasset; vt si isto loco velimus omnia enumerando recensere, ficta potius, quàm facta putarẽtur. Oculis ipsa suis Illust. D. V. molem illam inspexit in Vrbe, quam Amphiteatrũ vocant, à Tito Vespasiano vt ferunt, Imperatore, secto quadratoque lapide erectam. Vidit Adriani quoque molem, quç Castrũ S. Angeli dicitur. Vidit Marcelliani theatri parietinas. Vidit campos Agonales.

Vidit

Vidit ſtadia,vidit Septa, Circos, Naumachias,Xiſtos,Catadromos, & id genus obſtupenda, & ſuperſtitioſa ædificia in quibus eius de quo agimus generis ludi, & venationes exquiſitiſſima cura, ſumma cum ceremonia, ſumptu adeo immoderato excercebantur; vt ipſe quoque Antonius Caracallâ Imperator,ferre ſine lachrymis nõ potuerit, iſtam ita immoderatam æris, & operarum profuſionẽ. Anaſtaſius verò Imperator prohibuit omnino tales venationes in poſterum tempus exerceri. Iulius Cæſar venationes edidit per dies quinq;: pugnamq́ue diuiſit in duas acies,quingentis peditibus, elephantis vicenis, tricenis equitibus hinc & inde commiſsis. Nero quoque ſtatuit quinquennale certamen Eqneſtre,Muſicum,Gymnicum; quod etiã vocatum eſt Neroma. Gordianus 12. ſpectacula per ſingulos 12. dies dedit, ita vt gladiatorum nonnunquam 500. paria; & nunquam minus 150. feras Lybicas vno die quandoque mille ediderit,& eo muneris die quod ſextum edebat Syluam ſuam Pop.Rom.diripiendã præbuit,in qua aluit ceruos 200. Brittannos equos feros 30. oues feras albas mille, decem aureas capreas. Strutiones Mauros miniatos 300.

Onagros 30. Apros 150.Ibices 200.Damas 200.Philippus autē qui primus in Christū credidisse existimatur, sæculares ludos exhibuit: in quibus vna die produxisse memoratur in Arenarias istas siue Theatricas venationes 32. Elephantes. 10. Onagros,20.Tygres.60.Leones.30.Leopardos. 40.Equos Syluestres.Hyenas 10. Rynocerotem vnum, Archoleontes 10. Camelopardos 10. Gladiatores Fiscales paria mille. Probus itidem Imperator 1000.Syluestres Apros; 100. Leones adhibuisse legitur. Domitianus quoque eximias aliquot venationes,& scænicos ludos, prætereaq; Oratorum & Poetarum certamina populo proposuit. Congiarium quoque 300.ter dedit,atque inter spectacula largissimum epulum apposuit. Quid illos feroces Tauros,& Vrsos,quid Rhedas eburneas, quid currus,& arcus triumphales? quid bigas, quadrigas,equos desultorios, hasticos, & miscellos? quid Iuuenales,Sæculares,Gladiatorios,Plebeios, Dionysios, Scænicos & Gymnicos ludos? Quid Mineruæ Quinquatria? Quid Exodia,Floralia, Lustria, Saturnalia,Iugalia,Simpludearia,Consualia,Lectisternia,Thensa? Quid metas, scenas,caueas,Arenas? quid Circi insaniam, quid

quid Theatri impudentiam, quid Xiſti va nitatem memorem? Quid Amphiteatri crudelitatem, quid Hymnos Choreales? quid Comædias, Tragædias, Joculatores, Circulatores, Eſſedarios, Athletas, Maiumas, Agitatores, Pancratiſtas, Stadij curſores, Palæſtritas, Ludiones, Ferarum cōfectores, Xiſticorum creationes, Gladiatorum pugnas, Chorocytariſtas, Bſallocytariſtas, Hiſtriones, Pugiles? Quid curſus illos ἵπποις ἅρματι.. τεθρίππῳ ἀπήνῃ; ϗ κέλητι. in Olympicis certaminibus inſtitutos? Quid in hoc genere prę ſtantes Hieronem, Theronem, Pſaumiden, Ageſiam, Diagorā, & alios à Pyndaro cælebratos commemorem? Quid ſtatuas, colloſos, Pyramides, Tibycines? quid cantus, Muſica inſtrumēta? quid Thermas, & Balnea, quid odores, quid Arabica ſuffimenta referamus? quibus illa Theatri Scenarumque incommoda, ſolem, puluer m, ſudorem, nidorem, fetorem, & cruorem putoremque cadauerum, quaſi quibuſdam condimentis temperabant? Dici non poteſt, ac ne cogitari quieem, quantum in iſtiuſmodi ludis, & venationibus luxuriæ, quantum impenſæ, quantum crudelitatis, & inanitatis fuit? vt niſi è rebus humanis perijſſent, perire

certe,

certè,& cum puluiſculo,vt aiunt, tolli debuiſſent? quæ; ſi quiſpiam, eius quam in Imperio Rom. videmus occaſus, & exitij præcipuam cauſam dixerit, à verò fortaſſe non aberrauerit. Nam & Græcia cum ſuis illis ludis Olympicis, immanibus colloſſis, ſtatuis;& Aegyptus, cum molibus ſuis pyramidatis,& gracileſcẽtibus obeliſcis, quem exitum acceperit videmus.

Ad tertium illud genus Venationis accedamus,de quo omnis hæc inſtituta à nobis oratio eſt, quod campeſtre vocatur: quo, ſi quis vtatur adhibito conſilio, circumſpecta ratione,loci,temporis & perſonæ, re & veritate experietur in iſta occupatione & voluptatis plurimum,& nonnihil etiam vtilitatis ineſſe. Huius generis venatores fuiſſe legimus in ſcripturis Cain, Lamech, Nemrot,Iſmael, Eſau, & alios,quos tamen ſine omni arte,ſine ſumptu,& ſtrepitu,ſine cane & aue, ſolis vtentes ſagittis, feras ſylueſtres confeciſſe credimus. Hoc autem, quod in vſu eſſe videmus clamoſum, & tumultuarium venandi genus,à Phænicibus initium accepiſſe videtur; ſicut in Euſebio legimus, alij tamẽ Thebanis,nonnulli Phrygibus aſcribendã putant, huius artis originem, quo etiam

no-

nomine Athenienſibus maximè exoſi, & contemptibiles fuerunt; tanquam rei minimæ omnium neceſſariæ,inuentores;quã tamen reliqua Græcia magno deinceps ſtudio coluit.

Tuplex autem cauſa dari poteſt,eius de qua agimus Venationis; vt, aut neceſſitatis cauſa exerceatur: aut vtilitatis gratia: aut,quod ferè fit, voluptatis.

Primi generis eſt,cum agreſtes feræ,immanes & feroces belluæ, vitæ hominum inſidiantes,Agris,Armentis,Syluis,Aquis & Vineis vaſtitatem adferentes repelluntur,capiuntur,obtruncantur;quod eorum non minus eſſe proprium munus exiſtimatur, quibus ſalus, & fortunæ ſubditorum chariſſimæ ſunt,quàm hoſtilem gladium à Ciuium capitibus auertere. Vnde etiam Plato ſapiens iſtam Venandi rationem in bene conſtituta Repub.& vtilem & neceſſariam exiſtimat & commendat. Meleager quidam multorum eſt olim ſermonibus celebratus, quod immanem Aprum ciuibus Calidoneñ, illorumque agris, vineis, & armentis vaſtitatem adferentem, magno cum vitæ ſuæ periculo aggreſſus, tandem etiam oppreſſit: cuius belluæ dentes Procopius de bello Gottorum ſcribens

ſe vidiſſe teſtatur, ea magnitudine, vt ſinguli lunarem in ſpetiem pedum trium pentamentrum repræſentēt. Hyppolitus quoque immanium luporum greges in Peloponeſo, ſummo ſuo cum labore extinxit: & magnos eſt eo ipſo nomine, & extraordinarios honores à ciuibus ſuis aſſecutus. Ancæus Agapenonis pater plurimùm eſt commendatus, quod in agris Calidoneń furentem Aprum obtruncare conatus eſt, a quo tamen ipſe percuſſus interijt. Orion quoque Inſulam Helicem ab incurſu ferarum liberaſſe perhibetur.

Alteram venationis cauſam eſſe diximus, quod etiam ab Euripide notatū eſt, cum vtilitatis cauſa ſuſcipitur; vt ventris, & culinæ neceſsitatibus ſuccuratur, & aliqua ſumptuum domeſticorum fiat diminutio. Hoc compendio Romulum Vrbis conditorē vſum legimus, qui ceruos, capreas, lepores, Phaſianos, & ſimilia prędę genera in vſum familiæ conferebat.

De Adriano quoque Imperatore ſcribit Aelius Spartianus, quod captam in veneratione prædam inter amicos, & neceſſarios partiebatur, multorumq; ſibi animos iſto offitij genere conciliabat. Idem Cyrum, idem Alexandrum Magnum fecis

ſe hiſtoriæ ſcriptores meminerunt. Idem iſto etiam ſæculo in ſeptemtrionalibus prouintijs diligentiſsime ſeruari teſtatur in ſua hiſtoria Olaus Magnus Archiepiſcopus Vpſalenſis. Idem Ferdinandum Imperatorem Catholiciſsimum cum Viennę viuerem factitaſſe obſeruaui, qui laudatiſſimo illi Cardinali Varmienſi anteceſſori tuo, quoties ex Venatione reuertebatur, prædæ partem offerebat. Idem patruo tuo fortiſsimo & glorioſiſsimo Regi Stephano; idem tibi quoque in vſu eſſe video. qui menſam quoque noſtram ex tuis Vrociriuenſibus venationibus & ſæpè, & libenter & ornas, & oneras; idq́; deinceps etiam tãtò libentius faucis, quantò plures à nobis eius generis garrulas epiſtolas expectabis.

Ad eandem quoque vtilitatem referri ea commoda poſſunt, quæ ex iſta occupatione ad recreandos animos peruenire exiſtimãtur. Sic olim Cyrum, ſic deinceps Gratianum Imperat. legimus nonniſi curis publicis & Reipublicæ procuratione fatigatum ad venerationem prodijſſe; in qua animum relaxabat, & nouis tollerandis laboribus præparabat. Valetudini quoque conſeruandæ plurimùm prodeſt moderata veneratio, nam in curſu, & in

omni

omni illa corporis agitatione calor naturalis accenditur, qui noxios humores situ longo, & intento studio comparatos, vel concoquit; vt medicorum pueri testantur vel certe eijcit. Membra quoque omnia agilitatem quandam, & aptitudinem acquirunt, ad laborem, & sudorem sine incōmodo perferendum. Scribit Xenophon quod Cyrus Rex, quoties ad venationem prodibat, non subditos, & colonos; sed aulæ suæ familiares ducere secum solebat: vt eos ferendis, & exantlandis laboribus assuesceret: vt famem, sitim, æstum, frigus, puluerem, & sudorem, fortiter & animose ferre doceret: & quandam illis belli Martisq; spetiem repræsentaret: in quo ijsdem artibus, & armis, hostem; quibus in Venatione feram bestiã esset superare necesse. Lazius quoque in lib. de Rom. Repub. meminit quod quidam Romanorum Duces immanium bestiarum venatione milites suos exercebant, antequàm cum hoste pugnandi facultatem permitteret. Liuius quoque scriptum in sua historia reliquit, quod cum Appius Claudius Romani exer citus Dux, Veios oppugnaret; & milites hyeme superueniente dilabi ad hyberna, ob frigoris incommoda decreuissent; hac

per Appium ſimilitudine propoſita ad offitium reuocatos extitiſſe. quod ſi venationibus vacarent nullis certe ab ea voluptate aut loci, aut temporis, aut cœli incommodis abduci ſe paterentur: quominus abduci ac deterreri deberẽt pro dulciſsimę patriæ libertate decertantes.

Ad pudicitiam quoque conſeruandam, & tuendam vitæ integritatẽ prodeſſe plurimum poteſt moderata ratio venationis. Nullum enim locum ſordidis cogitationibus, nullũ ocio, & ignauiæ relinquit. Sed totum ſibi hominem vſurpat, voluptateque ſua ita planè demulcet; vt ſæpè libeat panem potius atrum, & mucidum appetere, quàm laſciuam, & impuram Venerem cogitare. Sic Dianam, ſic Melanionẽ, ſic Hyppolitum Theſei filium pro laude pudicitiæ laboraſſe, contendiſſeque perhibent, non in media turba, ſed in intima ſolitudine.

Cænas quoque Sybarititas quibus hæc patria noſtra, magno ciuium incommodo planè diffluit, Venationis labores omniũ facillimè digerunt: quam etiam ob cauſam Cyrus Rex, quos paulò liberius cænitaſſe pergræcatoſque eſſe cognouerat familiares ſuos, ad venandas feras abducebat:

bat:

bat: paneque solo, & eo quidem exiguo, quantum alendo in diem puero satis esse posset; & aqua præter labente, quandoque etiam per bidunm, & triduum contentos esse iubebat.

Sed hoc quoque compendium adfert moderata venatio, quod in ea habitu vti licet simplici, minimeque exquisita veste: ita vt vniuersus corporis cultus syluis potius incultis; & horridis rupibus, quam Aulico splendori sit conuenientior, atque ad omnem cœli aerisque intemperiem à corpore propulsandam accommodatus. quod compẽdium Carolum Magnum Imperat. seruasse legimus apud Auentinum. Vbi præclarum hoc illius factum memoratur: quod cum Aulæ suæ familiares nouo quodam, & prætioso sericeæ vestis genere illo primùm tempore a Venetis mercatoribus in Gallias importato, vti animaduertisset, ad venationem, nil tale cogitantes, eduxit; ac per densissimas syluas summa pluuia, & tempestate tamdiu circumduxit; dum ad viuum discerptis vestibus cœli incommoda penetrarent. Domũ autem reuersus, ita vt venerant laceros, & madidos mensæ suæ statim adhibuit, nocturnasq; excubias agere iussit, nec quen-

racallam Cæſares notatos repræhenſoſq; legimus,quod ei, quam ex Venatione capiebant voluptati, publica negotia poſtponenda putauerunt. Caracalla quidem, Italia relicta ad Danubium vſque excurrit,vt noui generis,inſolitis feris venandis ſine cuiuſquam interpellatione vacaret. Antonius vero,quod Dio notauit, cum horas matutinas expediendis Imperij negotijs aſſignaſſet ad Venationem profectus, vix extremo quandoque die copiam ſui expectanti populo, faciebat.

Mithridates etiam,vt Reipublicę negotia ſubterfugeret ſeptem cōtinuos annos in Venatione oberraſſe perhibetur.

Illud etiam obſeruandum putant, ne quis fæſtis diebus,neve ante Miſſam, & Orationem,Venationi det operam, quo nomine Regem Alphonſum,quamuis huic occupationi apprimè deditum, valde tamen ab Antonio commendatum legimus,quod cultum diuinum huic voluptati nunquam poſtponendum putabat. Contra verò Suantocopium, quem Aeneas Syluius Morauiæ Regem appellat, grauiter eſſe ſcimus repræhenſum, quod cū die feſto quodam ex venatione reuerſus, offitia diuina abſoluta inueniſſet, furijs agitatus in Epi-

ſcopum Methodium altari adhuc aſsiſten tem, canes venaticos immiſit, Eccleſiamque profanauit, Cyrus equidem licet gentilis & Idolorum cultor fuerit, nunquam tamen ad venationem prodijſſe perhibetur, niſi prius Apollini, & Dianæ, Venationum prꝑſidibus vota feciſſet, futuræque prædæ partem Sacrificio deſtinaſſet.

Cauendum etiam eſt nec cum damno proximi coniuncta ſit Venatio, ne agri, fruges, horti, Vineæ, colonorum conculcentur; ne aquæ & torrentes auertantur: ne ſepes & maceriæ deijciantur. quod cauiſſe ſumma cura dicitur Ludouicus Galliæ Rex, qui cùm venaretur ad colonorum caſas deſcendere ſolebat, cibum ſumebat, ſermonem habebat: & ſi quæ illata à Venatoribus incommoda cognouerat liberaliter compenſabat. Alexander autem Imperator, ſicut ſcribit Georg. Lautembergius, fuſtibus: & virgis cædi grauiſsimè iubebat, ſiue is miles ſiue venator fuerit. capitis etiam ſupplicium ſumere non dubitabat; ſi quod à quopiam damnum datum, petulantiuſque actum in colonorum agris cognouiſſet.

Narrat ipſe apud Curtium quod Hermolaum cũ protacius ſe in venatione geſiſſet

fiſlet more patrio,& ab antiquiſsimis Macedoniæ Regibus vſurpato caſtigari iuſsit. Pari quoque ratione prouidere debebit pius, & diſcretus Venator; ne ſubditi, & Coloni conſuetas, & neceſſarias operas deſerere cogantur; vt illorum voluptatibus ſubſeruiant: magnam enim vnius diei intermiſsio rei familiaris iacturam adferre conſueuit, quam multorum dierũ cura & ſolicitudo ſarcire vix equidem poterit. Deinde verò cauendum illud quoque eſt accurato Venatori ne maiorem faciat, quàm par eſt, in hoc genere voluptatis, ſumptuum profuſionem. Nil enim carius emitur, quàm cũ inanis & fluxa voluptas auri ponderibus emitur. Narrat Sabellicus, quod Rex Alphonſus in canes & aues venaticas mille auri libras annuas impendebat. Baiazetem quoque Tamberlani captiuum, Laonicus Chalcondilla reprehendit, quod alendarum & fouendarum Venaticarum auium cauſa ſeptem millia hominum aluerit. Qui verò curam habebant canum Venaticorum ſex itidem millia numerabantur. Barnabam autem Vicecomitem Mediolaneñ, in quo quæſo te vituperationis genere ponemus, qui inter ſubditos, & colonos ſuos, duo canum vena

tico-

dem,hominis cæde capiteque compensandam putauerunt, quos equidem ex omni societate hominum in eas oras relegãdos putarem, vbi sicut ait Plautus.

Viuos homines mortui incursant boues.

Lepida est illa Pogij fabella de quodam Medico Mediolanensi, qui homines amẽtes ad palum religatos in gelidam aquam demittebat, ac aliquot dierum ieiunio & abstinentia macerabat; tanquam ea ratione ad mentem sanitatemque reuocaturus. Accidit itaque quod vnus ex his quos ad palum destinauerat venatorem videret equo insidentem, canes ducentem, & aues gestantem: quæsiuit ex illo, cui bono essent tantus bestiarum comitatus, quodnam esset singularum offitium? quod homines: quod equi: quod canis? & auis munus proprium? quid lora, quid tubæ, quid pera, quid tympanum, quid vocis contentio, q̃d sibi vellet offa, & capistrum; quinam demque esset tanti laboris, & contentionis, & impensarum fructus? Cumque ad singula venator respondisset: omniaque ad capiendas, & iugulandas feras pertinere dixisset. Fuge, ait fatuus, propere. Nã si Medicus noster superuenerit: ad palum te quoque tanquam stultum, & amentem religabit.

ligabit. Quid autem diceret, ſi quendam Germanorum Principem venationi tantopere deditum cognouiſſet, vt auderet dicere, Si Deus pati vellet, vt in hoc mundo perpetuo venaretur, quod nollet vnquam in cœleſtem patriam ingredi. O amentiam.

Non mediocris etiam adhibenda cura eſt circumſpecto Venatori, ne vitam ſuam periculis obijciat, qua de re Martialis ſic olim Priſcum admonuit.

Parcus vtaris, moneo, rapiente Veredò,
Priſce; nec in lepores tam violentus eas.
Sæpè ſatisfecit prædæ venator, & acri
Decidit excuſſus, nec rediturus equo.

Actæon in ceruum mutatus à canibus laceratus perijt. Adon Cynaræ Regis filius, ab apro interfectus eſt. Hyas Athlantis filius à Leæna diſcerptus occidit. Cephalus vxorem ſuam Procriam dum feram exiſtimat, confodit, de quo hæc apud Ouidium legimus.

Clarus erat Cephalus ſyluis multæq; p herbã
Conciderant illo, percutiente feræ.

O non à Scorpione ictus perijt. Achis Creſi filius ab Adraſto famulo, ſpiculo pcuſſus occubuit; Conſtans Conſtantini filius in venatione quieſcens occubuit. Lotharius

tharius Galliæ Rex, febre ſubitanea correptus, illico perijt. Ferchardus 54. Scotorum Rex, inter venandum à Lupo vulneratus, paulo poſt diem ſuum obijt. Maximiliani porro Archiducis Auſtriæ periculum, in quod apud Granatam Hiſpaniæ Ciuitatem incurrit, notius eſt, quam vt iſto loco debeat commemorari. Legimus alios in præcipitium actos, alios antris & ſpecubus incluſos ſempiternis tenebris in omne tempus latuiſſe. Hoſij Cardinalis anteceſſoris tui tempore, in Varmienſibus ſyluis, immanis quidam Vrſus de capite coloni in inſidijs collocati, pellem integram detraxit. In Ferdinandum Imper. quod illum ipſum referentem audiuimus immanis quidam aper impetum fecit; pedemque equitantis læſiſſet; niſi telis aſtantium confoſſus illico fuiſſet. Mille equidem pericula, mille mortes, à feris beſtijs oblatas hominibus legimus; nauum vt eſſe & circumſpectum oporteat, qui nullum vnquam in venatione periculum adijt: quod fieri vix equidem poteſt: niſi in toto iſto negotio ſumma adhibeatur moderatio, quam adhibuiſſe legimus Euſtachium, & Hubertum viros Sanctiſſimos venatione vtentes vt medicina, quantum
vide-

ter abutitur, ſi propterea caram ſibi, & expetendam vitam putat, vt feras beſtias iugulet. Pulchrè equidem Euripides, & poſt eum Ennius. Otio qui neſcit vti, plus negotij habet. quam cum eſt negotium in negotio. Nam cui, quid agat inſtitutum eſt, nullo negotio id agit, ſtudet ibi, mentemque animumque delectat ſuum. Ocioſo initio animus neſcit quid velit. Hoc idē eſt enim, neque domi nunc nos, neque militiæ ſumus. Imus huc hinc illuc. cum illuc ventum eſt, illic ire libet. Incerte errat animus, præter propter vitam viuitur. Tale, inquam, ocium, puluinar Sathanæ vocat Hyeronimus, cuius exitus alius eſſe non poterit, quam ille diuinis ſcripturis decantatus. Ocioſitas, & abundantia panis, omnem malitiam docuit. Et quod habetur in Prouerbijs. Qui ſectatur otiū ſtultiſsimus eſt, & replebitur egeſtate.

Sed & ego fortaſſe hoc quoq; meo otio, & tempore, & iſto Creſlauicenſi ſeceſſu nimis immoderate abutor.

Et iam mihi medullam laſsitudo perbibit.

Finem itaque faciam. Plura de venatione, ſi ſcire volueris ad Xenophontem, & Oppianum te remitto. Scripſit & Gratius quidam Poeta in eodem genere, Auguſti Cæſa-

Cæſaris tempore , cuius etiam Ouidius meminit. Sed eum ego vidi nunquã. Scripſit & Ghorgius Obrectus Iuriſconſultus. Diſputationem de Venatione,reſpondente Nobiliſſimo Chriſtophero Layſſero in Idolzberg,& Kiauſen Auſtriaco.Scripſit & Conradus Hereſtachius,& lingua Gallica Iacobus Phouiloux. Habentur in hóc genere non pauca apud Cęlium Rodiginum. Scripſit & Petrus Angelus Bargeñ. lepida ſanè Poemata , & Michael Angelus Blondus de canibus, & venatione.

Quod ſupereſt, da operam vt valeas, & cum animum recreaueris ad occupationes te dignas, iſtiuſque ampliſſimi ordinis,& muneris proprias reuertaris : teque eum in omnibus vitæ ſtudijs & conſilijs, non ſpe,& expectatione,ſed re, & veritate præſtes , quam ſperamus & expectamus, quemque te fore patruus tuus, Rex Stephanus,& ſibi & Eccleſię Dei prolixiſſime pollicetur . Commendo me in gratiam Celſ. Veſtrę Illuſtriſſimę etiam atq; etiam. Dat. in Palatio Creſtauiceñ. Idib. Octobr. A. D. 1585.

HIE-

HIERONYMO PODOVIO CANONICO CRACOVIEN. REGIO SECRETARIO,

Epistola XXVI.

VIDEBIS ſat ſcio Pouodoui cum Reſcium audies ἄποδα καὶ ἄχειρον è prælio reuertiſſe victorẽ. Quid monſtri ais? Monſtrum eſſet, ſi nunquam, & non alati volaſſent. Perſuaſi Romanis, Gottos ædificaſſe, Romam Romanos vaſtaſſe. Id tu ſat ſcio vel ad armenta reicula, vel in eas oras relegabis, vbi paradoxa nidificant. Sed quid faciam, plorando, implorando, deplorando, apploran do, iam feſſus ſum. Fortunarum naufragia non ignoras. Columbam cum tabella nuper tibi nuntiam ex hoc theatro miſi. In media quoque Vrbe Hercinia: non hoſpes ab hoſpite tutus. Sed quæ mordent mittamus. Accipe huius quoq; diei penſionem.

Nec nos mortuos putes ; & apophoreta pares.

Visum est Sixto V. Pontifici ad suam, & Vrbis Romanæ maiestatem valde pertinere, si obstupenda, & solis olim possibilia Romanorum Imperatoribus, Orbis, & Vrbis Dominis, opera, isto quoq; sæculo moliretur; nec omnes adhuc Augustos, Caios, Constantinos, Appios, Flaminios: non omnes Archimedes, Sauros, & Batrachos, Seueros & Celeres mortuos ostenderet. Non sumptum Vrbi Romanæ, non artem non ingenium, sed animum quandoque ad rerum maximarum molimina defuisse: aut quod similia nusquam adhuc extare viderentur religiosæ magnificentiæ monumenta. Obeliscum Noncorei Regis Aegypti à Caio Caligula naui Argonautica Romani adductum, & in Circo Vaticano prope viam triumphalem in honorem Augusti, & Tyberij ante annos 1550, erectum in patentem, & conspicuam Basilicæ S. Petri aream, magna arte peneque immensa impensa, ad Non. Calend. Octobris anni 1585. trãsferebat, & erigebat, quod te iam per spatia inuij eunte cœli nuntio audiuisse puto.

Ad hoc spectaculum tanquam ad viden da

da ſuperiora ſua ſæcula, Vrbs effuſa vniuerſa videbatur. Mihi quoque ſella Senatoria ad latus Purpurati cuiuſdam Principis obtigit: cui aliquot circumpedes aderant ἑλκεσίπεπλοι Antiſticij forte, vt vetus verbum loquitur, appetones.

Ad primum proſpectum obtulit ſe nobis in medio circoglebosæ terræ cliuus, aggeri ſimilis, Creta ſolidatus, tenaci, & ingenti æquatus cylindro, Calonum manibus, & verucis recens aggeſtus, & ex vtroque latere palis, tignis, tabulis, trabibus, ſudibus, omni ſubſtructionum genere, ita circummunitus, ne ſub pondere diuaricari poſſit.

In aggeris dorſo; cantarij cylindris incumbentes: ſuper hos Noncoreus ſtratus Obeliſcus videbatur, ſtoreis, tomentis, tabulis, ferreis circulis, & duodecim groſiſſimis laminis, contra omne periculum thoracatus; qui manibus architectantium, per teretes ſuculas, ad baſim paratam, implicatis veſtibus trahebatur.

In extrema Cliui parte, quercea moles erecta, turris inſtar videbatur, alta pedes centum ſexaginta quinque: Trabium groſiſsimarũ, funibus, forcipibus, omni ferramẽtorum genere compactarum, pene mil-

le; (Glogoueciam noſtram in Vrbem com portatam ſyluam diceres) Canterijs, toris,fulcris,intertignijs, retinaculis, ligamentis, & indubitata Cyrcinni ratione ita architectata,vt & longitudo ad lineam & regulam, & altitudo ad perpẽdiculum, & anguli ad formam reſponderent. Ex ea porrò mille trochleæ,mille reſtes,mille tori, mille pendere videbantur funes ductarij.

Circum hanc molem diſpoſita erãt per patentem aream certis interiectis interuallis octo,& quadraginta ergata: quorũ ſingula à quatuor equis carucarijs,ad mãdatum architecti Equitis Fontanæ, è ſublimiori loco omnia moderantis, & tubæ clangore,vel aurigationem, vel ceſſationem ſignificantis ad perpendiculum rotabantur, Obeliſcum à terra ſurſum eleuantes; Vniuerſo eius pondere adeò ſubtili ratiocinatione dimenſurato,& diſtributo: vt ſingula ergata triginta tria millia librarum eleuarent. Vniuerſum enim Obeliſci pondus, ita vt erat ferro, tabuliſque armatus aſcendere exiſtimabatur ad quin decies centena,& octuaginta quatuor mil lie librarum: exarmatus autẽ ad 992789. librarum, vſque ad acuminatum verticem

cem cui ſignum Crucis venerandę, deiecto æreo, flammantemque pyropum, vt au diui, inritante, globo, imponi Sixtus V. voluit.

Miræ architectantium ex omni parte molitiones, & diſcurſationes videbantur, fabri funãbuli, reſtes enodantes: tignarij per arborum pinnas intrepide diſcurrentes: lignarij clauos trabales adigentes: perpendiculatores ad ſingulos machinarum motus omnia denuò circinnantes: mille videres diuerſæ molis generiſque machinas, vni obeliſco miniſtras, intertignia, ligamenta, munimenta, fulcimenta, retinacula, tranſtra, mille ſcanſorias machinas, clauos, ſeras, gnomones, ſecures, vncos, cuneos, malleos, ſucculas, porculos, fibulas, confibulas, capiſtra, bipalia, forcipes pallas, vectes, remiſſarios, trocleas, terebras, reſtes, toros, funes, torculos, annulos, canterios, Zonas, tunnos, capreolos, redas, carucas, quorum omnium præſidio, & ſumma artificium, operariorumque contentione, iumentorumque ſudore intra ſex horas, ſupra fundamenta, & ſubſtructiones, & ſtilobata, & duorum tuorum ſpiras, & ſuppoſitos æris Corynthij quatuor aſtragalos, ſuſpenſus Obeliſcus videbatur.

His omnibus machinis,& molitionibus paulò curiosius circumspectis. Mirum est, ait ad me conuersus Princeps, quod hic solus Obeliscus vim vestrorum Vandalorũ, furiasq; Gottorum barbaricas effugerit, cæteri non effugerint. Ego verò, Qui hæc, inquam, de Gottis & Vandalis sentiunt. liberè, quod dicitur, suam nocte frui desiderant. At vel propterea hic solus sanus & illesus Obeliscus remansit, vt de sociorũ cladibus& mortibus, certiora vobis, quàm creditis nuntiaret, veteremque crudelitatis calumniam à Vãdalorum capitibus remoueret. Tum ex astantibus vnus, quem puto, non Phœbus, sed Cæsar vatem fecerat, Galleatum, inquit, principium. Nare videtur iste sine Cortice, siueq; alis volare. Negare Romam à Gottis vastatam, negare est Romam à Romulo ædificatam; Aio, inquam Gottos ædificasse, Romam, Romanos vastasse.

Tùm tertius quidam vultu Prætoriano (Asinariam fortè ad lychnulum ligneolũ legerat) Tolutim badisa, non hic Paradoxa nidificant. Ego verò, Penam mihi Tantali deposco, nisi hęc illis esse veriora ostẽdero, quæ apud Sagram acciderunt. Ille verò. Ad Cytheronem forte, non ad Helico-

nem

nem, ad Vesuuum, non ad Parnasum. Parnasios, inquam fontes, mendacilo qui Poetæ iam dudum pitissando vacuarunt: at in Veseuo Veritas, quia in Vino veritas. Vinum & veritas ignea, aqueum mendatium ὑδροπότα non οἰνοπότα fabularum fabri: vel solus Homerus ad Meletem fluuium natus, quas nobis dedit fabulas? Sed in statu stemus, & ad Obeliscos reuertamur. Aquæ non Vini potatores.

Quadraginta quatuor Obeliscos Romam è Græcia & Aegypto adductos legimus, Si quis mihi vel vnum à Gottis fractum, aut deturbatum ex probatis authoribus ostéderit, penulam posco, Veseuum peto, Andromedes pænam sub eo, modo ad Veseuum, modo Nympharum manu.

Tum alius quidam, Laureolam iste in mustaceo quærit, forte & niuem atram probabit. Ego verò niuem atram ostendere, non est huius tempus sermonis: albane sit, an atra, calida an frigida, notius est Polonis, quàm Romanis. Sed eos profectò minimè niueos, imò & atros ostendã qui Gottos, & Vãdalos in Vrbis direptione belluina qnadam vsos feritate, & immanitate prædicant, aut publicorum illis tribuunt ædifitiorum &, ornamentorum demolitiones.

Teſtem omni exceptione maiorem áſfero D. Auguſtinum, aſſerentem quod Roma, nil funeſtius, tertius, amariuſque vidit vnquam, quàm Marij, & Syllæ in ſuos Ciues ferocitatem; cui nulla barbarorum ſæuitia, nulla rabies exterarum gentium comparari poſsit. Gotti, inquit, tam multis Senatoribus pepercerunt, vt magis mirum ſit, quod aliquos peremerunt. Syllà autem multos vita, rebuſque priuauit, vt nec Pontifici Mutio aram amplexanti pepercerit, pluresque iugulauerit Senatores, quam Gotti, vel exſpoliare potuerũt. Oroſius quoque teſtatur in tam commemorabili victoria, tam fuiſſe moderatos Gottos, vt ſi quis paucis poſt acceptam cladem, aut annis, aut menſibus, populum Romanum, & multitudinem vidiſſet, & vocem audiuiſſet, nil mali paſſam Vrbem arbitratus fuiſſet, niſi quædam ex incendio exiſtentes ruinæ forte docuiſſent. Ad hiſtoriam veniamus.

Quater in fallor, à barbaris Roma càpta legitur; Primum à Viſigottorum Rege Alarico Baltoro, quem primum ſui victorem Roma mirata eſt. Stephani Battòri Regis Poloniæ potentiſsimi, qui nobis hòdie fœliciſsime, glorioſiſsimeque im-

perat

perat gentilicio. At illius in tanta victoria, tanta fuisse moderatio perhibetur, vt edicto promulgato Vissigottis omnibus imperaret, vt à cedibus, & sanguine Populi Romani sibi quoad possent temperarēt: prædam tantum pro posse facerent, & in sacra loca, præsertim verò Beati Petri, & Pauli Basilicas fugientes tutos, illæsosque præstarent: idque in tanta barbarorum insolentia supra fidem posterorum seruatum fuisse: omnes qui rem scripserunt affirmant. Tum, & illud, quod Gallam Placidiam, Theodosij filiam, & Honorij, Arcadijque sororem, in captiuorum sortem abductam honestissimè tractauerunt, & vasa præterea ad ministerium Basilicæ D. Petri olim consecrata, pondere, magnitudine, pulchritudine eximia, quæ forte ad cuiusdam Vissigotti manus peruenerant, eiusdem Regis iussu in Basilicæ cuius erant arcam, magna cum Romanorum, & ipsorum Vissigottorū admiratione reportata fuerunt. Nec amplius quàm tribus ab ingressu diebus in Vrbe Vissigotti manserint, facto, vt ait Orosius, aliquantulatum ædium incendio, sed nec tanto quidem, quantum Septingentesimo eius anno casus effecerat, ad populandam Campaniam, Lucaniam,

niam,& Brutios properantes: planè vt videre liceat, Viſſigotos nec animum, nec tẽpus ad eas de quibus calumniantur moles deijciendas, demoliendaſq; habuiſſe.

Altera vice capta fuit Roma à Genſerico Vandalorum Rege, qui & ipſe prædã tantum ingentem egiſſe, Vaſa Eccleſiaſtica prætioſa abſtuliſſe, & inter ea quæ Veſpaſianus & Titus vaſtata Hieroſolyma attulerant, Ciues Romanos innumeros in Africam abduxiſſe, & inter eos Eudoxiam Valẽtiniani vxorem, cum duabus filiabus Eudocia, & Placidia memoratur: imò vero populus ipſe Romanus, qui Genſerici tyrannidem fugiens Vrbem relinquerat, poſt 14. dies viciſſim ad ſuas ſedes viſus eſt tutus ſecuruſq; redijſſe.

Tertia vice Ataulphus ex eadem Baltorum gente, Alarici cognatus Romam ingreſſus à ſanguine itidem ſuos milites, & ab Vrbis incendijs iuſſit abſtinere:& quod ſuſceperat de Roma funditus extirpanda aliaque de ſuo nomine ædificanda conſilium, id ad perſuaſionem prudentiſmæ cõiugis ſuæ Gallæ Placidiæ ita viciſſim mutauit; vt Romanæ dignitatis cuius eſſe nequiret immutator, fore optauerit inſtaurator.

Bis

Bis deinde à Totila Gottorum Rege fortissimo capta Roma legitur, semel prodentibus Isauris, secundo dedentibus Romanis. Prima porrò vice Romam ingressus, exercitum cædes, & prædas spirantē: diem integrum ad portam continuit, nec quenquam suorum discurrere per Vrbem passus est: vel vt Ciuibus fugæ daret spatium, vel vt qui vellent ad Ecclesias sese possent recipere.

Ac postridie quidem à Laterano ad S. Petri Basilicam proficiscente Totila, miles victor, & elatus quos habuit obuios trucidauit, non plures tamen quam 80. Sed rogatu Pelagij statim vicissim præcepit Totilas, vt nemo posthac feriretur, finemque statuit licentiæ gladiorum: quin & hoc seuerissimè edixit, omniqúe diligentia custodiuit, ne vlla fæmina ingenua, seu mulier, seu virgo, seu nupta, seu vidua foret, violaretur: bona duntaxat Ciuium in prædam concessit, corpora libera esse voluit, & Gottum militem ob illatum vni virgini stuprum, nequidq; intercedente vniuerso exercitu, morte mulctauit, nisi quòd paulo post, cum à Iustiniano Imperatore Constantinopoli tum agente, quod petebat, vt scilicet Gottos in amicis haberet,

obti-

obtinere non poſſet, indigne ferens amicitiæ repulſam, tertiam partem murorum deiecit. Capitolium incendit, circa forum, & Suburram, & viam ſacram omnia conflagrauit.

Altera tamen vice dedentibus Vrbem Romanis, ne deſeuijt ampliùs, nec eam deſolare, vt prius fecerat, perrexit; omneſq; ſimiliter qui ad Sacras ædes confugerant, conſeruauit; imò verò Ciues per Campaniam palantes ſtudioſiſsimè reuocauit, ædes incendio conflagratas reparauit, in colonos, agroſq; illorum, nunquam ſeuijt, nec quenquam ruſticorum à ſuis militibus offendi permiſit; qua illius comitate etiam ipſi Neapolitani Ciues adducti cõmemorantur, vt paucis poſt obſidionem diebus portas illi Ciuitatis patefecerint, vbi nemo violatus eſt, nil cuiquam ademptum, imò data ab ipſo Rege opera eſt, ne longam inediam paſsis, immoderata cibi affluentia officeret: Vtque ad certum quottidiani cibi pondus quotidie aliquid adijceretur. Diſciplinam militarem à ſuis ſeueuiſsime exigebat; rapere aliena, vim inferre, eſſe capitale volebat. Abire volentes equis, iumentis, viatico ſubleuabat: quibus rebus adeò ſtudia hominum immu-

immutata videbantur, vt iam multò popularius esse Gotticum nomen in Italia, quàm Iustiniani Principis, & Græcorum. Longum esset singularia Regis Theoderici in Vrbem, atque adeò in vuiuersam Italiam merita, & beneficia commemorare. Torrandem, & Cassiodorum testem appello. Romam restaurari præcipit. Theatrum Pompeianum refecit. Aeneos elephãtes restituit. Palatium renouauit. Porticus Curiæ reparauit. Cloacas repurgauit. Muros Vrbis reædificauit. Pontem supra Tyberim curauit. Spectacula reuocauit. Vias tuas præstitit. Aunonam diligentissime procurauit. Aquilegos annona donauit. Militem suo stipendio contentum esse voluit. Calcnm ad ædificia sine præcio distribuit. Saxa Amphiteatri, quod iam maiori ex parte corruerat; loco moueri, nisi ad solam Vrbis reparationem prohibuit. Sepulchrum Augusti inter Tybrim, & viã Flaminiam vetustate colapsum refecit. Statuas Principum æneas, marmoreas, equestres, pedestresque conseruari, plurimas, reparari iussit. Volens posteris quoque fidem facere, viros fuisse præstantissimos per quos ad amplissimum orbis Imperium, res Romana ascenderat: Littera-

rum

rum ſtudioſos Romæ plurimos aluit, curā eorum maximam habuit, præceptoribus pendi ſalaria iuſsit. Campanis ob incendium Veſeui tributa remiſit. Spoleti porticus ingentes repurgauit. Rauennæ Baſilicam Herculis reſtituit, Arelati muros reparauit. Comæ ſtatuas æneas, Eccleſijs ſemel attributa alienari non permiſit. Clerum, & Epiſcopos magnis libertatibus donauit. Romani Pontificis authoritatem defendit. Summa eſt, ita ſe in vniuerſa Regni Italici adminiſtratione Gottus ille adhibuit, vt ipſo Procopio teſte nemine fuerit inferior, qui à principio in dignitate Imperiali probatiores fuiſſent. Robore quippe, vigilantia, proſperitate, ait Tornandes, referebat Principem, manſuetudine Sacerdotem.

Hic ex aſtantibus vnus. Cacula mihi palliatus videbatur, curſu ſermonis interrupto. Si igitur Gotti Vrbis ornamenta non deiecerunt, ſi & refecerunt, quis has tantas quæ videntur ruinas dedit? Vnde hæc rudera, vnde maximarum molium, & ædifitiorum parietinæ? Iam diximus, inquam, Gottos ædificaſſe, Romam Romanos vaſtaſſe; addimus, & Imperatores, & incendia, & terræ motus, & inundatio-

nes,

nes, idque ostendemus.

Quinto Luctatio, & A. Manlio Cons. validus ignis incertum vbi surrexerit, plurimas Vrbis partes peruagatus, cum hominum, domorumque miserabilem stragem fecit, tum etiam tantum opum vno consumpsit incendio, quantum plurimæ, & peregrinæ victoriæ cõferre vix possent; & cum omnia in circuitu fori popularetur, ædem quoque Vestæ corripuit, & ignẽ illum qui ęternus putabatur, temporarius ignis oppresit.

Alio quodam incendio 14. Vrbis vicos exustos Orosius memorat. Sub Nerone per sex dies, & septem noctes ardens Ciuitas regios oblectauit aspectus: Nã è 14. Vrbis regionibus, quatuor tantùm integræ manserunt, tres solo tenus deiectæ, septem reliquis, ait Tacitus, pauca tectorum vestigia supererant, lacera, & semiusta, Domuum. Insularum, templorum numerum inire haud promptum fuerit. Lunę templum, quod Seruius Tullius. Fanum, & magna arca Herculis, quam Arcas Euãder sacrauerat. Aedes Iouis statoris. Numæ Regia. Delubrum Vestæ, cum pœnatibus Pop. Rom. exusta. Opes tot victorijs quæsitæ. Græcarum artium decora, monimen-

nimenta ingeniorum antiqua perierunt.

Arsit, & anno primo Vespasiani, & secundo Titi, & sexto Traiani, & octauo Commodi.

Terræ motus porrò pluribus experta est Roma vicibus. Quarto anno Neronis, octauo Constantij, & Constantis tribus continuis diebus Vrbem Cedreno teste quassauit. Idem accidit sub Valentiniano, & Valente.

Deinde verò & innundationes Tybris magnopere Vrbem vniuersam deformarunt. Q. Luctatio, & A. Manlio Consſ. insolitis imbribus auctus Tybris, omnia ædificia in plano posita deleuit. Sub Tyberio multis itidem imbribus auctus plana Vrbis stagnauerat, relabentem secuta est, ædificiorum, & hominũ strages. Anno Adriani Pontificis 20. Tybris suo superato alueo à põte Miluio ad molem Adriani, ita extrinsecum cursum cæperat, vt nouum, & ad lineam per Campum Neronis ductum alueum visus sit excauasse. Portam quoq; viæ Flaminiæ irrumpens, valuas eius cardinibus euulsas, vsque ad triumphalem Domitiani arcum traxit, indeque per viã latam vsque ad S. Marci decem cubitis intumescens casas plurimas strauit, & fir-

mioris cuiusque domus suppellectilem cæteraque ad primam contignationem exposita corrupit: inde per domos æquè & vicos cursum rapiens euerso Vrbis muro ad Pontem Aurelium in suum est alueum reuersus. Circa annum Domini 1400. magna quoque tam Padi, quam Tyberis inũd tio memoratur, ita vt multa quoque Vrbis ædificia corruerint, multi homines, & iumenta submersa infecerunt, pestemque grauissimam adduxerunt.

Sed longè adhuc magis Vrbem deformatam ab ipsis Romanis, quàm vel à Gottis, vel à cœli aerisque incommodis ostendemus. Concurrentibus in Campo Martio infestis Flauiani, & Vitelliani aciebus, sæua, ac deformis Vrbis tota facies videbatur: Milite ad sanguinem, & cædes obuerso, populo rapinis, & spolijs inhiante. Horti Sallustiniani, & Vitelliani dissipati, macerię disiectę, alibi prælia, ait Tacitus, & vulnera, alibi balnea popinæque videbantur, simul & cruor & strues corporum: iuxta scorta, & scortis similes, & quicquid in acerbissima captiuitate scelerum, prorsus vt eandem Ciuitatem, & furere crederes, & lasciuere.

Maxentius quoque antequam à Con-

ſtantino vinceretur miſerabilem Vrbis faciem reddiderat. Tot tyrannos Roma patiebatur, quot milites: ideoque exhauſta erat:& cum ea tot inſulæ prædonum manibus exinanitæ,Senatus,& Populi cædes immenſa videbatur: facultatum direptiones,matronarum violationes, puerorum, ac fœminarum euiſcerationes, imaginum deiectiones,incendia, & his ſimilia mala, quæ mollis ſatis lachrymis deplorari poſſe videbantur.

Huc accedit,quod Conſtantinus volens Cōſtantinopolim Romę parē facere, multa vrbis ornamenta in eam tranſtulit:qualem eſſe volunt maximam columnam teretem Porphyreticam cui ſuam ſtatuam impoſuit:& pleraque Deorum, & illuſtrium hominum ſimulachra,ad Fori, Circi,& Palacij, & Amphiteatri ornamenta: idque etiam teſtari videtur Hieronymus dicens Conſtantinum talem reddere voluiſſe Cōſtantinopolim, vt in omnibus ex æquo veteri Romæ reſponderet: ſed non ſine reliquarum Vrbium nuditate, cum quicquid nobile in alijs antiquioribus Ciuitatibus inueniretur à Conſtantino in Conſtantinopolim inferetur.

Senatores quoque antiquæ Romæ Oly-
brij

brij Vlpicij,Eubulij,Florentij, viri ditiſſimi, quicquid & ipſi elegantiarum habuerunt, Imperatorem ſuum ſecuti omnia tranſtuliſſe Conſtantinopolim exiſtimantur. Globum ingentem æreum ex obeliſco Conſtãtino in Cyrco maximo fulgur deiecit.

Gallicanus ſub Maximino bello ſuſcitato ciuili, armamentarij portas effregit, haſtas, gladios, ſecures, & reliqua belli inſtrumenta diripuit.

Stylico fores Capitolij aureis laminis maximi ponderis obductas deſpoliauit.

Symulachrum ingens Virtutis aureum, vt ab Alarico pacem redimerent, ipſi Romani cõflarunt, reliquis ſtatuis prætioſiſſima quæque ornamenta ademerunt.

Belliſarij milites magnorum virorum ſtatuas, equorum, & quadrigarum artificioſiſſimas moles, excellenti ſculptorum opere confectas, & multorum annorum labore ad ſepulchri ornamentum collocatas, in oppugnantes ſubeunteſque Gottos, ex Adriani mole deturbarunt, atque confregerunt.

Henricus ſeptimus Germanorum Imperator à Romanis militibus, ne Ciuitatem Leoninam cum ſuo Clemente ingre-

deretur,sagittis,& lapidibus repulsus; suũ vicissim exercitum, Vrbis incendijs ædificiorumque demolitionibus iussit intendere.

Septisolium Lucij Septimi Imperatoris molem arcis instar munitissimam, vt Rusticum Gregorij Pont. nepotem ad deditionem cogeret, omni genere machinarũ oppugnauit,multasque columnas euertit; Corsorum amplissimas ædes deiecit.Militibus in Capitolio statiua assignauit,vnde moturi,siue casu, siue de industria,illud reliquerunt incensum.

Binas amplissimas porticus deiecit. Vnã quæ ab Adriani mole ad S. Petri: alteram quę à Trigemina Hostiensi porta ad S.Pauli Basilicam ducebat.

Henricus etiam Octauus multa his similia patrasse in Vrbe,vastasseque memorant.

Robertus Guisciardus ab armatis Ciuibus,ne Romam ingrederetur aliquãdiu repulsus in proxima regione Campi Martij ignem subiecit, omniaque à porta Flaminia,vsque ad S. Syluestri, S. & Laurentij in Lucina, & S.Triphonis, & S. Augustini ædes horrendo absumpsit incendio,ad eãque redegit vastitatem, quæ ante reædifi-

catas fere nostra ætate domos videbatur. Apud Amphiteatrum per singulos dies cũ Romanis decertabat, & cum non proficeret, ædes iterum ciuium frequentissimas, quotquot à Collyseo per Lauicanam viam ad Martyrium Petri, & Marcellini, & inde ad SS. Ioannis, & Pauli per Cælium montẽ interiectæ videbantur, partim incendit, partim diruit.

Sed & Fredericus Imperator, magna ipse quoque Vrbi Romæ damna dedit: cum portas eius, murosque perrupens à Cruce signatis repulsus fuisset; quorum etiã alios quaternis ad Crucis formam confodit vulneribus: aliorum capita Crucis in modum quadrifariam scidit: aliorum frontem candenti ferro insigniuit. Clericorum porrò detonsas coronas ferro incidit, & vnum ex his fortius tolerantem igne subiecto cremauit.

Sub Martino V. Pont. Gallo, studia vicissim partium ita Romæ recruduerant, vt multis in locis cædes, & incendia committerentur: multæq; ædes ad infimas Capitolini collis radices, vel crematę, vel ferro dirutæ viderentur.

Sub Nicolao IIII. Ciuium iterum agitata dissidijs plurima incendia, ædesque

permultas euersas Vrbs Romana pertulit.

Cōstantinus Constantinopolitanus Imperator Romam sub Viteliano Pontefice veniens, postquam primis quinque aduentus sui diebus Basilicas, & publica Romæ loca perambulasset, non tam religionis deuotione adductus, quàm Vrbis ornamenta furacibus oculis perlustrasset: quæcunque vidit ex ære, aut marmore ad ornatum posita, per singulos dies, aut loco abstracta, aut vi discerpta nauibus imponi curauit, ità vt plus ipse ornamentorum septem diebus Vrbi Romanæ detraxerit, quàm Barbari antea per ducentos, & quinquaginta octo annos, vel in prædam abstulerant, vel confregerant.

Non multo post Aristulphus Longobardorum Rex Romā obsidione cinctam tribus pręssit mensibus, & omnia quæ pomerio excluduntur, absque aliquo diuini, & humani iuris respectu crudelissime vastauit: pluraque Romanis detrimenta intulit, quam vnquam Vissigotti, Eruli, Ostrogotti, & ipsi etiam Longobardi.

Guelforum, & Gibellinorum factiones quas, quæso vos, clades, quas calamitates non Vrbi solum sed vniuersæ quoque Italiæ

liæ attulerunt? teſtantur hiſtoriæ tanta rabie ducentis, & amplius annis, ſub infauſto iſtorum nominum titulo ſæuitum eſſe, vt peiora inter ſeipſos ſcelera ipſi Itali cō miſerint, quàm ab omnibus barbaris fuiſſent perpeſſi. Vrbs in Vrbem, prouincia in prouinciam, populi in populos bella horrenda geſſere: in quibus nullus victoriæ finis, nullus modus, niſi in ſanguinis effuſione, & familiarum exterminio ſtatuebatur: quingentis quandoque paſſuũ millibus ſeiuncti pauperes egeni, æquè ac diuites, & factioſi, cum forte obuij fierent, nefaria inuicem commiſerunt, Longum eſſet iſtiuſmodi exempla omnia, iſto loco recenſere.

Tres diuerſi infeſtique exercitus aliquando videbantur in Vrbe, Cæſareus ad Lateranum, Romanus in Capitolio, Pontificis in Leonina Ciuitate: Incurſiones mutuas faciebant, alter alterius partis ædificia diruebat, cremabat, quicquid erat elegantiarum euertebat.

Pro Collyſea mole ſæpè fuit à diuerſis factionibus acerrime dimicatum, & qui in illius poſſeſſionem inuadebat, Arcis inſtar muniebat, quicquid ad ſui defenſionem, vel ad hoſtis offenſionem commodum vi-

debatur pro victoris arbitrio diruebat, aperiebat, obstruebat; quadrata rotundis mutabat. Quæ vero saxa ferramentis forata à Gottis existimabatur, vt vniuersam molem deijcerent, vulgi est hæc, non intelligentiorum opinio. Platina quidem existimat ab ipsis Architectis saxa fuisse forata, vel vt æreas tabulas illigarent, vel secto marmore crustarent: sed illi fortasse verisimilius, qui putant milites axes, & intertignia interseruisse parietibus, & contabulasse, vt sese vel à cœli incommodis, vel ab hostium telis, & incursionibus, tuerentur.

Iam hic possem desinere, ni inquies animus ipso pasceretur opere: ardua sæpe moliens. Ardua porro res est vetustis nouitatem dare, nouis auctoritatem, obsoletis nitorem, obscuris lucem, fastiditis gratiam dubijs fidem. omnibus naturam vt Plinius loquitur, & naturę suę omnia. Sed hoc quoque meritum est, amore operis in opere, non animi causa perseuerasse.

Addam igitur, quod ipsi quoque Romanorum Pontifices pleno pietatis vsi consilio multa Deorum deiecerunt simulachra vt inanitatem eorum, Idolorum cultoribus, manifestam facerent. Forte vt & Cyr-

ci,& Scænæ,& Theatra dehiſcerent, optauerunt,ne indigna Chriſtiana pietate ſpectacula viderentur, quibus cum ipſi Romani, tum reliqui pietatis cauſa concurrentes populi, à rerum diuinarum ſtudio,piorumque locorum veneratione auocabuntur. Multa contra Cyrcenſia, & Theatrica ſpectacula Patres antiquiſſimi ſcripſerunt Tertullianus, Hieronymus, & alij; multa & ipſi,vt è rebus humanis tollerentur auſi, conatique leguntur Pontifices; Sed cum nimis difficile videretur, inueteratum vſum Cyrcenſium tollere; aut omnes ab illis Chriſtianos in vniuerſum arcere: hoc ſaltem Synodus Arelatenſis prohibuit,ne Chriſtiani Scænicos,Theatricos aut Agitatores agerent, neve diuerſarum factionum,nempè Albatorum, Ruſſatorũ; Venetorum, Praſſinorum (verba ſunt Concilij) agitator aliquis Chriſtianus reperiretur: aut à communione quandiu agitatorem ageret ſepararetur.

Mirum vt videri non debeat,ſi,& Romani Pontifices ad Circos,& Theatra,& Scænas euertendas animum adieciſſent, quod pleriq; Gregorio Magno attribuũt, Chriſtianæ profeſſioni ita valde inimicas, Deinde verò,Tempus edax rerum, quã-

tam

tam putabis vastitatem tam vastis molibus, & ædificijs attulit? cum in varia Vrbis conditione, & fortuna, nemo esset qui sarta tecta conseruaret, nemo qui rimulas obstrueret, aut casitantia styllicidia prohiberet.

Quot statuas? quot columnas? ipsi Reges, & Principes Christiani ad Vrbium suarum ornamenta exportauerunt? Nostro tempore ingens marmorea columna ab eius templi parietinis auulsa: quod Pacis vocatur, Florentiã est deportata: & non paucæ præterea statuæ.

In hoc ipso de quo agimus Obelisco vidit ætate sua Petrarcha æreas illigatas laminas, quæ quasi lumina magnum saxo ornamentum adferebant. Quis ea Gottus? quis Vandalus? auulsit? quis aer eum globum, balistis, quem ille sanum adhuc, & integrum viderat, perforauit.

Palatium quod S. Marci dicitur, nonne ex Amphiteatri saxis exædificatum perhibetur?

Septisolij reliquias, cum tres adhuc extarent ingeniosissima artificum architectatione dispositi Columnarum ordines, oculis ipsi nostris ita disiectas dissipatasq; vidimus, vt omnino difficile fuerit, posteris

persua-

persuadére, tam vastam, tamque elegantem molem, inter Cælium, & Capitolinum Collem aliquando stetisse.

Vastissimæ Diocletiani Thermæ nonne videtis, quam cladem, quamq; diminutionem accipiant?

Desinite iam inquam Gottos, & Vandalos accusare, quorum Imperio, si nunc quòque res Itala teneretur, non Scipiones, nõ Augustos, non Cõstantinos, non Vrbis desideraretis ornamenta? & illas prætereà clades, & calamitates effugissetis, quas eiectis Gottis, tam à Lõgobardijs, & Theutonibus, quàm à domesticis discordis, & dissensionibus, & nescio quibus Guelfis, & Gibelinis sane acerbissimas accepistis.

Hæc cum ardentius dixissem, per clauam Regis nostri Stephani tibi iuro, magnum secutum est cõticinium, & iam dies mortuus, clausum cœlum, Obeliscus solidatus, solutumq; spectaculum videbatur: nobis quoque lumbi sedendo oculiq; spectando dolebant: ita abijmus.

Tibi verò omnia perscribenda putaui, vt te quoque acuas, & ex omni memoria, æuoque priore, plura etiam tela conquiras, ad veterem à nostro Trione τῶν τούτων πανταχοφάγων, καὶ ποηφάγων calumniam remouen-

Istorũ raniuorarum & herbirorarũ

mouendam, quos quia pudet, Romanos rerum dominos Gottorum armis victos, subactosque meminisse, statuas tantum ab illis, & Obeliscos, & columnas victas, demolitasque pertendunt, dignos vt existimauerimus, in quos hãc nostram πεπαιδευμένην ὕβριν retorqueremus. Inde verò coniecturam tu quoque facies, nos in his pæne perditæ valetudinis incommodis, cum quibus iam mensem decimum conflictamur, fortunarumque iacturis, & amicissimorum hominum desiderio, non omnem prorsus adhuc εὐτραπελίαν amisisse.

Iucun ditaté. Freni tui, plane aurei libelli posteriorẽ partẽ expecto: in quo mihi videris ramos loquacissimi erroris, quo Nemoienius Christi vocalissimus perduellis abundat, validissimis scripturarum habenis ita refrenasse, vt iam non nostrorum tantum cla more pedissequorum, sed & pastoricia Colonorum fistula exsibiletur: & si quid aliud his diebus ex illo tuo pleno eruditionis calamo contra Camaleontes istos Euangelicos, qui Deos loquuntur, & Erinnes agũt, prodijt: omnino fac vt habeamus. Cessator enim sat scio, esse non potes, nec etiam debes. Posteaquam te hominem ad excogitandum acutum, ad memoriam diuturnũ,

ad explicandum vberem, ad omnem prætereà cum hæreticis conflictum, ipsa etiam natura creauit habilem, ars fecit facilem, & vsus reddidit potentem: planè vt tibi istorum temporum vulnera curanda sint, etiamsi sit omnium hæreticorum inuidia conflagrandum. Eadem quippe ratione fit odium, ait Plato, & aduersus homines, & aduersus rationes. Sed, ò Pouodoui, nullum lædit obseruata iustitia; Seruasse Ciues gloria est. Istis autem belluis vera, solidaque doctrina lapidum instar videtur: rectè vt dixerit Augustinus, neminem esse posse veraciter amicum hominis, nisi fuerit primitus ipsius amicus veritatis. Sed istarum tu rerum succum omnem epate intimo iamdudum perbibisti: Venit mihi in mentem vt hoc quoque Actuarij loco adijciam, facinoris illius truci Nerone dignissimi: qui cum à Palestrita quodam, cuius nunc non ad manum nomen, quia nec libri: Palestricos gestus, orbesque saltatouos doceri vellet, nec discere per ignauiam posset, eum occidit. Ita plane hæretici conuulneratos, contrucidatos, protritos, obtritos veritatis doctores omnes cupiunt, quia quam docent veritatē, discere propter Papæ odium, non queunt.

Bene vale, & me quouis loco modo inter tuos numera: Quos verus amor tenuit, tenebit: Qui recte semel amauit, amabit; nisi quod ego abs te non solum amari, sed etiã adamari cupio. Amari enim Rescium à Podouico parum puto; idque si feceris, vt volumus, vtque expedit, valebo. Datum Tyburi crebris, vt vidisti, fontibus irriguo, & singulari aeris temperie commendato, quo nunc ex Vrbe iussu Medicorum secessi. Idibus Octobris 1586.

STANISLAO SVCHORZEVIO. S. D.

Epistola XXVII.

VIDE quam delectatus sum tuis litteris, Suchorzeui, quibus ita libenter, itaque copiose respondeo, quam solemus garrire cum his, quos vehementer amamus. In te enim vno atque in tuo amore valde semper acquieui,

quieui,& acquiesco:tecumque esse videor, & scribens ad te,& legens tua: quod mihi credas velim: nec enim me vnquā παλίγλωσσον deprahendes, & huius epistolæ prolixitatem,ex eodem fonte profectam existimabis.

Multi linqui

Quod itaque me in patriam ex Italia reuocas,id agis,vt inde euoces, vbi mihi vitam vitalem non putas. Nam quòd ab oculis dulcissimæ patriæ procul viuo, quòd amicissimorum hominum consuetudine careo,quòd orbis nostri lumina. Cromerū, Socolouium,Pouodouium,Solicouium, q te,non habeo, vitalem mihi viuere vitam non videor. Sed huius generis & temporis quærimoniam mittamus; ne eū ipsum, quem oculis vsurpo,Solem, & istum quem haurio aerem,& hoc quod caleo solum, in inuidiam vocare videamur: aut eiusmodi consilium suscipiamus, quod non habeat sapientem excusationem; isto præsertim quem vides rerum & rationum nostrarum statu.

Quòd verò præterea animum addis, meorumque me verbis & nomine securum esse iubes,quod minimè sint nobis vitæ præsidia cùm venero de futura: non solum ad necessitatem,sed etiam ad splendorem, ad

omnem,

omnem, vt ais, voluptatem: doleo vehementer, quòd non bene adhuc domesticis & necessarijs meis cognitum sum: qui putant, me patriæ dulcissimæ charitatem, ventris & gutturis commoditatibus, & deliciarum affluentia metiri: aut vitæ iucunditates in luxu quotidiano, in mensis sybariticis, in illis diurnis nocturnisque perpotationibus πάθαγῳ, (vt Anacreon loquitur) καταλήπτῳ σκύτικοις ponere consueuisse. Id enim & absfuit semper & abest à vitæ meæ ratione longissime, qui in Ecclesiæ Catholicæ schola didici, partem esse idolatriæ ventri seruire: & extremum interitum ijs omnibus imminere, gulæ qui parentant. Esca ventri (ait Apostolus) & venter escis, Deus autem & hunc & illos destruet. Ego verò me tibi aperio, Suchoreui, quòd patria mea primo quidem isto nomine chara mihi est, quòd mea est, sed multo etiam magis, quòd in auitæ conseruatione pietatis, constantiam suam Ecclesiæ Dei præstat: quod in custodia dulcissimæ libertatis, vitæ dignitatisq; summam sitam putat: quòd illius puritatis & simplicitatis imaginem repræsentat, quæ propria fuit antiquorum hominum, quamq; hæreditariam maiores illi nostri simplicis

Fremitu strepituq; Scythicis.

verita-

veritatis amici nobis esse voluerunt. His ego in rebus maiestatem patriæ meæ statuo, hæc illius ornamenta præcipua puto, hæc vitæ iucunditatibus potiora duco, his stare Rempub. his amicis gratam, hostibus grauem esse statuo. Illas verò popinarias officinas, in quibus Deo ventri parētatur, illos abdominis aduocatos, illos ventris gutturisque ministros, illas dapium phalanges, illos coquorum greges, illos hominum pedumque crepitus, illos ebriorum vomitus, illos fædos atque pestilentes ructus, Antipodas illos popinarios ad faces cereosque viuentes, quis quæso est qui negauerit, aut è rebus humanis auferendos, aut certe ad summam moderationem esse reuocandos? qualem in hac, vbi nunc Regis & Reip. mandata expedio, sane frugali sobriaque Veneta ciuitate video: in qua ratio victus quotidiana maiorum adhuc parsimoniam & moderationem repræsentat: quos parcipromos, vt ita dicam, fuisse, & cum genijs belligerasse constat. Mensis enim vtebantur, sicut olim Plato ἀῤῥήγμαντοις. Cibi erant fere omnes inempti, nuces, lupini, citrum, appium, sal, oleum, & lactuca. Cœnæ verò post quas non erant lauandæ manus. Condimenti loco fames. Sic At-

ticorum prandia, ſic Arcadum conuiuia; ſic Tracum temperantia dilaudatur: cum ventris neceſſitatibus ſatisfacerent: alij quidem farina ſimplici, vt Magi Perſici. Alij pomis Syluestribus, vt Gymnoſophiſtæ. Alij fabis, vt Telemachus. Alij lupinis, vt Prothogenes. Alij glandibus, vt Arcades. Alij milio, vt Meothici. Alij lacertis, vt Amazones. Alij locuſtis, vt Parthi. (Ioannem Sanctiſs: prætereo) Alij pane tantum, & aſſa bubala, vt acres olim Sarmatæ. Tyberius Imperator pridianis & ſemeſis obſonijs vſus legitur. Pertinax dimidias lactucas, & carduos dimidios cœnam eſſe ſuam volebat. Theodoſius modico & caſtrenſi cibo contentus erat. Zeno ille verborum opifex, crudis tantum veſcebatur, & aquam potabat, diſcipulos etiam durā diſcere eſuriem docebat. Romulus ipſe æternæ verbis conditor, rogatus in cœna cur à vino abſtineret. Poſtriduum, ait, de Repub. capienda ſunt conſilia. Quo etiam nomine, non ſibi ſolum temperantiæ laudē apud vniuerſam poſteritatem pepererunt, ſed exemplo quoque ſuo nobis præluxerunt, vt intelligeremus nulla nobis deeſſe poſſe vitæ præſidia, ſi ad naturā viuamus: ſi ad opinionem, omnia. Prudenter, ait Bernardus,

nardus, & circumſpecte viuenti ſatis eſt ſal cum fame. Et Seneca. Habeamus aquã, habeamus polentam, & cum Ioue de fælicitate contendamus. Viciſſim autem oculis quæſo te circuſpiciamus, ventris & abdominis ſeruos, miſeranda gulæ mancipia. Dici vix poteſt, ac ne cogitari quidẽ quantis vitæ mactentur incommodis, quantis ſint infortunijs obnoxij, quam certam, & luculentam plagam ſibi rebuſque ſuis afferant. Sardanapalus Aſſyriorum regnum in ventrem trãſmiſit, & in titulo præterea ſepulchri ſcribi voluit. Tu hoſpes, bibe, veſcere, lude, nam cætera humana, ne hoc quidem dignã ſunt. Heliogabalus opes Imperij Romani abligurit: nec enim ad vllam cœnam accubuit, quam centies ſeſtertijs non emiſſet: & ingentia quæq; pretia condimenta vocabat: pingi ſe quoque volebat, non Imperatoris habitu, ſed inſtar popinarij, cupediarij, ſeplaſarij. Apicium apud Romanos, præcipuum popinæ obſoniorumque artificem extitiſſe, Florus & Seneca memorant. Is enim ventris culinæque ſcientiam profeſſus, diſciplina ſua caſtum adhuc & temperatum ſæculum infecit: Omnium enim gentium ac nationum animalia ſuper mẽſam ſuam recogno

ſcere ſolebat: in Lybiamq́ue proficiſci nõ recuſauit, vbi domeſticis groſſiores ficus naſci acceperat: & ingentia Capitolij vectigalia ſingulis commeſſationibus liguriuit. Cumq́ue ſeſtertium millies in popinã effudiſſet, nec aliud ex ampliſſimo patrimonio illi ſupereſſet, quam centies ſeſtertium, diram famem metuens, ſi luxuriari non liceret, ne extrema ſenectute fame periret, vitæ curſum ſumpto veneno præcidit. Octauij quoque profuſio notatur, ꝙ mullum inſolitæ magnitudinis Tyberio Cæſari donatum, & ab illo in Macellum miſſum, quinque ſeſtertiorum millibus emere non dubitauerit. Criſpinus ſex millibus alterum. Caligula ingentes Tyberij theſauros helluatus eſt. Vitellius patinam vnam ducentis ſeſtertijs fornace in campis exædificata, condidit, quo etiam nomine à Mutiano Conſule reprehenſus in Senatu fuit, tanquam in ſe ſcelus inexpiale commiſiſſet. Gallonius ſquillam & ancipenſerem toto emit patrimonio. Geta Imperator tribus continuis diebus mẽſæ aſſedit, & inſtructas ferculorum acies iuxta Alphabeti numerum in oculis ſuis repræſentari iuſſit. Fabij Gurgitis à deuorato patrimonio cognominati: & Metelli

celli Pij, volucrum, & ferarum incognita genera Transnaria, ex Mauritania petentis, nota est luxuria. Anarus Babyloniæ Rex, stola muliebri amictus, vino madens & vnguento, centum psaltris simul accumbentibus, cænitabat. Milo, vt ait Theodorus, 20. minas carnium, 20. panes, tres vini cados vna cæna helluatus est. De Phago scribit Vopiscus, quòd in mensa Veteliani Cæs. aprum syluestrem vorauit, centum panes, veruecem vnum, & porcellum; & ingentibus præterea vrceis tantum vini hausit, quantum Cetus marinus vasto non hausisset corpore. Clodius Albinus vna cæna, centum pisces, decem pepones, 500. ficus, ostreas 300. lib. vuæ 20. 100. ficedulas deuorauit. Lucius Piso toto biduo in præsentia Tyberij perpotauit. Xenocrates grande præmium à Dionysio retulit, quòd ingentem vini cadum vno conuiuio hausisset: homines ad perdenda vina geniti, tanquam effundi illa non possint, nisi per humanum corpus. Sed in patria quoq; nostra inuenire est non paucos istis persimiles, ventris & abdominis seruos, gurgites atque helluones patrimoniorum, qui vitæ summam in luxu & popinis sitam putant: & ita quotidie helluantur, tanquam

cras essent ex istius corporis domicilio migraturi. Edunt,vt vomant, vomunt vt edant. Sic illis vita omnis inter somnum & epulas nō transit,sed elabitur. Possemus recensere nobilissimas Regni Poloniæ familias, quæ maximorum subierunt patrimoniorum naufragia, ob immoderatos cōuiuiorum sumptus, & diurnas nocturnasque perpotationes: sed nimis per se miserum ac molestum verbum est, habuisse. Quamobrem existimationi, & dolori, & pudori simul parcendum putamus.

Vulneris id genus est, quod cum sanabile non sit,
Non contrectari satius esse puto.

Sed mirum videri non debebit, homines voluptatibus deditos, ita facilè & vita & patrimonijs destitui, cum innumeros vbique videamus gulæ luxuriæque apparitores,& Satellites, sensibus corporis sine sensu quodammodo necem & exitium inferētes. Numera si potes Aucupes, Aromatarios, Architriclinos, Coquos, Caupones, Cupedarios, Carnarios, Condos, Dipnologos, Fartores, Gastronomos, Lanios, Lanigenas, Molitores, Oenophilaces, Pistores, Piscatores, Promos, Suppromos, Propolas, Placentarios, prægustatores, propinarios, pincernas, pharmacopolas, pocil-

latores,

latores, prandipetas, parasitos, Salsamentarios, Stannarios, Seplasitas, Tabernarios, & istiusmodi alios. Mirari satis non poteris quãtum hominum numerum, vnus venter exerceat. In his ipsis quæ scribens ad te prospecto Venetorum Armamentarijs, in quibus tota penė ratio & facultas tantæ tuendæ Reipub. consistit, ministros omnes & opifices & tabernarios recenseri posse puto: gulæ verò nostræ ventrisque procuratores & obsoniorum architectos non puto. Sed arma quoque & tela istorum apparitorum videamus. Ferri certè vim & copiam maiorem, pluraque vnius popinæ instrumenta tam ferrea, quam lignea recensebis: quam ea quæ in vnius Reipub. præsidium & defensionem, tam multorum opificum industria & manibus comparantur, Ollas, Catinos, Cultros, Secures, Tripodes, Scimpodes, Orbes, Lances, Sedes, Crateres, Conchas, pallas, pelues, Mensas, Spatas, Hydrias, Cupas, Verucas, Lagenas Furcinulas, Situlas, Sportulas, Amulas, Arginothecas, Mactras, pisturas, Molituras, Discos, pistillos, Mortarios, Abacos, Boctros, Cophinos, Modiolos, Acceptarios, Modiolos erogatorios, Oenephoros, Calathos, Canistros, Batillos, Crates, Cados,

piſtrinos,Mappas,Mappulas,Nexuras,pli caturas, Curuaturas, Dolia, Epiſtomia, Circulos, Cupedia,Dentiſcalpia,Cymbia, Mantilia,Cribra,Frixoria, Triclinia, Litra, pocula, Criſtallina vaſoria, Amas, Amulas, *κλίνας*, *κλίνιδας*, *κλινίδια*, *τραπεζοφόρους*,Cymbum,Cymbium,Cōgiariũ,Arion, pelicæ, Olpæ,Sinteſis & Onix.

Sed vſum quoque tāti apparatus, amabo te cognoſce.

Dij,(ait Plautinus cocus)immortales,vt ego calles prætruncabo tergorio.

Quanta peſtis pernis veniet,quanta labes larido.
Quanta ſumini abſumedo,quanta callo calamitas.
Quanta lanijs laſſitudo,quanta porcinarijs.

Mille,ſi dijs placet, popinarij iſti milites, mortis genera,in vnius ventris gratiā miſeris offerunt animantibus;mille vulneribus conficiunt,ſaginant,vexant,agitant, decorticant,deplumant,dilaniāt,torquēt macerant, aſſant, frixant, mutant,ſingula ex ſingulis membris deligunt,ſarciunt,deſicant, igne, cælo, fumo, ſole, aere,vento, mille formas,mille figuras effingunt,mille colores, mille ſapores, mille offerunt odores.Quod ſi verò contingat, vt illorũ frontem,vultum,oculos, totius habitum, & ornatum corporis inſpicias:nauſeę profectò

mo-

molestiam suscipies, spurcos, impuros, lutulentos, obscęnos, turpes, fædos, sordidos, squalidos, pãnosos, vnctos, assos, ebrios, clamosos, miluinis manibus, aduncis vnguibus, plerosque etiam non fures, sed trifures. Molestias, damna, incommoda, prætereo, quæ suis heris, aut illorum ministris quotidie offerunt. Sic quendam olim Mabilium descripsisse legitur Politianus.

Ille, inquit, impudicus, temulentus, aleo,
Spurcus, lutosus, pedecosus, hispidus
Pannosus, vnctus, horridus, caprimulgus,
Edax, ineptus, insolens Mabilius.

Tales esse reliquos cocos existimabis. Vnum noueris, omnes noueris, siue Mistillus ille sit, cuius Martialis meminit: siue Tarathala: siue Suethus, quem Posidipus dilaudat, siue Labdacus, siue Sophon, siue Septem illos numeres, quos Euphrones vocat, artis culinariæ præcipuos sapientes, Aginum, Hereum, Chilum, Carcadem, Iãprium, Aphonetum & Cutinum. Tu dixeris, Gregorkum, Iankum, Opalkam, VViecham; omnes in vniuersum rei domesticæ pestem, perniciem, calamitatem, & exitiũ reputabis. Hac tamen vna re heris suis fortasse fæliciores, quòd illi popinę culinæque artificium, cæterasque voluptates ventris

& in-

& inguinis cauſa docent, iſti verò neceſſitatis gratia diſcunt & exercent: niſi fortè nobis illud de Coci & Iudicis præſtantia non inſulſum obijcias.

Iudicis atque coci aula eſt, ius, & vterq; miniſtrat.
Cuius at officium dignius eſſe putas?
Is dicit facit hic ius, ergo dignior hic eſt
Nam longè minus eſt, dicere, quam facere.

Sed menſarum quoque Carptores, Curatores, Sciſſores, Structores & Cheromontas & Archimagiros videamus. Alius pompalia fercula puerorum manibus allata, velut ſubſignis ſcitule ordinat. Alius erudita manu certis numeratiſq; ictibus obſonia lacerat. Alius alterius orbis dapes precioſas volanti cultello artificioſiſſime diſſecat. Darium diceres hydraule cantante pugnare. Alius vini crateriſque cuſtos, vt fæmina comptus, euulſis detonſiſque pilis, abeuntem pueritiam retrahens, dies & noctes peruigilat, vt omnia potus genera & cupas in aciem diſpoſitas ad ſtomachi nauſeantis ſolatium, niue & glacie diſtinguat: totamque ſuam operam inter ebrietatem & libidinem heri ſui diuidit. Alius cui conuiuarum cenſura permiſſa eſt, Nomenclatorem vocabant, oculis ſeſe Domini ſui ingerit,

rit, exſpectans ſi quos in craſtinum conuiuas, aut gulæ aut adulationis gratia reuocare iubeatur. Alius herilis palati naturam & conſuetudinem accuratius examinat, cuius potiſsimum ferculi ſuauitate capiatur, cuius aſpectu vel odore (non ſunt enim in tam vario menſæ apparatu, ore, dente, ventre contenti, oculis quoque guloſi ſunt) delectetur, cuius ſatietate nauſeet: cuius nouitate pridianæ crapulæ incommoda ſarcire, quid illo potiſſimum die vel eſurire, vel ſitire queat. Alius orbẽ vniuerſum oberrat: alius remotiſsima peragratur maria, alius Pontum, alius mare Balticum, alius Iſtrum, alius Tibiſcũ, alius Padum, & Ticinum, Rodanum alius, & Tyram & Boriſthenem, retibus & laqueis obſtruit. Alius Alpes, Pyreneos, alius Sarmaticos, alius Euganeos, alius alius Semanã, alius Hercinam ſyluam, alius vaſtiſsimos Podoliæ Ruſſiæque campos Spiulis ſuis ſcrutatur, vt ambitioſis & peregrinis quadrupedibus, heri ſui menſam inſtruat. Ab vltimo quoque portatur Oceano, quod callofum & emortuum palatum irritet. Lupis & Vrſis voraciſsimis, vna ad cibum ſyluã ſufficit. Armentorum greges, exiguum quãdoque pratum paſcit. Solus homo & terra, & aere

& aere vasto pascitur & mari. Non Alpes, non montes, non syluæ, non lacus, non flumina, non intima terræ viscera, non immensi aeris vastitas tuta est ab istorum immoderata edacitate. Obuia quæque fastidio sunt. Ipsa raritas parandique difficultas in delitijs habetur, quæ si vel gratuita mensis inferrentur, repudianda venirent: toto empta patrimonio, quis vel in limen admittat? Cætera nolo persequi, quæ vino & epulis refertos, tanquam opimos boues consequuntur, sudantes, ructantes, vomentes, nauseantes, ipsas præuino vix sustinentes palpebras, quorum si quis ventres rescinderet, intolerandam intus intueniret sordium congeriem, cloacam sordissimam, fætidissimum bipedum & quadrupedum sepulchrum, vermes innatantes, euacuationes fætulantes, sursum atque deorsum. Vna eadem fæditas, ita sollicite conquisita, ita varie condita, ita magno empta, ita artificiose instructa fercula, cum in ventrem subierint occupabit. Quamobrem etiam D. Hieronymus, non esse curandum admonet, ex quam pretiosis cibus, vt ait, stercus conficias. Hunc ita inanium sumptuum, & impensarum, & contentionum exitum quicunque cum

ani-

animo suo reputabit, puto futurũ, vt se se ad studia temperantiæ & sobrietatis adiũgat. Id si fieret, Deus bone, quam pacatą, quamque tranquilla & secura in rebus hũmanis essent omnia: quã facile sensus oẽs corporis rectę parerent rationi, ratio Deo. Inde factum est, vt Romani leges statuerẽt sumptuarias, quas in recte constituta ciuitate, tanquam murum quendam arbitrati sunt, otij, publicæque propugnaculum tranquillitatis. Lex Fannia, quod nõ ignoras, sumptum in cibum supra centum asses prohibebat, Lex Orchia numerum conuiuarum præscribebat. Lycinia calendis tãtum & Nonis & Nundinis Romanis triginta diurnos asses permittebat: reliquo tempore carnis aridæ pondo tria, & salsamentorum pondo libra, & quod ex terra, vitæ, arboreque, nasceretur. Lex Dydia, tam cõuiuatori, quam conuiuæ transgressæ legis cibariæ pœnam infligebat. Cornelia prætium edulijs ponebat. Antia: ne Magistratus passim ad omnes, sed ad certas tantum personas, cænatum itaret, statuebat. Lex Iulia pro festis diebus ducentos. Calendis Idibus. Nonis, trecentos, nuptijs autem & Repotijs non nisi millies sestertios impendi iubebat. Nostri quoque Ecclesiastici,

Cano-

Canones quam nobis in victu cultuq; corporis in familia, in suppellectili, in dispensandis partiendisque reditibus rationem & moderationem præscribant, non te præterit. Interim tamen quod dolenter quidem, sed ad meam, ad tuam, ad eorum qui legerint cautionem dicendum est, ita viuimus, nos præsertim qui vocamur Ecclesiastici, quique signum præferre cæteris ad omnem temperãtiam deberemus, ita Christi pauperumque patrimonia ligurimus, quasi iam mortis nostræ dies præterierit: quasi tremendi tẽpus iudicij abierit, quasi ad nos inferni tormẽta nulla ex parte pertineant. Abacos habemus argenteas, & calices in altari æreos. Mensæ nostræ vina suauissima, & in sacrificio non nisi quod vetustate coacescit adhibemus: prandia phasianis auibus instruimus, pauperes sicci panis buccella vix dignamur. Nil in mẽsa de scripturis, nil de temperantia, nil de proximi salute conferimus, nugæ, risus, ioci, sæpe & verba impudica, & choreę, & meretricij mores, ciuilitas vocatur. Auratis laquearibus cæli nobis prospectum intercludimus, & egenos, in fimo, & stercore, luctu & squallore perire permittimus. Veste nos pretiosa, & in alienis prouincijs para-

ta tegimus, at Christus in paupere nudus & egenus oberrat. Mille seruorum greges prætereo. Equorum quadrigas, canum cateruas. Totus perhorresco, quoties illius diei & temporis venit in mentem, quo consiliorum & cogitationum omnium ratio seuerissima exigetur: & errores omnes acerbissimo cruciatu expiabuntur. Ita lõge ab officij nostri religione recessimus, ita vocationis nostræ sumus obliti, ita multas muneris partes in omni vitæ ratione p̃termi simus: mirari vt sæpe desinam, quod plerunque helluones, ganeones, popinæ magistri, ventri serui, gastronomi, Brzuchacze, kaczmarze, & id genus, audiamus. Sed aliud initio scribendi fuit propositũ, hoc intercessit. Morbos aspice, innumerabiles, ipsissima luxuriæ supplicia: Miraris podagras, chiragras, tot febrium pestiũque genera? Cocos numera. Multos morbos, multa fercula fecerunt, quæ cum ob varietatem & discrepantiã, tum ob nimietatem concoqui nequeant: putrescant certe necesse est, fiantque venena, quæ esse debebant nutrimenta. Inde fit, vt distracto ventre, referto stomacho, repletis omnibus neruis, minus esse possint vehementes animorum nostrorum impetus, minorq;

sit

ſit in nobis, quam in temperatis hominibus ingeniorum celeritas, atque ad inueſtigandum perſpicacia. Nec enim ita ſumus, vel ad excogitãdum acuti, vel ad explicandum vberes, vel ad memoriam diuturni, quam ſunt iſtius cœli populi, qui tẽperantiam ornatum vitæ putant, & omnes gulæ impetus ſeueriore quodam imperio moderantur. Nec fere quiſquam eſt, qui non habeat definitam quandam ad ſuum vſum, rei familiaris rationem, aut qui ſumptus annuos, non annuo cenſu prouentuq; metiatur.

Venit mihi in mentem collegæ mei viri noſtro ſæculo celeberrimi, notiſsimæque toto orbe Chriſtiano pietatis & doctrinæ, in me verò per quam ſuauiter effuſi doctoris Martini Nauarrę. Is annum agens ætatis ſuæ propè centeſimum (exceſiſſe Pater Franciſcus Toletus, Societatis I E S V vir doctiſſimus, affirmabat) non alio vnquam cibi genere famem ſedare ſolebat, quam valdè modica veruecinæ carnis portiuncula, & exiguo iuſculo, pane & ſale adhibitö: vino quoque vulgari & obuio, & modico ſitim extinguebat; Græca & importata familię apponebat: lectulo palea ſtratö, ſtraguli loco attrita penula vtebatur,

Am-

Ambrosius quoque vir nonagenarius, & meus in offitio S. Pænitentiariæ Apostolicę prosigillator, affirmare solebat, quòd in omni vita sua nullam vnquam voluptatem quæ palato perciperetur, cognouisset: nec vel vnũ assem gulæ causæ erogasset: quodcunque vitam sustentabat, id in delitijs habebat. In oppido quoque Ecclesiæ Varmieñ, Bispurch vocant, Sacerdotem vidimus 114. annorum aspero semper & horrido cibo victitantem, atro pane, & olusculo, cepis & allio contentum, & vini vsum extra sacrificium ignorantem.

Quod si pari nos quoque ratione; effrænatos gulæ impetus moderaremur, & aliqua cautione in vitæ rationibus vteremur (non enim potest nec etiam debet à septẽtrionalibus populis exigi exacta abstinentia, aut illa difficilis, & nimis accurata tẽperantiæ ratio.) & acumine ingenij occultissima quæque perspiceremus, & copijs ac opibus abundaremus: & quod Hosium meum Cardinalem Sanctissimum (nõ queo laudes Hosiani nominis proprias, isto quoque loco præterire) acerrimum Catholicę veritatis defensorem, sæpè dicere memini: nemo ferè esset, qui non annum vitæ centesimum attingeret.

Exiguos nobis terminos, ad vitæ conſeruationem natura circunſcripſit. Non eſurire, non ſitire, non algere. Nimis enim, & aſpere, & crudeliter nobiſcum egiſſet, niſi mortalium generi, ea præſidia obuia, paratuque facilia propoſuiſſet, ſine quibus vita teneri non poteſt. Rem videres omni moleſtia moleſtiorem, ſi Italiæ, aut Hiſpaniæ populi, ad arcendum frigus non niſi ex Moſcouia pelles peterent: ſi Luſitania non niſi ex Polonia panem haberet: Si Germania non niſi ex Vngaria boues in cibum quæreret. Si Polonia noſtra, non niſi in Candia, vel in Pannonia ſitim extingueret: ſi veſtem, non niſi in intima Italia inueniret, ſi toto Septentrioni, ſine gemmis & margaritis orientalibus, ſine Indicis & Calecutanis aromatibus & condimentis vitam tueri non liceret. Nunc autem ita res comparatas videmus, vt patria cuique ſua, & agri domeſtici, ſyluę, lacus, nemora, flumina, facilè ſuppeditent omnium rerũ quas natura deſiderat abundantiam. Sic maiores noſtri ordinis præſertim Eccleſiaſtici alterius orbis cibos ignorabant, nec tegendo corpori ab vſq; vltima Thilæ veſtẽ petebant, aut vltra maria vitæ illecebras ſcrutabantur. Tribus

illi

illi in rustico prædio natis ferculis famẽ sedare sciebant, tempore consequente paulò pluribus, senis ferculis cænam instruere, luxuria erat. Ventris stabilimenta panem, vt, ait Plautus, & assam bubalam putabant. Vini quotidianum vsum, libidinis fomitem ducebant, nec adhibere fere sciebant, nisi vel tuendæ, sicut Paulus præcipit vel recuperandæ valetudinis gratia. Sitim quotidianam, alij quidem præterlabentis aquæ potione, aut ex puteis iugibus hausta, alij frumentaria ceruisia extinguebãt. Meri verò sapores, colores, odores, internoscere, iunioribus quidem periculosum; Christi verò seruis Sacerdotibus, quandã adferre existimationis diminutionem existimabant. Sic enim interpretabãtur, quicunque in abundantia, & eximia vini suauitate, aut corporis integritatem conseruaret, aut mentis animique soliditatem tueretur, eum reputari posse, vt terrenũ quendam Deum. Vestem quoque domesticę animantes; partim corijs tectæ, partim villis vestitæ ministrabant. Rationes suas habebant sumptuarias, gulam patiebantur litigare cum arcula, & si lis erat dirimenda, pro gula rarissimè, sæpissimè sententiam ferebant pro arcula, non sordium & auari-

tiæ cauſa, quod vitio vertitur, ſed ſobrietatis & modeſtię gratia. Nam qui propter auaritiam, gulæ impetus reprimit, vt arcã argento farciat, non tẽperantiæ & ſobrietatis partes ſuſcipit, ſed effrænatæ cupiditatis aduocatum agit. In adminiſtranda re familiari æquè fugiendam incuriam ac curam nimiam ducebant. De pretio eſcarũ, de numero panum, de paſtu iumentorum quotidianas, & accuratas cum Miniſtris inire rationes, illiberale putabant. Penum excutere, ſcrutari horrea, ſciſcitari de ſingulis, ad quæque vel perdita, vel neglecta perturbari, torqueri ſuſpicionibus, abiecti animi argumentum ſtatuebant, Chriſtianum Chriſtiano ſua nõ credere, rem interpretabantur, in qua omnes erubeſcerent. Si annonæ prouentibus abundabant, annonæ charitatem appetere, idem putabant, ac ſi eſſent egenorum homicidæ. Annonas itaque ſuas, tùm vendebant, cum ſatis valebant, non cum per pauperem emi non poterant. Aedificandi cupiditatem, non luxu & ambitione, ſed neceſſitate metiebantur, ſcientes quòd fabricandi voluntas, fabricando non tollitur, quodque ſuperuacaneum ædificiorum deſiderium parere ſoleat patrimonij diſsipationem

tionem, aut certè celerem ædificij venditionem. Turres erectæ, & sublimia palatia, tecta, columnæ, sola marmorea, arcã è vestigio faciunt auro argentoque vacuam. Arca vacua facit hominem, sed nimis tardè prudentem atque circumspectum, Nisi quòd omnia vitæ consilia recensere, quæ maiores nostri optimi viri, & simplicis veritatis amici persecuti sunt, vt Rempub. suam ex parua magnã facerent, non est epistolæ præsentis officium. Quorum temperantiam atque moderationem, si in patriã nostram reuocatam, atque in auitas sedes repositam videremus, quis quæso te, locus esset, quæ sedes, quæ ora, quæ patria, in qua homini libero vitam iucundius ducere liceret? Pietatis studia reuiuiscunt. vitæ præsidia parata, fructus libertatis iucundissimus, Regis imperium moderatum, Magistratus auctoritas legum cancellis circum scripta. Amicorum inter amicos mira cõsensio. Coniurationis & veneni nomina, prodigij loco ducuntur. Dictorum & conuentorum fides maxima, promissique mira constantia. Inimicitiæ mortales, Simultates, & facillimè & humanissimè deponũtur. Bona fide redditur in gratiam. Minus vehemens alienæ rei appetitio. Pecuniȩ si-

tis moderata. Voluptates remissæ, cupiditates languidæ, minus incitatus ad omnē audaciam impetus. Verborum lenocinia minimè peruulgata. Vectigalium & portorij nomina Eques Polonus ignorat. Fiscus regius, nec longas aures, nec linceos oculos habet; nec est aduncis vnguibus. Hostis à patriæ visceribus procul. Miles in regno & acer, & expeditus, semper animos, etsi non semper euibratos gerēs gladios. Multitudo litium & varietas causarum ad explicandum facilis. Distrahendarum controuersiarum ratio expedita, scelerū animaduersio moderata, Iudicum integritas incorrupta, æqua rerū existimatio. Priuatorū facultates & copię eorū qui præsunt, aut irę, aut libidini, minus quā alibi obnoxię. Libertas in dicēda sentētia impunita.

Sed vt finem faciam atque eò redeam, vnde mihi hic totus ab illo initio tractus est sermo, quique me ad hæc quæ scripsi omnia nescio quomodo acuit, Ianicij nostri verbis (scis cuius Poetæ) summam tibi meæ in patriam explicabo pietatis.

Italiam miror, patriam veneror que colo que;
Afficit illius me stupor, huius amor.
Nulla sub immenso tellus est talis, vt illam
Fas mihi sit terræ præposuisse meæ.

Idque

Idque ita esse omni tibi asseueratione affirmo, quod mihi credas velim. Si credis, narro tibi Suchorzeui, nullam voluptatem fore talem, quam ego caperem, si nobis ab omni foro curiaque liberis in tali, quam diximus, patria viuere, si Cracouiæ, si Miechouiæ, si Andreouiæ garrire, si compitalicias illas ambulatiunculas conficere tecum in agro Nauaricień. anno & horno liceret. Nunquam crede mihi huius expleretur, cupiditatis sitis. Vale, & quod facis ama, nec amare desine.

Scripta epistola Suchorzeui, venit nobis in mentem quòd venter auribus caret. Itaque metuo ne laterem lauerim. Si opera perdita est, nos deinceps in Anacreontis gymnasium secedamus, Poetæ ab obliuione hominum, & tenebris vindicati occinentes.

Ἡ γῆ μέλαινα πίνει
Πίνει δὲ δένδρε' αὖ τιῶ.
Πίνει θάλασσα δ' αὔρας
Ὁ δ' ἥλιος θάλασσαν
Τὸν δ' ἥλιον σελιώη.
Τί μοι μάχεσαι ἕταιροι
Κ' αὐτῷ θέλοντι πινεῖν.

Fæcunda terra potat
Hanc arboresque potant

Et potat æquor auras
Phœbusque potat æquor
Ipsumque Luna Phœbum
Quid ergo vos sordales
Potare me vetatis?

Respondet alius.

Ὅταν πινῶ τὸν οἶνον.
Εὕδουσιν αἱ μεριμναὶ
Τί μοι πονῶν τί μοι γοῶν
Τί μοι μέλει μεριμνὸν
Θανεῖν με δεῖ κἂν μὴ θέλω
Τί δὲ τὸν βίον πλανῶμαι.
Πίωμεν οὖν τὸν οἶνον
Τὸν τοῦ καλοῦ Λυαίου.
Σὺν τῷ δὲ πινεῖν ἡμᾶς
Εὕδουσιν αἱ μέριμναι.

Mihi bibendo vinum
Aerumna dormit omnis
Ad me, quid attinet labor?
Quid cura, quidue luctus?
Mors me manet, nolim licet
Vitæ iuuat, quid error?
Ergo merum bibamus
Pulchrum merum Lyæi
Bibendo namque vinum
Aerumna dormit omnis.

Anteambulones Principis. togatullos illos, braccatosq; Iouis pullos. Plemecios,

Sczu-

Sczuckios. Skargas, Branicios, Minocios & his ſimiles Volupiæ amaſios, pleno modio verborum ex me ſalutabis. Equidem beatos ſtatuo tum quod

Ingenitæ ſtat nobilitatis in illis
Pulcher honos, & digna ſuis natalibus ora

tum quod Deorum vitam viuunt, immunes à rationibus, Sine auro nitent, ſine ſemente metunt, ſine labore ſeruiunt: De his fortè Antiphanes apud Eubolum.

Βὶος θεῶν γὰρ ἔϛιν ὅταν ἔχεις πόδεν
Τ᾽ ἀλλότρια δειπνεῖν μὴ προσέχων λογίσμασι.

Vita Deorum enim eſt quando potes alienis veſci immunis à rationibus. Sed garritum ſatis: quod vitium ſi amicus tollit ab amico, facit amicum commodionem ſi tollerat, ſe efficit meliorem: Quęſo te obuias mihi litteras tuas mitte, plenas omnium rerum & opinionum, & cautionum, ne qua parte impingam. Iterum Vale. Datum Venetijs Idibus Octob. 1588.

STA-

STANISLAO SVCHORZEVIO.

Epiſtola XXVIII.



VIM miſeriarum incredibilem, quas quæſo te, mi frater, dolentibus oculis aſpice: & omni tuo conſilio, auxilio, ſtudio, ope omnium rerum ſuccurre (eſt enim totum poſitum in te) aut certe effice, vt eo animo ſim, quo is debeat eſſe, quē Regni, patriæq; dignitas vehementer mouet. Res ſunt inextricabiles: ἄνω καὶ κάτω noſtra vertuntur omnia: nec quicquam adhuc accidit quod maioris conſilij eſſet. Rex meus mihi præcipit, vt ampliſſimæ Legationis munere apud Sixtum Pont. & Sanctam ſedem Apoſtolicam perfungar, & eum cultum & obedientiam omni adhibita ſolemnitate in hoc Eccleſiaſtici imperij domicilio Maieſtatis ſuæ nomine profitear, quē Chriſt. Orthodoxi Reges, & Principes Chriſto præſtare, & in auribus Rom. Pont. eius Vi-

carij profiteri cõſueuerunt. Habes ἰπόθεσιν & adiuncta mandatorum exempla. De reliqua noſtra cogitatione cognoſce, quæ eiuſmodi eſt, vt inficiari nõ queam, in hoc tam illuſtri Regis mei de me iuditio, valde acquieſcere. Sed cum ab omnibus vel naturæ, vel doctrinæ præſidijs, ad tantum munus cum laude ſuſtinendum ſimus imparati; magnam profecto gubernationem tui conſilij, tuæque authoritatis hæc mea tempora deſiderant. Licet enim meũ iam pridem fuerit, in Repub. atque in maximis rebus gerendis, & ſuſtinendis viuere, & nunc quoque omnia patriæ meæ præſtitiſſe apud ſanctam Sedem hanc, & reliquos Italiæ Principes videor, quæ præſtare debuitis, qui eſſet eo quo ego fum gradu, Regis Senatuſque iuditio collocatus; fidem, ſtudium, diligentiam, patriæq; dulciſſimæ Charitatem: hæc tamen omnia cum eiuſmodi ſint, quæ nemo eſt, qui ſuo Principi præſtare non debeat; in ea quæ mihi nouo conſilio decreta eſt legatione; illud præterea video; non mediocrem eſſe præſtãdam prudentiam; induſtriam certe in toto genere ſingularem; quod ego poſſim aſſequi, nec ne, tu velim cogites: in tanta præſertim animi, & ingenij tenuitate quam noſti.

Sum

Sum igitur mente & animo valdè perturbato. Huc accedit, quod in eo gerendo munere necesse est patriæ dignitatem, & decus, in istius præsertim Vrbis oculis, eo cultu, & splẽdore sustinere, sicut ipsius gloria, & tanti Regis maiestas & amplitudo postulat: nos verò immanibus iacturis, & sumptibus exhausti, mediocrem hunc vitę Statum vix tuemur. Plane itaque æstuo. Quamuis vt me tibi aperiam ego quidem adhuc laborabo munus vt effugiam. Scis quibus consilijs Magnum illum Regẽ Stephanum, cum idem mihi Niepolomicijs imperaret, de sententia deduxi. Stant illa omnia, & pondus, vt puto habebunt. Sed si qui imperant in sententia perstiterint: & nos adhoc saxũ voluẽdum damnauerint, quomodo queã sustinere, non habeo explicata consilia. Per tuos te amores rogo, per mihi perspectam in omni officij genere humanitatem tuam, confer te ad eam curam, vt de omni meo Statu cogites, neque longas à me præces expectes. Nam si in tanta re, tamque necessaria verbis mihi opus est, ad te excitandum, nulla spes est, facturum te, quod volo, & quod oportet: posteaquã verba non inuenio quibus meam tibi explicem sollicitudinem: Genus est rogandi,

di,

di, rogare non posse: Intuere meipsum, & omni qua potes his meis temporibus ratione succurre. Manum admoue; & quia valde sollicitum vides, minus aliquanto me rogare putabis, quam tanta res postulat. Perge igitur de me ipso, & de meo isto tempore vt omnia cogites: & hęc quæ dico, non tanquā ex ore sed ex immo missa pectore accipias. Equidem tali in re libenter me ad tuos pedes abijcio. Ac ne forte noua Regis mandata, quæ metuo, imparatū inueniāt, nescio quid his diebus meditatum sum, quod Regis, & Regni nomine in illo sacro consessu perorarem: idque ad te pulueris adhuc, & festinationis plenum sine mora mitto, vt & ipse pro illa qua abundas ingenij elegantia quæ videbuntur desquames, & Regiæ potentiæ ministris, quos nosti, corrigendum, & emēdādum exhibeas: ne quod verbum effluat, quod non habeat sapientem excusationē. Id igitur, si me amas omni tua cura & studio laborabis.

Res Gallicæ summis in angustijs versantur. Antea enim aris & focis imminebit hominum egentium, & perditorum spes: isto verò tempore non aliud profecto agitur, nisi vtrum sit Gallia nec ne, & vt Gal-

lia.

lia non Gallia; sed Galliæ tantum sit imago. Indigno scælere fortissimum Dux Guisius obtruncatus est. Pari crudelitate frater eius Cardinalis. Ea verò cæde patrata, istiusmodi deinceps consilia Rex aggressus esse dicitur, vt iam non videatur crudelissimũ eius facinus interfectio Guisij. Reliqua quæ consequentur cognosces. Regnum certe florentissimum in extremæ timorem ruinæ adductum est. Vale. Romæ 24. Decemb. 1588.

ORATIO.

STANISLAI RESCII

PRO PRAESTANDA SIXTO V. PONT. Sigismundi Tertij Poloniæ Regis nomine obedientia.

Scripta sed non recitata

SIGISMVNDVS.

DEI Gratia Rex Poloniæ potentissimus, Regnorum Suetiæ, Gothiæ, Vandaliæ, hæres & designatus successor. Magnus Dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masouiæ, Samagitiæ, Liuoniæ, Filãdiæ. Cum à teneris annis in paterno suo Suetiæ Regno, cum lacte quod aiunt pientissimę Reginæ matris suæ Catherinę ita esset institutus, vt fidem esse, nisi vnam non putaret; & quidquid extra vnam fidem esset, non fidem sed perfidiam censeret: fidei porrò veritatisque sedem

animi sui constantiam, & soliditatem non aperuit solum, sed etiam fore perpetuam promisit Maiorum suorum potentissimum Suetię Regum pietatem & religionem imitatus, qui vt Idolorum nefarios cultus extirparent, subiectos sibi populos, sub suaue Christi iugum subiungerent, sectas omnes Christianę pietati inimicas opprimerent: Christiani nominis fines proferrent, Apostolicæ sedis huius authoritatem sartam, atque inuiolatam præstarent: nullam difficultatem pertimescendam, nulla non adeunda pericula, nullas vitæ contentiones defugiendas existimauerunt. Argumẽto sunt augustissima tẽpla per omnia Suetiæ Regna, Regio sumptu & magnificentia olim exædificata. Septem erecti Episcopatus, amplissimi redditus attributi, Septuaginta Monasteria à fundamentis erecta, vitæ præsidijs, aureis atque argenteis vasis, vestibusque sacris, ad omnem ornatum & splendorem instructa. Mille præterea & quingenta templa (Parrochiales vocant) excitata & dotata, Scythas indomitas prætereo, à ceruicibus Christian: sæpè retractos. Taceos Scismate infames Moscos: eius quam sustines B. P. diuinæ tuæ potestatis & authoritatis hostes infessimos:

mos: bello & armis repreſſos, Taceo ſingularem in hanc ſanctam Sedem cultum, & obſeruantiam Chriſtierni, Daciæ, Suetiæ, Noruegiæ Regis ſingularem: & ab illo ſuſceptam ab vltimo Septẽtrione longiſſimi & moleſtiſſimi itineris peregrinationem: vt ad beata SS. Apoſtolorum limina, Chriſti Vicarij, anteceſſoris tui, Sixti IIII. pedes exoſcularetur. Non commemorabo Regni totius obedientiam incredibilem, illo præſertim tempore comprobatam, cũ Raymundus & Nicolaus Anglicus S. R. E. Cardinales, & Legati, deprauatos hominum mores, ad normam veræ pietatis, huius Sanctæ ſedis auctoritate reuocarent: deque compreſſa & edomita cupiditate, clariſsimam victoriam conſequerentur.

Hæc enim omnia, etſi ſumma ſint, & in arce, quod aiunt, totius laudis & commendationis poni poſſint, ego tamen imma terra relicta æternam in domum mente & animo euolabo, & ex ipſis beatorum ſedibus diuina petam, ad iſtius familiæ commendationem teſtimonia, quæ diuinis tuis auribus puto fore gratiſſima.

S. Ericus Suetiæ Rex in maximis Regni ſui copijs & opibus, eam vitæ rationem inierat, vt quamuis corpore in terris ver-

ſaretur,

ſaretur, animo tamen in cœlo conſiſtret. Fuit enim admirabili quadam & excellen ti morum ſancti tate, incredibili vitæ duri tia, multis laboribus atque vigilijs, multis pręcibus & lachrimis, flagrantiſſima rerũ cæleſtium cupiditate, & tam ardenti Chri ſtianæ charitatis, beneque faciendi ſtudio inflammatus: vt cum in egenos & paupe-res Regni ſui opes erogaſſet, legibus ſalu-taribus deſcripſiſſet, multas ad honorem Dei Eccleſias Regio cultu ſplendoreq; ſu-ſcitaſſet, cenſus attribuiſſet, omni ſupelle-ctili inſtruxiſſet. (Summatim omnia pro-ſequor P. B.) ea ad extremum conſilia ag-greſſus eſt, quæ nec aggredi poſſunt, nec audere conſueuerunt niſi Reges. Vaſtiſſi-mos enim magnæ Finlandiæ populos ar-mis in ſuam poteſtatem, magno cum vitæ diſcrimine ſubactos, à nefando rerum ina-niſſimorũ cultu & veneratione abripuit, & ſub ſuaue Chriſti iugum, atq; ſub iſtius ſanctæ Sedis poteſtatem, & auctoritatem ſubiunxit: ad extremum etiam à teterri-mis pietatis, iuſtitiæque hoſtibus, ex inſi-dijs oppreſſus, & ſpiculis confoſſus, non ſolùm inſignem illam Martirii coronam, ſed eos etiam honores aſſecutus eſt, quos Eccleſia Dei hominibus in diuos relatis

decernere habereque consueuit.

Sancta verò Brigitta, Brigidis & Sifridis filia, Vlfonis Noriæ Principis cōiunx, è cuius Regia stirpe Sigismundo Regi nostro paternum genus ducitur, quis est in Ecclesiasticis annalibus adeo infans, & peregrinus, vt ignoret ardentissimum in illa virtutis, pietatis, Charitatis, abstinentiæ studium viguisse? Cum enim in Deo totam mentis aciem defixisset, ieiunio, cilicio, nuditate, peruigilio, omni asperitate vitæ errores compressisset, lachrymis, suspirijs, assiduis precibus, in possessionem diuini amoris inuasisset, opes Regias in agentium inopia subleuanda cōsumpsisset, cæterisq; sanctis actionibus, viā sibi in domū æternā muniuisset, Suetiæque suæ populis, vt per eadē vestigia graderentur, omnibus exemplis præluxisset: partem quandam pietatis, & sanctitatis existimans, in his locis vestigia posuisse, vbi steterunt pedes Domini Romam primum, inde Hierosolymam petijt, cæteraque loca sacra, sacris scripturis commendata peragrauit: inde verò in hanc ipsam Vrbem reuersa, ad Beata SS. Apostolorum limina, Martyrumque memorias, & quidquid præterea memoriam diuinæ benignitatis renouare poterat, humiliter

militer & demiſſe proſtrata, tantam in viſceribus diuini amoris, magnitudinẽ concepit, vt exiſtimatum ſit, Dominum cum illa conſilia ſua communicauiſſe: mentemque illi ſuam aperuiſſe, & prophetico præterea donaſſe ſpiritu: ex quo conſequens eſt, vt credamus non vulgari virtute, neq; mediocri dignitate, ſed præſtanti, & eximia, multiſque modis admirãda extitiſſe, cum qua cœli, terræque Dominus ſermones habuiſſe exiſtimatus ſit, quod in Augustiſſima Sancti Pauli Baſilica, via Oſtienſi accidiſſe memoratur.

Filiam præterea habuit caſtiſſimam, & ſanctiſſimam Virginem Catherinam, per omnia matris ſuæ veſtigia ad eaſdem laudes gradientem.

Dicerem de materna quoque maieſtatis ſuæ ſtirpe, pace & armis celeberrima Iagellonum familia, quæ Regni Poloniæ, & Magni Ducatus Lituaniæ gubernacula p 200. fere continuos annos, iuſte, fortiter, ſapienter, & moderate adminiſtrauit: ſed hæc ante me ſæpe dicta ſunt, in hoc ipſo loco, & verbis, & ſententijs quibus vti ſolemus, cum quid diligentiſſime agimus. Illud attingam quod ea familia fidem Chriſtianam in Lituaniam, longe lateque patẽ-

tem intulit, Regnum vniuerſum in cultu, & obſeruantia S. Sedis Apoſtolicæ retinuit, Sciſmaticos in ouile tuum B. P. irruẽtes, bello, & armis repreſſit: atque huius S. Sedis auctoritatem, & præſidium humiliter implorare coegit: quod & Leonis Pont. temporibus factum audiuimus: & oculis ipſe tuis P. B. ante paucos annos idipſum vſurpaſti, cum ad beatos Gregorij Pont. pedes, venerabundi proſternerẽtur.

Scytarum belluinam feritatem, qui ſoli propemodum contra Rom. Imperij potentiam, ea ſuſcipere conſilia auſi ſunt, quæ reliquarum nationum fugiſſet, atq; reformidaſſet audacia, non ſolum repreſſit, ſed etiam ſæpiſſime fregit. Valachos, & Moldauos, in fidem, & clientellam Reg. Polo. ſolemni iureiurando interpoſito, venire compulit. Inſignem illam de ſeptuaginta hoſtium millibus victoriam apud Grunevaldum reportauit. Liuoniam Regno adiunxit. Turcarum autem infeſta Orbi Chriſtiano arma, quis eſt, qui reformidanda non putet? Eorum tamen vim immanem, crudeleſque conatus. Iagellonum Regum virtute, & potentia fractos, cum in Ruſſia, tum in Valachia accepimus: ita vt Mahometes Turcarum tyranus à Caſimi-

ro Quarto; & Baiazetes à Ioanne Alberto Polo. Regibus pacem redimere amplissimis oblatis muneribus cogerentur: nec vllam deinceps vim machinari in patriæ perniciem attentarent.

Illud verò in qua laudis, & prędicationis parte ponemus? Quod Sigismundus Primus, Regnum Bohemię in fidem, & protectionem suam recipere propterea noluit, quod religionem putaret, hæreticis imperere.

Beatum quoque Casimirum castissimũ, & pudicissimum adolescentem; hęc ipsa Iagello:familia nobis edidit, miraculis ad hęc vsque tempora in Ciuitate Vilneñ. clarissimum: eius, cuius ad te nomine verba nunc facimus, Sigismundi III. Regis auui materni fratrem germanum: qui & ipse rationes omnes pronepotis sui, diuinę bonitati cõmendare non desinet, vt vtriusque Regni populi Maiestatis suę opera, studio: labore, contentione, mente, & corpore esse possint quam beatissimi.

Auiam habuit Bonam Sfortiam, summi consilij, & industriæ Reginam. Ioannis Galeatij Sfortiæ Mediolaneñ. Ducis, & Isabellæ Aragoniæ, quæ neptis fuit Alfonsi II. Neapol. Regis filiam, ex cuius stirpe, & ge-

nere, in hoc quoque tuo dignitatis, maiestatisque plenissimo Senatu, Viros Illustrissimos video Sfortiæ, & Arago. familiæ maiestatem, & ipso nomine, & omni reliqua ratione repræsentantes.

Matris quoque Reginæ Catherinæ constantiam, animique fortitudinem attingã quæ fidem matrimonij Ioanni Regi Suecię Serenissimo marito suo datam in perferẽda, multarum arumnarum societate forti, & excelso animo comprobauit: nec ita libertatem, vitæque iucunditates charas habuit, vt à latere afflictiss: coniugis, cum id illi liceret, miserrimo illius tempore, auelli se pateretur: & in quotidiana præterea, Christi perduellium hæreticorum consuetudine, mentis suæ firmitatem, & soliditatem Ecclesiæ Dei præstitit: ijsdemque artibus, & disciplinis filij sui charissimi Sigismundi Regis pectus, ad omnes sustinendos, fruentium hæreticorum impetus omni adhibita diligentia, & instruxit & armauit, vt Annam alteram Diuini Samuelis, & alteram Blancham Sanctissimi viri Clodoueij Galliæ Regis matrem diceres.

Annam Reginam pientiss: Regum Polo: neptem, proneptem, abneptem, filiam, sororem, Magni Stephani Regis coniugem

&

& Sigiſmundi Regis materteram chariſsima non præteribo,omnia vitæ ſuæ tempora,inter orationes, & elemoſinas:cęteraq; Chriſt. pietatis opera diſtribuentem , nec quidquam eorum prætermittentem , & apud Deum , & apud homines , vt Rege Sigiſmun. ſororis ſuæ filio ſaluo , ſalua , & integra ſint,tum in religionem,tum in Repub. omnia.

His itaque Regibus , imò his Martyribus & Confeſſoribus: imò his Apoſtolis & Virginibus , in hanc lucem editus Rex Sigiſmundus,narro vobis ò Sacræ Columnæ, plus ab illis pietatis quàm ſanguinis accepit. Scriptæ ſunt in cœlis Angelorum manibus perſecutiones omnes, quas ab illis, quos prætereo quotidie ſuſtinuit:cum ad cænas , & conciones Chriſti perduelliũ Hæreticorum accedere detractaret. Scripta ſunt illa quoque Diuini adoleſcentis Diuina planè reſponſa, quæ Regni Suetiæ proceribus Regni amiſſionem denuntiantibus , ſi tibi Chriſti Vicario præſtare ſe pergeret obſequẽtem,digno ſe, digno maioribus ſuis,animo,reddidit.Satius eſſe terrena quàm cœleſtia regna deperdere . Fidem ſe Deo , & Eccleſiæ etiam ſi mundus rueret præſtaturum. O germanam marty-

rum

rum sobolem, ò inter Confessores numerandum Principem, Passus est quicquid pati voluit. Amisit quicquid amittere decreuit. Ille ob amorem Ecclesiæ paratus erat Regnum perdere Suetiæ, & iam sub oculis Dei perdiderat, quia perdere decreuerat. Ecce bonus Dominus, qui sua relinquentibus centuplum in Euangelio promiserat, & Regnum illi Suetiæ conseruauit, & vt in Regem Poloniæ eligeretur, Electorum animis inspirauit: ad cuius capessenda gubernacula, quemadmodum vocatus fuerit, quemadmodum, & peruenerit, consequens est vt dicamus: simul & illud ostẽdamus, veterem illam, & eximiam Romanarum legionum in decernendis Romanorum Imperatoribus libertatem, & auctoritatem, in sola Polonorum Repub. & in Regni Legionibus resedisse. Tu P. B. Vosque Sacri Principes quod hucusque fecistis, animis adeste. Facit enim iste vester in me animorum oculorumque contuitus, vt mihi licere putem, orationis huius vela in ea explicanda ratione pandere, qua Reges Polo. eligi, atque designari consueuerunt.

Rege Stephano, ad Beatorum sedes, ex istius corpores domicilio æternam in domum

mum euocato. At quo Rege? Quem tu sæpè B. P. diuino tuo iuditio, natum Ecclesię, natum Reipub. Christianę prędicabas, armis acrem, litteris instructum, consilio promptum, manu fortem, in omni reliqua vitę ratione moderatum, bonis omnibus charissimum: Archiepiscopus Gnesnensis (is nunc est Stanislaus Karnkouius, iuuandę Ecclesię Dei cupidissimus antistes, & opertus, vt Scriptura loquitur, quasi pallio zeli) Legatus natus, Regni Polonię Primas, & Primus Princeps, quem maiores nostri, optimi, & sapientissimi viri, ob istius S. Sedis, à quo dignitatem accepit, reuerentiam, & maiestatem, Principem in sua Repub. dignitatis, & authoritatis gradum tenere propterea voluerunt, vt Respublica in omni rerum & temporum varietate, summa cum authoritate defensorem, & quasi quēdam Orthodoxæ fidei, rerumq; communium custodem haberet: cuius tutella, & pręsidio conseruarentur ea omnia, quę diuinis, humanisque legibus, quę moribus, quę maiorum institutis, & decretis continentur, ne cuiusquam effusę in omni intemperantia libidines, sese vnquam vel in religionem, vel in libertatem communem incitarent. Is itaque Archiepisco-

pus

pus,datis ad fingulas Regni Prouintias litteris,facit omnes de tranfitu Regis fui certiores: Epifcopos, & reliquos Ordinis Ecclefiaftici Principes, ad vota fufcipienda, piafque preces pro Regni ftatu fundendas adhortatur. Palatinos verò,ij funt Prouintiarum prefides, vt Satrapię quifque fuę nobilitatem conuocet, confiliaque ineat: tùm de pace domeftica conferuanda, tum de tuendis charifs.patrię finibus. Nuntios preterea quafi quofdam Tribunos plebis, è medio frattum cętu eligant,atque ad futuram omnium Regni Ordinum. Conuocationem cum mandatis, & tranfigendi authoritate mittant; interim omnes in vniuerfum,& armis,& animis inftructi,pro falute patrię excubias agant.

Regni deinde Senatores,& Confiliarios viciniores,quã cellerimè poteft conuocat; & ex illorum fententia tempus & locum afsignat; in quo omnium Regni Ordinum Conuentus generalis, Conuocationem vocant, habeatur, Abfentes & impeditos litteris appellat.

Ad diem Conuocationi dictam,Senatus frequens conuenit.In eo principem locum obtinent,& vtrumque Regij Solij latus occupant 2. Archiepifcopi 14.Epifcopi Hos

30. Palatini consequuntur, quos Prouinciarum pręsides diximus: & 70. Castellani, qui sunt arcium & Ciuitatum gubernatores; & designati pręterea ab ęquestri ordine, in singulis Prouincijs Nuntij. Tum in commune de pace & bello, deque rebus communibus consulitur; Si quę sunt Ciuiū, inter Ciues odia, vel Repub. donantur. vel Senatus authoritate sopiūtur, Regni fines armantur; ac dies ad extremum, & locus assignatur, ad obeunda Generalia totius Regni Comitia, in quibus noui Regis electio celebretur.

Cum dies Comitiorum aduenit, tentoria finguntur, Senatorum subsellia, non in auro nitēte Regia, crustatis distincta marmoribus, sed militarem in modum, in campis longe lateque patentibus, sole isto. Vistulaque inspectante, eriguntur: singulis Regni Prouintijs, singulę stationes assignātur, castra, & acies, & currus, & tormenta, tanquam ad dimicationem instruuntur, tubarum cangore, tympanorum sonitu, tormentorum strepitu, equorum hinnitu, armorum fulgore, & terrore omnia miscentur; vt acres, Martijque milites, inter equitum peditumque copias, inter hastas, & Vmbones, inter Clypeos, & galeas. In

illo

illo, inquam, ſtrepitu, fremituque armorum Regem ſibi Martium quęrendum, eligendumque putarent. Inuocato deinde S. Spiritus auxilio, votis ad omnes diuorum aras nuncupatis, & ſolemnibus factis ſacrificijs, tua primùm B. P. mandata Legato referente audiuntur: Inde reliquorũ externorum Principum Oratores quicũq; ſunt admittuntur, Si quos Candidatos offerunt, ſingulorum ſingulę conditiones omni adhibita cautione perpenduntur; Quæ quiſque ſecum inferre in Regnum poſsit commoda, quę offerre incommoda, omnium ponderum, & rationum examine trutinantur: & cum omnes omnia, & animis prouiſa & conſilijs indagata habuerint, primo loco ſententiam de Rege ſuam explicant Archiepiſcopi, & Epiſcopi; inde Palatini & Caſtellani, inde Regni Cancellarij, & Marſalci, inde Equeſtris ordinis ex omnibus Prouintijs delecti. Tribuni, idque faciunt non obſcure, non diſsimulanter, non inſidiosè, non tectis, & abditis verbis, ad eorum quos reprobant odium, & inuidiam declinandam: ſed quod eximię libertatis, & hominum mente, & animo ſolutorum, nec cuiuſquam, niſi eius quẽ ęligunt, dominationi parentium, proprium

prium ac peculiare eſt, ſic viuere: ſic ſentire, ſicque loqui vt velis, apertiſsimè, & planiſsimè, quidquid de quoque Candidato ſentiunt, in omnium aſtantium auribus & oculis profitentur; ac ita is demùm, Rex Poloniȩ & Magnus Dux Lithuaniȩ pronuntiatur, in quem aut omnes ſimul, excepto nemine, conſentiunt; quod in electione Chriſtianiſs. Regis Henrici apud Varſauiam factum eſt: vbi ſupra centum nobiliſſimum equitum millia cenſebãtur: aut maior, & armis animiſque ardentior pars, quod in Stephano deſignando apud Andreiouiam noſtram accidiſſe vidimus: aut valde paucis exceptis, quod hoc tempore in Sigiſmundi Regis electione apud Varſauiam contingit.

Electum Legatus viciſsim tuus B.P. Regnique Primas (videte iterum Illuſtriſſimi Principes quam magnum honorẽ huic S.Sedi patria noſtra habeat) ſacro pallio, lucentique tyara amictus, erecto in omnium oculis Chriſti crucifixi ſimulachro, è loco eminentiori, inuocato Sanctiſſimȩ Trinitatis auguſtiſſimo nomine, cõceptis, & ſolemnibus verbis, Regem Poloniȩ & Mag. Ducem Lithuaniȩ pronuntiat. Eius verò ſermonem Regni Marſchalcus (is eſt

An-

Andreas Opaleriski, excelsi animi, & expediti consilij Senator) patrio sermone subsequitur, vniuersis Regni ordinibus Regis electi nomen denuncians. Acclamatur ab omnibus. Amen. Signa dantur leticiæ. Itur ad Ecclesiam Archiepiscopo prȩeunte, aguntur Deo gratiȩ. Conditiones scribuntur. Oratores ad euocandum, deducendumq; Regem electum designantur.

Huius electionis, ad eam quàm breuissimè perstrinxi rationem, cum primos in Suetia Nuntios Princeps Sigismundus accepisset, nulla effusi, intemperantisq; gaudij signa dedit: nulla consilia, quȩ sola iuuentute geruntur, & viribus aggressus est: sed omnem animi sui vim, ad explorādam eius voluntatem conuertit, cuius sempiterno numine, Regna omnia de gente in gentem transferuntur: Hanc autem vt certius, atque liquidius cognosceret, ante omnia oratione, ieiunio, eleȩmosina, vitȩ errores expiandos putauit, ciboque cȩlesti, contra omnes inconsideratos impetus sese communiuit: & Serenissimi prȩterea Regis & parētis sui, de recipiendo Regno voluntatem expectandam putauit.

Postquàm autem Regis Suetiȩ parentis charissimi consensus, & approbatio accessit,

cessit, ea demum esse certissima diuinę vocationis argumenta statuens, voluntatem ipse quoque suam, ad capessenda Regni Polonię gubernacula adiunxit: ciboque vicissim cœlesti sese familiamque suam, muniens. Regio adhibito comitatu, instructa, & ornata 50. Nauium classe, non totis 24. horis, sinum Balticum, fœlicissima vsus nauigatione transmisit: & in amplissimo, atque opulentissimo Regni Polonię, Emporio Ciuitate Gedanensi, prima vestigia posuit. In Regiam deinde Ciuitatem Cracouieñ. à frequentissima totius Regni Nobilitate, & à 25. armatorum equitum millibus, introductus est, vbi ad venerandum altare S. Martyris, & Episcopi Stanislai prostratus, ex eiusdem Archiepiscopi, & Legati sui manibus, omnium Regni Ordinum, consensu, & approbatione accedente: Regni Poloniæ coronam, cæteraq; dignitatis, & potestatis insignia accepit, & accepta regendi, moderandique potestate, vti cæpit. Misso enim Ioanne Zamoscio Regni sui Cancellario, & suppremo exercituum Duce, viro litteris, armis, omni consilio instructissimo, & singulari quodam animi moderatione, rebellium quorundam conatus fregit, æmulorum, & in-

uidiorum consilia repræssit, quidquid obsistebat, vel deleuit, vel in suam potestatem redegit.

Et quia Christo soli, quem in omni vita, & libere, & libēter confiteri didicerat, cū ipsam Regiæ dignitatis accessionem, tum reliquos omnes tam belli, quam pacis progressus & successus, acceptos ferebat, nullam moram interponendam putauit, quin apud te Christi Vicarium grati animi significationem, verbis quoque testaretur, animumque in te suum plenissimum pietatis, & obseruantiæ declararet. Me igitur misit, se Regnaque sua sub tutellam, & patrocinium tuum subiunxit, Apostolicam tuam benedictionem impertiri petiuit, in tuaque se potestate, fore perpetuo promisit, sciens ea demum Regna, & Imperia esse fœlicissima consueuisse, quæ tu paterna tua cura, & solicitudine digna putas: & ei cuius Vicarium agis quottidianis tuis orationibus, & sacrificijs, & libenter, & studiose commendas.

In quo obeundo offitio, & si conscientiæ suæ satisfecisse videretur: pietati tamen, & obseruantiæ suæ, satis esse factum non putauit, nisi idipsum, in hac quasi quadam area, & statione religionis præsidum

in

In hoc inquam pleno maiestatis, & dignitatis consesu, quasi in omnium gentium ac nationum auribus, maiorum more profiteretur.

Quamobrem iterum atque iterum, vim omnem desiderij sui per me P.B. tibi isto quoque omnium augustissimo loco declarat, & aperit. Te verum IESV Christi Vicarium, verum Petri successorem non dubitanter agnoscit, tibi & huic S.Sedi, verè & ex animo, quam debet obedientiã præstat, ac defert: nomenque suum inter eos Reges, & Principes, abs te referri postulat, qui sunt, qui vnquam fuerunt, quique futuri sunt Orthodoxæ fidei acerrimi defensores, & propugnatores.

Tu vicissim facies, senex Sanctiss. vt supplici filio Apostolicam tuam benedictionem impartias, atque à diuina bonitate impetres, vt animum illius inuicto robore confirmet: ne vnquam mentis suæ studio cœlestia moliri in Regnis suis desinat, neue labatur & erret, aut difficultatem amplissimi gerendi muneris extimescat: tum cæteris quoque præsidijs beneuolentissimo patre dignissimis subleuare non desines: vt totius Regni, religionisque status esse per tuam curam possit quam beatissimus,

mus, vt ſicut vnius in Regno Regis dignitatem agnoſcunt, ita vnius in Eccleſia Dei paſtoris vocem, & auctoritatem agnoſcãt, & in illius gubernatione ſalutis ſummam ſitam putent.

Septingenti fere anni abierunt, ex quo ſeſe Regnum Poloniæ ad Orthodoxæ fidei ſocietatem adiunxit, nec vllo vnquã ſchiſmate, aut ſeceſſione conſtantiæ ſuæ curſum, interrupit. Non Berengarij, Non Bogomilij, non Petrobruſiani, non Albingeñ. non Valdeñ. non Huſtiæ, non aliæ his ſimiles Religionum omnium, Regumque, Legumque peſtes, ſoliditatem eius labefactare potuerunt: vſque ad hæc infœlicia noſtra tempora, quibus illi (ò præſentis ſæculi infamiam) nimis vicina Saxonia peſtem Lutheranam afflauit. Facilius medicinam accipiunt mala recentia. Annis & vetuſtate corroborata, vſtione, ſectione, omni contentione vix ſanantur.

Rex optimus, & eſt, & in offitio ſe futurum pollicetur: omniaque pro religione ſumma, tum in Polonia, tũ in Suetia quotidie meditatur, Regni Senatus ſapientiſſimis conſilijs abundat, Epiſcopi & authoritate, & omni virtutis genere, excellunt; Ordo Equeſtris ad omnia mo-

deratis

deratis consilijs flectitur.

Reliquæ etiam Regni rationes non magno adhuc interuallo, à maiorum temporibus & moribus recesserunt, Vitæ præsidia parata, Libertatis possessio dulcissima, Regis Imperium moderatum, Magistratus auctoritas circumscripta. Legum seueritas temperata, Iudicum integritas incorrupta. Distrahendarum controuersiarum ratio expedita. Libertas in dicendis sententijs impunita: Scælerum animaduersio moderata. Verborum lenocinia suspecta, Ambitionis studia languida, Pecuniæ sitis moderata, Pactorum & conuentorum fides maxima, Amicorum inter amicos consensio fidissima, Ciuium inter ciues, odia nunquam sempiterna, Minus prompta in adulationes ingenia: Simultates remissæ. Voluptates languidæ. Bona fide redditur in gratiam. Ars non arte, sed simplicitate vincitur, coniurationis, proditionis, veneni, nomina prodigij loco ducuntur. Tributi, Fisci, Portorij, Vectigaliũ vocabula, eques adhuc Polonus ignorat. Priuatorum facultates, & copiæ, libidini Principum minus obnoxiæ. Populi in vniuersum natura fortes, armis nati, & simplicis veritatis amici: qui filios etiam suos vt gloriam malint

quam vitam nec aliud præterea docere cō-
ſueuerunt, quod diſcendum eſſet iacenti-
bus. In omnes porro, Chriſti crucis inimi-
cos armatis, & ardentibus animis ita in-
citati, vt cum de reliquis rebus acerbo
odio, ſæpe dimicent, in hac vna ſola re,
ſumma ſecum animorum conſenſione con-
ſpirent: nec vllam aliam magis piam, ma-
giſque deuotam ferri licentiam arbitran-
tur, quam latus Paganorum fodere.

Ducenta ex omni Regno nobiliſſimorū
equitum millia caſtris, armis, equis, ani-
mis, ad Regni Religioniſque defenſionem
inſtructa, cum opus eſt in acie recenſen-
tur, Sueta bello pectora, ſcientiæ Mauor-
tiæ expertiſſima, aſpra magiſtra vulne-
rum, tota in cruorem prona, ſolam ſua
nobilitate dignam arbitrantia caſtris, &
armis partam paratamque gloriam.

Age igitur B. Pater, ita te Deus ille, cu-
ius perſonam in terris ſuſtines quam diu-
tiſſime, & quam fœliciſſimæ Eccleſiæ præ-
eſſe ſuæ velit, conſilia expedi, manum ad-
moue, nullam medicinæ facultatem præ-
termitte, vt iſto quem diximus, non omni-
no deplorato rerum & rationum ſtatu, ea
omnia tela retuſa, compreſſaque conſilia
videamus, quæ ad eum euertendum, hoſtis
huma-

humani generis direxit. Fiat te Pont. qđ aliquando fieri necesse est. Addatur hoc decus Polo. annalibus,vt in eis olim legatur,pestiletissimas hæreses,& quicquid est de religionis sanctitate detractum, & gliscentes Ciuium inter Ciues dissensiones Sixti V. Pont. authoritate disiectas, dissipatas, extinctas, exterminatas extitisse. Signetur hoc præcipuo titulo tui Pont. memoria,vt si quis olim hæresis euersorē, pacis & ocij, & tranquillitatis auctorem in patria nostra nominet Sixtum V. Pont. intelligat.

Benefitium hoc non solis Polo: tribues P. B. sed illius magnitudo, ad totius Occidentis salutem, & tranquillitatem redundabit, cum hoc Regnum Septemtrionis ocellum, tantarumque gentium,& populorum propugnaculum; ad agendas pro reliquo Orbe Christiano excubias,diuino consilio constitutum, & ad sustinendos ferocissimarum nationum impetus oppositum Turcas truces dico,Scythas immanes, & infames Schismate Moschos, Christianę fidei sempiternum exitium quotidie meditantes, Apostolica tua auctoritate, potestate consilio pręsidio,ope omnium rerum iuuandum, fouendum, augendum,ornan-

dumque susceperis.

Hoc à te Rex Sigismundus. Hoc Anna Regina pientissima, hoc Regni Ordines omnes, hoc innumerari Suetiæ. Gotthiæ, Vandaliæ populi, hoc totus cum septemtrione Occidens, à tua benignitate, & clementia, & sperant, & expectant, votaque pro tua salute quotidiana suscipient, vt tibi det Dominus vitam; quam mereres, & conseruet animum quem dedit. Dixi.

STANISLAO SVCHORZEVIO.

Epistola. XXIX.



TV verò mihi non tuæ solum Vrbanitatis & elegantiæ, sed illius etiam oblitus esse videris. quod Silentio Amyclæ perierunt: ita mihi Cyclopicam & doliarem induisse vitam videris, post tuum ex comitijs reditum: vt Ranam Seriphiam dicerem, ni mortuos boues, qui viuos incursant homines pertimescerem. Amabo te, amoris illa vincula quæ nos inter nos obstrinxerunt, nodum

dum Herculeanum puta; aut ſi fortè eandem tædet tundere incudem, ſaltem humanitatis officium eſſe cogita ἀντιπελαργεῖν: id enim quoque licebit tibi ita præſtare, vt canis è Nilo. Si verò videtur hoc tempore in nos illud Polycratis quadrare. Fuere quondam ſtrenui Mileſij, tum & illud. Dionyſius Corynthi. Id quidem ita eſſe nos ipſi fateamur neceſſe eſt: periere enim in nobis illa omnia, quæ amabas: cum videris, ſpirantem mortuum putabis. Cæterum illud neſcire non potes: quod etiam Corchorus inter olera: quominus tibi licebit, ſalem & menſam noſtram præterire, ne ollæ amicitiam hucuſque coluiſſe videare. Corneam te fibram eſſe puto, quam flectere difficile eſt, Penelopes enim telam texerem: ſed cum te ſciam ex ouo prodijſſe, aureum ſtare in Olympia cupio: alioquin exiſtimem neceſſe eſt, vnguium te criniũq; præſegmina commingere, aut eodem nos quo Iouis Sandalium loco locare & ordine. Quæſo te meminiſſe velis Νέους φίλους ποιῶν, τῶν παλαιῶν μὴ ἐπιλανθάνου. aut certè inter nos ἄσπονδος πόλεμους recrudeſcet, id ſi fiet, ſenties crede mihi, quòd totus Echinus aſper, quodque telum quandoque meũ cuſpide acuta eſt. Sed me reprimo, ne nos

Gratiā referre.

Nouos amicos faciẽs veterum ne obliuiſcaris.

in

Sinefę dere bellū. in nugis agere velle Tragædias putes. Res patriæ nostræ, Mandrabuli, vt video, more succedunt. Laureum baculum gestant, qui fœnum habent in cornu. Digni profectò quibus ⊖ præfigatur. Ni noster Athlas, qui vobiscum isthic est, excubias ageret in patria, molemque ruentem sustineret, produ cerent illis & scapheli immunitatem. Nūc autem vt video, funiculum fugiunt miniatum. Spero etiam fore, vt in eas oras aliquādo deportentur, vbi cerui cornua abijciunt. Nam Indus Elephantus, haud curat culicem. O vitam nostram vino simillimā. Cum parum superest in acetū vertitur. ὅταν δ' τὸ λοιπὸν μικρόν. ὄξος γίνεται. Sed pax. Meus quid abs te afferat Kolacius expecto Visum est hoc mihi ad multa quadrare, vt cum ipse per inualetudinem non possem: de illo Andreouiam ad obuiam itionem mittendo consilium caperem. Non est credibile, quàm lucem fugiam. Valeāt recta, vera, honesta, consilia, deuorandum esse video, quod dudum circumrodo. Quare aduola ad nos eo animo, vt nos ames, & te amari scias. Te si habebo, reliqua per me omnia pedibus trahantur., licebit nisi forte timeas, ne Saturnum te faciam, & nouus Iupiter te dem in vincla. Sed & hæc coram agemus. Vultum certè tuum videre cuperem,

rem; cum hæc legeris. Mira me esse miraberis ad litigandum alacritate. Acueram me nescio quomodo ad exagitandum hoc tuum silentium. Durum est, cum quid dolet, inulsa loqui: nil nisi laserculos. Sesamũ, papaueremque, triticum, & fractas nuces, vt Plautus loquitur pertendi: si hoc quoq; reprehenderis, non feres tacitum. Sed ista etiam ambulationibus compitalicijs reseruemus. Iam enim extabescit dies. Vale. Craccouiæ Kal. Octob. 1587.

SYLVIO ANTONIANO
SACRI CARDINVM COLLEGII SECRETARIO.

Epistola. XXX.

NIL miserius isto meo miserrimo tempore. Sylui, nil in omni tua vidisse te puto dirius. Fortunæ ademptæ. Vita vix relicta. Vitæ fortunarumque fautor & autor Rex Stephanus abijt, vno me relicto sine re, sine spe, sine sede, mortuum spirantem videres. Sit nomen Domini sempiternis sæculorum

lorum ætatibus benedictum. Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit ita factum est. Sit nomen Domini benedictum. Abs te interim peto, per Hosij quem in oculis ferre consueuisti memoriam (in me enim quæ amasti omnia perierunt) vt Illustrissimo & laudatissimo Cardinali Veronensi, qui nobis hodie veteris sanctitatis imaginem in omnibus vitæ studijs repræsentat, cultum & obseruantiam meam denuncies, verbis quibus vti solemus, cum quid diligentissimè agimus. Ego enim ita langueo, vt istiu modi officijs obeundis minimè sim adhuc idoneus. Vita ipsa vitalis esse mihi non videtur. immò verò non ob aliud mihi relictã vitam puto, quàm vt præbeat sensum materiamque malis: quorum ego acerbitatem, etsi lectione lenire contendam rerum à Sanctissimo Cardinali Boromeo gestarum, eam tamen vis doloris obturbat, hũc porrò lachrymæ consequuntur, quas quantum possum teneo. Sed adhuc pares non sumus.

Te etiam atque etiam peto & quæso, cũ cordis tui sanguinẽ per lachrymas ex oculis defluentes Domino sacrificaueris, vt Rescij quoq; peccatoris meminisse velis,

vt ipsius ante ipsum moriantur vitia. Vita Hosiana citò prodibit. Puto futurum, vt sitim legendi tuam expleas. Bene vale, nos quod facis ama, nec amare desine. Ex ædibus Cecianis. Idib Ianua. 1587.

Neue literarum pudeat qui viderit illas
De lacbrymis factas sentiat esse meis.

SIMONI SIMONIDAE POETAE LAVREATO.

Epistola XXXI.

QVOD me litteris tuis appellasti, amoris tui in me argumentum est, in quo valde acquiesco. Socolouio vero nostro plurimum sanè debeo, quòd tibi fidem fecerit, me ingenij tui elegantiam, non vulgari illo more, sed præcipua quadam ratione admirari, quæ viris in aliquo laudis genere præstantissimis solet adhiberi; quod tu humanitati meæ cum tribuis, ego, tibi debitum honorem puto, magis etiam incendis, vt me etiam atque etiam ad te amandum acuā.

Iosepho

Iosepho tuo nihil vidi castius. Diuo Stanislao nil maturius. Aeli nopea nil vehementius. Hos ego tuo fætus, cum ita valde suscipiam, quo animo esse me putabis, in tam pulchræ prolis parentem? Quo sum scilicet. Sed verborum lenocinia mittamus. Tu me tibi velim semper esse putes in omni offitij genere addictissimum. Non fallam opinionem tuã. De profligato procellipedum, vt ait, Scytarum exercitu, egimus in Vrbe Deo gratias. Non esse tamen Russiam tuam sine metu audio, ne pedem iterum volucri itu turbinis in morem referant: nouisque eladibus terram magnanimum Roxiadum, Septentrionumq; ocellum, vt recte quidem vocas, inuoluant. Sed idem nos vicissim Deus defendet, si fixam in illo spem nostram habuerimus: & a vijs nostris pessimis conuersi, omnem mentis aciem, in studio rerum diuinarum collocatam conseruauerimus. Dabit etiam Zamoscidæ, sicut antea dedit, catum, vt ais: cor, pectus adamantina firmitate munitũ, robur capax laborum, mentem consilijs fultam fidelibus

magnũ enim periculũ imbelle virum nõ admittit.

ὁ μεγας δὲ κίνδυ
νος ἄναλκιν οὐ φῶ
τα λαμβάνει

qui

qui à ceruicibus chariſſimæ patriæ vim barbarorum immanem furiaſque Saracenas auertet. Odium etiam imbellis æui, & rigentis ferri amorem, iuuentuti Polonæ tribuet, vt ne cruorem tuens fuſum horreat, ſed crudelibus efferra ſtudijs, diuinorum honorum ſtrages vindicet, nec abnuat Cadauerum

Referre pacem Chriſtianam

Priſtinam magnis cumulis redemptam

(vide an tua legerim) idque nos ſperare, & expectare iubet, cum ipſius Regis pietas omnium vocibus percelebrata, tum ea quam veriſſime prædicas, quamque vniuerſa patria liquidiſſime perſpexit Zamoſcij altitudo.

Porrò quæ mihi deſtinaſti, quæque adhuc parturis: vtinam citò parias. Narro tibi Simonidæ. Ad oculos ſitientes venient. Interim ad beatorum cineres vota faciã, vt tibi det Dominus vitam quam mereris, & conſeruet animum quem dedit: huic porrò adiungat, vt tuus Pyndarus loquitur μελιτόεσσαν εὐδίαν. Vale. Nos ama, nec amare deſine. Dat. Romæ 28. Martij 1590. Mellitã trãquillitatem.

STA-

STANISLAO SOCOLOVIO.

Epistola XXXII.


HRISOLECTRVM collo alligatum, mederi, febribus, capitisque morbis, illis adhuc sæculis Callistratus tradidit, quæ è vicinia rerum causas, & origenes scire, videreque potuerunt. Phaetontis fabulam, fabulam putemus. Sophocles certe, quod in Poeta Principe loco Athenis nato, magna vitæ fama, & tanta grauitate cothurni vix ferẽdum Plinius putat, è lachrymis auium Melleagrum deflentium nasci Chrisolectrum credebat. Theophrastus, & Philemon fossilem materiam opinatur. Demonstratus ex vrina lyncum bestiarum, mare, fuluum, fœmina candidum prouenire arbitratur. Sothacus, Brittamicarum arborum, quas Electudas vocant gumen. Pitheas concreti maris purgamentum. Nicias

cias ſuccum ſolarium radiorum opinatur. Plinius porrò in rebus naturæ tam Lynceus, quàm & talpa, ex arboribus picei generis medullam defluentem, ſiue rigore, ſiue tepore, ſiue mari dureſcere exiſtimat. Alij aliud. Miram vetuſtatis ἀφασίαν. Sed vere dixit ille. Naturam ſecreta ſua multa, reuelanda reſeruaſſe poſteris. Narro tibi itaque Socoloui, Chriſolectrum lacrymas eſſe, cum ipſarum fruticum, & arborum, tum omnium Baltici maris, non ſolũ accolarum, ſed immanium etiam belluarum. Quid flent, ait? Battum, ſiue Baltũ, vel vt Iornandes habet, Baltorum familiã Veſegotorum Principem, Aumalorum æmulam, quos ſolos ſui victores Roma mirata eſt, monſtrorum domitorem, imbellibus viris in prædam oras iſtas reliquiſſe, Pannoniæque potius quàm ſibi ſuæ ſtirpis Battũ Regem edidiſſe, de quo Strabo memorat. Quid præterea? Quod poſt multa ſæcula, Stephanũ Battorũ, magnum de magna ſtirpe germen, illũ, inquam, vt tu ſummo vſus conſilio decreuiſti, plus q̃ Regem plus q̃ Imperat. plus quam Sacerdotem in auiti maris littore, ex improuiſo quaſi rediuiuum oblatum, videre deinceps poſſe ſubitò deĩjt. Flent itaque Socoloui Bat-

torum suum, hæc quæ diximus omnia, & flebunt dum ἄμαξαν Triones trahent: aut Vrsa lambet Vrsam.

Sed quid verbis opus est. Mitto rerum testimonia. Globos immanes duratarum à frigore lacrymarum. Grati sat scio hospi tis limen ingredientur, vbi nullius rei maior sitis, quam quæ Battoris Regis memoriam, vel animo, vel oculis repræsentat.

Qui tibi non Regis, sed vice patris erat.

Si præterea κεφαλαλγίαν mitigauerint, in cęlo sum, & Calistratum hominem putabo. Sed vide quæ consequuntur, & nos garrire non putes: Vt nos suarum lacrymarum, & quærimoniarum consortes & socios, hæc in quibus calamum intingimus Baltica lit tora habeant, ἄποδα καὶ ἄχειρον reddiderunt. Spirantem mortuum diceres, nisi quod citò fore puto, vt volumus.

Ego his diebus Lemitijs cum Ioãne Ho sio Cardinalis fratre germano vixi, quem si quis senem Abrahamicum dixerit, vere dixerit, ætate maturũ, pietate religiosum, conscientia securum, mẽte benignum, corpore sanum, vita parcum, moribus castum, filijs venerandum, vicinis gratum, amicis charum, re sua familiari succincta & sufficienti contentum, dulcissima pace gauden

tem,

gem,nec ſibi nec ſuis moleſtum: Senectutē 90. placidiſſime ferentem,pauperum amatorem,& mortis memorem.Summa eſt,viſu,& aſpectu iuſtum. Vſus eo viro ſum, & hoſpite ſimul, & morum magiſtro. Qua mea voluptate tu cogitabis. Henricus Semplauius Confrater chariſſimus Venabula mittit, conficiendorum in Bienciciano Apolline tuo faſianorum, quos illi Deorum immortalium Venatores,Macieiouij, Zebrzydouij, Minſcij, Leſnouolſcij, Volſcij, in tuas ſæpè menſas importare conſueuerunt. Bene valebis, nos amare non deſines,& ſalute multa, quos ad latus habebis συνδυπνοῦς imperties. Datum apud Eccleſiam Varmieñ.16. Cal.Octob. 1591.

STANISLAO SVCHORZEVIO.

Epiſtola XXXIII.



ACIAM tibi placuiſſe non miror, quæ multis ante ſæculis placuit, non illi ſolum magnorum Aumulorum æmulo Balto, ſiue

Battoro Nissegotico; sed ipsorum etiam Romanorum Imperatori Traiano Dacico, qui in tanta Orbis vastitate, nisi & Dacis imperaret, Cæsarem se non putabat. Battus vero siue Baltus, vt habet Iornandes, Dacici soli vbertate amęnitateque illectus, solo suo nomine huic quod tua legens, adteque scribens prospecto, Baltico mari relicto, Regni sedem in Daciā transferre, quàm in Vasta dominari Gottia maluit, tanto sui in his Trionibus relicto desiderio, vt non ipsos tantum sinus Baltici accolas, sed immanes etiam huius Ponti belluas, & ipsas etiam arbores Electrides appellant, multis lacrymis orbitatem suā comploraſſe, qui de rebus magnis maiora loquuntur, perhibere non dubitauerint: quæ deinceps siue æstu, siue mari concretæ, durataeque, gemmæ spetiem, tanta perspicuitate commendabilem induerunt: vt Romanorum matronæ, cum Deæ vellent è cœlo delapsæ videri, inaures parare, crinibusque Chrisolectrum intexere, non solum ornamento, sed etiam laudi gloriæque duxerint. Nero certe ludis suis Neronianis quos sumptu incredibili Romano populo edidit. Proscenia, Epistillia, Velaria, Intercolumina, Scænas, Orchestras, pulpi-

pulpitos, Theatrales, gladiatoralesque consessus, Chrisolectro exornauerat, ne præcipuum quoddam ornamentum tantæ celebritati defuisse videretur. Quid quod & arma, & Libitina, totusque vnius diei apparatus ex succino? Plinius testis. Quãto putas in pretio fuit, in illo consessu & Theatro, in quo χθόνα δατέοντο. Ζὰς ϗ ἀθάνατοι. terram partiebantur Iupiter & immortales: sed hæc mittamus, quæ tuis digittis magis numerata tenes.

Reditum ex Dacia gratulor. Id quoque non nisi Philosophi est mediocria malle, quam summa, ne robur animi vitæ commoditatibus elumbetur.

De arcula, quod sæpè, deq; denario scribo, ne mirere, Ciui immunifico scis quod cantari solet.

Quod habes, ne habeas, & illud quod nunc non habes habeas malum.

Quandoquidem nec tibi bene esse potes pati, nec alteri. Quod enim nuper misisti, commessum, vt ait ille, expotum, exutum, elotum in balneis, piscator, pistor abstulit, Lanij, coquique. Consit citò quicquid mittis, quam si tu obijcias formicis papauerem. Scis moris nostri cursum. Qui Lesbonici apud Plautum. Postquam co-

meditrem, poſt rationem putat. Hunc tu ſæpè ſcio deſquamare voluiſti, ſed nobis quoque cornea fibra eſt. Placet & ſuus Aetiopi nigror, ſuaque Tantalo ſitis. Ni tutores dederis, magnam prodigentiam videbis. οὐκ ἔραμαι, ait Lyricorum Princeps πολλὼ ἐν μεγάρῳ πλοῦτον κατακρύψαις ἔχειν, ἀλλ' ἐόντων. εὖ τε παθεῖν. καὶ ἀκοῦσαι φίλοις ἐξαρκέων. Non cupio multas in ædibus diuitias abſconditas habere. Sed ex ijs quæ adſunt bona percipere, & bene audire, amicis ſubueniens.

Subuenire enim prima, bene audire, ſecunda fœlicitas. Vale. Datum apud Eccleſiam Varmienſem in Electriferi proſpectu Baltici. Calen. Decemb. 1591.

THO-

THOMAE TRETERO SANCTAE MARIAE TRANSTYBERINAE Canonico . Regio Secretario.

Epistola XXXIV.

RECTE tu quidem doles. Tretere chariſſime, quod rarò nobis ſcripſeris. Magnum enim, vt ſcholæ loquuntur, ſupererogationis opus omittis, cum tuis litteris conſolari deſinis hominem extorrem, proiectum, podagris centum oppreſſum, centumque chyragris, cui ſi quam potes vim remediorum offeres, non vt doleo, dolerem.

Nos his à peſte ità circumſepti ſumus, vt reliquus tamen ſit conſiſtendi, euadendiq; locus. Sed me mea, nunquam non comitatur peſtis, nuſquam non mecum oberrat. Nullibi gentium non eſſe Podagrico licet.

Siue ſeptem ſuperbos pede teram colles, ſiue ſeptem frigidos oculis tuear Triones, Vmbra me mea ſequitur & podagra. Illa tamen innocentior ſuis contenta tenebris. Hæc omninò barbarica Gethica, Scythica, Vlmea verberaliſsima, flagris digna, cui iamdudum dicam ſcriberem, atque ad neruos, crucesq́; cõpedesq; cathenas, carceres, numellas, pedicas, boias, poſtularé, ſi prætorem inuenirem. Quid enim aliud optes, quid iſti limoſæ, & ipſius violatrici naturæ cupias podagræ, quæ viuos homines videri facit mortuos; quæ membra hominis ad vſum neceſſariç flexionis à natura laxata, inodoſum marmoreumq́; rigorem, ità conſtringit, vt integris, & cõſtantibus membris, membrorum menſura, decorq́; pereat, minoresq́; fiant articuli, quibus nil ſubtractum cernitur. Mirabile crudelitatis exemplum. Corpus viuũ eſt, nec mouetur. Paſsio videtur abſcedere, & æger non deſinit ægrotare, ligat ſolutos, cõtrahit neruos, & decreſcere facit corpora, quç nulla ſunt mutillatione trũcata. Deteſtanda planè vincula, quæ ſemel captum nouerunt conſtringere, non nouerunt diſſoluere, nec audet iterum ſanitas intrare, vbi ferox iſta humani generis debellatrix, vt re-

ctè Romanorum Rex Theotahadus noster loquitur, mẽbra cœpit occupare. Viuam Podagrici mortem, aut vitam mortuã dixeris, sanitatem passibilem, & passionem insanabilem. Hunc opto inuadat, qui sanitatem Podagram putat. An quia vitã producit? Tanto crudelior quod nullum malo modum statuit, quod ad senectam in solam pœnam viuacem pertrahit. Non illi quippe magis crudeles qui volentes viuere occidunt. Quã qui mori volentes non sinunt. Genus vitæ miserrimum, & vitam odisse, & mori nõ posse. Misero si flere non licet, magis flendum est, ait ille. Quid est Podagrico viuere? quod in equuleo pendere, quod in pristino, quod in naufragio, quod in carcere agere. Non affert mortem Podagra, sed optare facit, non occidit, sed per prærupta, & confragrosa trahit ad mortem. Vno ictu carnifex vitam eripit, ista singulis membris singulas mortes offert. Hodie pedem truncat, cras manum, inde digitũ, inde cubitum, inde genua, inde brachia, inde neruos, inde articulos, per multas mortes ad vnam raptamur mortem. Funus quodammodo nostrum ante mortem nostram cernimus. Videro cui viuenti libeat mortua mẽbra portare; nil in numero de-

si de-

ſiderare, & neceſſario miniſterio carere. Nouum ſuperbiæ genus, gemmas intercutaneas geſtare, & cruſtata marmora per articulos numerare. Bellũ profectò quoddam eſt irreconciliabile, naturæ, & Podagræ: quod natura rectum formauit, Podagra deformat, quod ipſa deformat, irata natura non ſanat. Viderint quid dicãt, qui ad aquas Borniceas, ad fontes Euganeos, ad calentes Enariæ arenas, ad Baianas fornaces, aut Puteolana littora, ad campos Phlegreos pro ſanitate remittunt, vbi ſudores à vaporibus prouocantur dulciter anheli, vbi fumiferi globi ſurgunt leniter moleſti, vbi ſine quercu & flamma perpetuus calor operatur. Deliciis iſti cupiunt, Baianorum littorum proprijs, vim doloris ex armare, non munere ſanitatis expleri. Profectò neceſſariò dicendum eſt, aut Podagram iras ſuas iſto ſęculo intendiſſe, aut naturam in deſpectum Podagrę, priſtinam vim ſuã remiſiſſe; vereor ne accepta à Medicis mercede, vt habeant perpetuò quos ſemper curent, nunquam ſanent; in omniumq; illis ferantur, in omnium & metantur agris compendia. Quid enim iſti ſciãt, quid inueniant, quod ne ipſi quidem huius artis Dij ſcire, inuenireq; potuerunt?

nisi forte dicamus imberbem Apollinem ex Medico Deum factum, non esse dignatum podagræ medicinam quærere, quam in cœlo non timebat: aut Aesculapium aurea ammissa barba, barbæ potius reficiendæ, quam Podagræ sanandę curam habuisse. Quid quod ne cultores quidem eorum fidem illis in hoc genere habuerunt? Varro testatur Seruium Clodium Equitem Romanum, magnitudine doloris podagrici coactum, veneno crura, post quæsitã apud Deos, & homines medicinam perunxisse: & postea omni tam sensu quam dolore in ea parte corporis caruisse. Non possum Suantum illum, quid enim à Romanis petamus? cum domestica suppetant exempla, Suetiæ, Gotiæque Principem non sapere dicere, qui nullum salubrius Podagræ remedium inuenit, quam quod, vt Olaus loquitur, à solatioso colloquio optimorũ hominum accipiebat. Equidem irascor quandoque. Nescio cui, sed tamen irascor, vix non his ipsis in quibus iam consenesco litteris, quòd auaritiam, iram, luxuriam, ambitionem sanare tamen docuerint, Podagram non docuerint. O quam nnnc pręstaret in agello nostro Bucouiensi, bigas potius cornutas, sculponeato sequi, aut

media

media cantando ludere posse via? quàm prætextato in his vitæ miserijs, & articulorum euiscerationibus in quibus viuo viuere. Si gradientem videres, Poeta est diceres

Hexametrum gradiens, Pentametrumq; facit.

Sed quærimonias mittamus. Tam est superuacaneum insanabili indignari Podagræ, quam est calamitosum, & sine remedio malum odisse fœlicem.

Ferunt olim Græculum quendam Reipub. suæ oculos optasse erutos, ne suorum ciuium inter ciues distractionem videret. Ego vel propterea lumbos defractos Podagræ cuperem, ne cætum Apollinis Musarumque inuadere possit amatores. Oculos relinquerem, vt otiosos ab occupatis, cucurbitas à turdis, saperdas à coperdis internosceret, seque sotiam illis solis adiungeret, qui nil consumunt nisi diem; iuxta illud non illepidum poema, cuius hoc initium

Filia desidiæ, & languentis filia somni
Quæ procerū penetras, fœda Podagra lares.
I pete socordes & amantes otia, Reges.

Plus dico. Si mori mecum, si eodem tegi Podagra potest lapide, iugulum præbeo. Moriamur, vel sic perire melius, quàm isti

nodosæ

nodosæ Dominę tributaria semper circũferre capita.

Est satius (ait ille) atri ditis operiri vmbris
Quam immedicabili morbo agitari
Re nulla ita cito. ac morte pellitur dolor.

Nam si moram mors fecerit, marmur ex hominę Podagra faciet. Saxa falce metet, quæ membra putabat. Sed tu me Martis pullum subito factum miraberis, quem Minervæ putabas ancillularium. Durum crede mihi, vt quod dolet, non doleat. Equidẽ iste me primus omnium morbus docuit, quod etiam viuere sit fortiter facere, Nisi quandoque cornicula Capitolina recrearet, forte iam funus ipsi nostrum videremus

Nuper Tarpeio quæ sedit culmine cornix
Est bene non potuit dicere. dixit erit

Aula nostra, Vlysseã, Visliciam vulgus appellat, (vrbis nosti amplitudinem) secessit, vbi pestem vicina depascentem fugeret, Vlyssis forte exemplum secuta: qui cũ iratæ Veneris furoribus multum esset terris iactatus, & alto, per Pontum tandem & Borysthenem, vt habet Forcatulus Gallus in libello, Fœlix Polonia inscripto, in oras Sarmaticas delapsus, ad Nidæ pallustria littora, indulum inuenit, in quo illi (ò fœlices

lices terras) ne irati quidem nocere Dij possent, Ciuitatem excitauit, deque suo nomine Vlysseam appellauit: sicut Calypsus eius socius paulo longius Occidentē versus progressus de suo Calissiā: & Achilles ad Ponti littora, Achilleam. Sed ista tu tuis digitis magis numerata tenes. Res ita claræ sunt, vt nec latentes possint latere personas.

Iam de reliqua nostra cogitatione cognosce. Si veneris in patriam, vt promittis, vtque volumus, eum ego diem magis aureum putabo, quam ille fuit, quo Nero Theridatem Armeniorum Regem in aureo theatro excepit. Centum tibi Iopeana canam, centumque triumphos. Tu oua Olympionica, tu oua Pithonica, tu omnia. Quid agis? Gallum quoq; mensæ tuæ, & anserem, assamq; litabo bubalam, Sarmaticum te subito factum miraberis Aesculapium.

Amicos omnes Vrbanos, præcipuè verò illa Orbis Christiani lumina, Vrbanissimè nominatimque Salutabis. Latinum Latinium, Fuluium Vrsinum, Toletū, Ciacconum, Magium, Belarminum, Tucium, Bētium, Baronium, Syluium Antonianum, Thomam, Talpam, Iuuenalem, Cabrerā,

Vos-

Vossium Ephremi diligentissimum interpretem. Sed & illos curarum dolorumq; nostrorum hilarissimos interpellatores. Orpheicos nostri sæculi Amphiones. Sotũ Suauicanentem, Ioannem Baptistam, multa in omni arte Musica sine oculis videntem, & Annibalem Stabili commensalem charissimũ: quos vt sic amem auctor Varro gentilium doctissimus: qui Musicam esse profitetur Podagræ certissimam medicinam; sicut & Theophrastus Scyathicæ, cuius ego nullam esse authoritatem, non audeo dicere; sed isto nostro sæculo mutatus rerum ordo est, sede nil propria iacet: Mugire enim potius nostri nos dolores, aut bouatim boare deformiter, quam tremulo faciunt reddere cantiones gutture. Risum quoque mihi quia falsum probaui Plinius mouet, referens ex Hostanis cuiusdam sententia vrinam, cuique suam in pedem matutinis horis instillatam malo auxiliari. Crede mihi, vitam istam non accepissem, nisi data fuisset nescienti. Vita non vita vbi nil superest quod speres. Reculas nostras, sed maximè Hosiana Aduersaria custodię tuæ etiam atque etiam commendata putabis. Res gestas magni Hosij æreis abs te tabulis incisas, fac vt aliquando in
lucem

lucem homiuum productas, cum adiuncto poemate videamus. Cupio te quam diutissimè ἐπιπαλαζειν; Σὸς εἴμη, καὶ σὺ ἐμος Datum Andreouiæ Hilarium diebus 1590.

STANISLAVS SVCHORZEVIVS STANISLAO RESCIO.

Epistola XXXV.

ITA ne te Italia hominem, sed quem hominem humanitatis, & Vrbanitatis parentem citò immutauit: atque acerbiorem effecit, vt mihi tui per quàm cupidissimo minas iactes, vngulas intendas. Crucem etiam, licet modo merito: causæ meæ bonitas seipsam tuebitur, & me tacente pro se loquitur. Dicet Colacius alumnus tuus, quis in culpa hæreat. Vidit ipse non modò vestigia, sed cubilia negligentiæ horum, qui omninò deberent esse vigilantissimi. Sed ea est conditio horum temporum: Cupiebamus equidem, vt post tot exantlatos labores, post tot terrarum, & regionum emen-

emenſa ſpatia, ad nos redires & optata perfrueris quiete, ſed ita illi cuius arbitrio omnia ſtant, caduntque, viſum eſt, vt à meta ad carceres redires. Vide quid habeant vtilitatis tuæ litteræ, tua ſtudia, doctrina & prudentia; libero & quieto tibi eſſe non licet, cum nobis qui indocti, inculti, ac imperiti ſumus libeat pro voto ex animi ſententia viuere: ſed nos inglorij, & ex horum numero, quorum memoriam & nomen ſepulchrum obruet, erimus, tibi verò maxima, & præclara repoſita ſunt præmia, qui patriam iuueris, pacem, & optatam quietem ſtudio, & induſtria tua nobis omnibus reddideris. Tuas nuper in Regni Senatu lectas, induſtriæque tuæ publicum datum teſtimonium audiui. In omniũ ore eſt, quòd ita rem geſſeris apud Sixtũ Pont. vt nos nec bellum timere, nec ab honeſta cum Auſtrijs pace abhorrere oſtenderes. Apud Venetos quoque, & Magnum Hetruriȩ Ducem omnia te ſumma cum dignitate egiſſe, qui ex Italia redeunt noſtræ gentis homines deprædicant. Non te ergo deprimat hoc quod ſuſtines legationis onus, Te indies maior fias. Sed ſus Mineruam. Nos hic corradendi, tu iſthic erogandi denarij curam habebis.

Quæ in publicis, & priuatis rebus agantur, accipies ex eodem Colacio, Longum enim esset omnia recensere. Et ille is est, qui longè melius omnia persequetur. Vale. Mccouiæ 1590.

STANISLAO SVCHORZEVIO.

Epistola. XXXVI.


ERIERAM nisi perijssem, ita mihi sapientia tua necessaria visa est, in explicandis Nauarricień. Reipub. rationibus; quas non ita pridem inspexi. Nec enim errores Oeconomiæ vetustate corroboratos, vel obseruare potui, nisi vim ingenij adhiberem, quæ mihi non vnius olei, & lucernæ operam, sed horribili diligentia, vigilantiaque opus habere videbatur: vel meliorem earum causam, statumque facere poteram, nisi me tibi ad pedes abiectū, tuis itineribus eo duceres, quo peruenisti, sed obsecro te, ne plausum sybilum putes.

Quid enim inesse artificij in Villulæ nostræ simplicitate potest ? Plane sine vlla exceptione tibi dico,consilium mihi tuum defuit,quo minus in arcem Reip. Nauaricen. inuaderemus . Totus sine te tetris in tenebris iacui, Non animus fuit, non consiliũ,non diligentia: quin suppenitet ignauiæ:quod tibi,cum coram id nõ licet, quo nil fuisset iucundius: per litteras tamen aperiendum putaui. Mirabiles crede mihi vtilitates præbebis in omni genere , vel studiorum , vel negotiorum meorum , vel eius in qua pedem adhuc non posui Oeconomiæ rationibus,ad me si veneris:sed tamen te malo propter humanitatem , & hilaritatem tuam,quam propter vsum meũ . Quamobrem ad me ad 4. Non. Nauaricos aduola,Omnia habebo, si te habebo . Hæc vna me sola in hoc rei familiaris naufragio tabula delectabit, si accureris . Adhiberem perspectam tibi obiurgationem nostram. Vtinam valeret ad celeritatem aduentus tui.Sed me reprimo.

Quis (enim) legem det amantibus ?
Maior lex,amor est sibi

De nostris æmulis, taceo , periculosum est de ijs scribere , qui possunt perscribere . Nam cui plus licet : quam par est :

plus vult quam licet. Vale. Ex amænissimo rure Nauaricensi 1588.

STANISLAO
CARNKOVIO

Archiepiscopo Gnesnensi, Regni Poloniæ Primati. Primoq; Principi.

Epistola XXXVII.


ENERE me non possum, quin animum Illust. D. V. exosculer, plenum pietatis, & eius, quæ esse propria Deo amabilium Episcoporum, pro custodia Christiani gregis excubantium consueuit, curæ vigilantiæque pastoralis: quam Illust. D. V. in ijs quæ proxime præcesserunt Varssauień. comitijs, pro Regni Religionisque salute adhibuit, magna cum laude fortis, & excelsi animi,

atq;

atque eo quod ſuſtinet Archiepiſcopi, & Primatis munere, & offitio digniſſimi.

Plena eſt Vrbs ſermonibus hominum, quam præclara conſilia ſuſceperit, quos conatus adhibuerit, vt afflictam, & conuulneratam ordinis Eccleſiaſtici dignitaté, aduerſus omnem licentiam, iniuriam mendacium, violentiã, aduerſus furioſos Euangelicorum, ſc licet, impetus, illos non hominum, ſed belli ciuilis vultus tueretur: atque defenderet: ac reliquorum etiam, quos in præſidijs Reipub. Deus collocatui voluntates, ad ea tandem audenda, & ſuſcipienda conſilia inflammaret, quibus perfici poſſit, vt maiorum noſtrorum eſſemus quam ſimillimi: qui conſtanti ſua in Deum pietate, erga miniſtros eius, & ſacerdotes reuerentia, erga Reges ſuos cultu, & obſeruantia, erga leges patrias obedientia, Regni Poloniæ gloriam, ad eum quem videmus dignitatis, & amplitudinis gradum extulerũt, Legi & eam Epiſtolam quam Illuſt. D. V. Sereniſſimo Suetiæ Regi ſcripſit: optimis conſilijs, & Apoſtolica libertate abundantem, Equidẽ in eas Illuſt. D. V. laudes Sanct. ſua non ita pridem erupit, vt non obſcure ferret, ſi eadem pietate Deum, & hãc Sanctam ſedem reliqui

omnes Reges colerent, quæ in Serenissimo Rege nostro Sigismundo elucescit, si eadē libertate, animique magnitudines omnes Orthodoxi Episcopi pro Christi gloria, & Ecclesiæ conseruatione laborarent: qua Illust.D.V.cum reliquis collegis suis in his Comitijs laborauit: cito fore vt eius Babylonis rudera, & paretinas, his ipsis oculis nostris cerneremus, quam Christi Regūque perduelles in charissima patria (ò turpem notam temporum nostrorum) excitare occeperunt. Nihil est Illustrissime Domine, timidius malitia, Vmbram fumi metuit: & ad omnem folij strepitum perhorrescit, Sacerdos autem Christi Euangelium tenens, & præcepta Dei custodiēs, non solum Hæreticis, quos leporibus timidiores vocat Athanasius, sed ipsis legionibus Diabolorū omnium formidabilis est: eosq; sicut aureus loquitur Chrisostomus, vt passeres ligat, & constringit. Id ita esse & superiorum temporum exempla, & hæc quę diximus Comitiorum acta ostendunt: in quibus statim vt se Regni Primas aperuit, vt viuificam crucem erexit, vt sese nil timere nisi Deum, nil sperare nisi à Deo ostendit, vt reliqui Episcopi dulce sibi fore periculum pro Christo, & patria professi

fessi sunt, illico truces illi vultus Euangelicorum, ferrum, flammamq; spirantes oculi, (talem cuiusdam vultum illo ipso tempore inspexi cum Illustris. D.V. Regio capiti Regni Coronam ad altare Dei imponeret) conciderunt, quos nisi quidam non κυρίῳ, sed καιρῷ δουλεύοντες sublcuassent, quibus mentem præcor meliorem, forte sempiternis deinceps tenebris latuissẽt: Quis scit an ad cor reuersi cum Osea non dixissent. Vadam, & reuertar ad virum meum priorem, quia bene mihi erat, tunc magis quàm nunc. Sed nondum tamen abijt huius consilij tempus. Et hoc inter fœlicitates est, superasse quod speres. Magnus esse mihi in causam ingressus factus videtur, quod hæretici iam tandem videant se, à Christi Sacerdotibus non timeri. Cæterum & ex ea Synodo quam Illust. D.V. meditatur, magnam vim consiliorum, & remediorum expectamus. O Hosi si viueres, ô si viueres Hosi Zelantissime: quibus tu oculis istam fratrum tuorum Episcoporum constantiam intuerere. Multo profecto magis hoc tempore diceres, quod olim consueueras, nõ fuisse tempus vllum in patria nostra, quod simul haberet Episcopos, & pietate, & eruditione, præstantiores: atque

Nõ Domino sed tẽpori seruiẽtes.

est hoc ipsum cuius aerem haurimus: & maiora quotidie ab illorum studio, & feruore expectares. Sed ego longior sum quàm me fore putaui. Illud tamen repetam, Si cor meum aperire, & vim in te cultus incredibilem, obseruantiæq; meæ magnitudinem intueri tibi liceret, iudicares profecto, Princeps Illustrissime, hominis in hominem nullum vnquam maius, nullum ardentius studium extitisse.

De negotio Canonizationis (vt vocãt) B. Hyacinti qualis per me sit factus ingressus, tùm apud S. D. N. tum in augustissima S. R. E. Card. Congregatione; quamque multa ad causam parata iam habeamus, scripsi antea Illust. D. V. Hoc addo datum iam esse Prothonotarijs Apostolicis negotium reuidendi, examinandique processus, Adiunctus ad eã curam est R. D. Bianchetus Rotæ Auditor. Illust. D. V. obseruantissimus. Quòd si præterea frequentioribus litteris tum ipsa Regia Maiestas, tùm Illust. D. V. negotium vrserit, puto fore omnia vt volumus. Credat mihi Illustr. D. V. quod magno ea res futura est, patriæ nostræ & ornamento, & emolumento. Ego vero vota facere non desinam, vt tu Domine mi Reuerendissime ἀλογίαν, sicut ait ille

προτιθείς; φέρειν γῆρας δὲ θυμὸν ἐς τελευτάν. Dat. Romæ 22. Iulij 1589.

FOELICI HERBVRTO
DE FVLSTIN EQVITI POLONO.

Epiſtola XXXVIII.

MAGNAM mihi voluptatem, Herburte, Florẽtinæ tuæ litteræ attulerunt, ſcriptæ verbis humanitate, blandicijs, quibus vti ſolemus cum quem ardentiſsimè amamus. Ego vero & tuum iam animum in quotidiana noſtra conſuetudine viderã, & meo ſum ipſe teſtis, ſed tamen incredibile eſt, quam me ad omnem hilaritatem, in vrbanis meis occupationibus, quas noſti, beneuolentiæ tuæ memoria excitauit, quam vt mihi perpetuam eſſe velis, abs te peto.

Quod verò vitæ noſtræ ſtudia, & quotidianas pro patria contentiones, pleno modio verborum dilaudas. Narro tibi Herburte, quod non bonam cauſam ſuſcepiſti. Nam ſi me tua beneuolẽtia ob eas laudes di-

dignum putas, quibus non abundo, nō me profecto sed alium pro me diligis, si non quod sum sed quod non sum diligis; nisi fortasse præstantiam, & magnitudinem nostram in eo statuas, quod nostram agnosci mus paruitatem. Id si facis vehementer acquesco. Nimia enim, ait ille, magnitudo, suam cognoscere paruitatem.

Quod verò cœnulas quoque nostras diuini Platonis cœnulis comparas; argumento est non magnas fuisse mensę nostræ reliquias; aut te sæpè egregie in crastinum esurijsse. Iouis hospitalis dixisses. Is enim inemptos plerumque cibos, post quos non erant lauandæ manus, & prādia; semessaq; obsonia in suis conuiuijs apponebat.

Hæc tibi (ait ille) brumali gaudentia frigore rapa.
Quæ damus in cœlo Romulus esse solet.

Tu verò, animæ mi, nimis in nos dulcis es nimisque liberaliter χρύσεα χαλκείων reprendis; nec vlla adhuc hominis nimium memores, nimiumque grati signa prætermittis, in quo genere, si ad vltimas vsque terras, tui esse similis perrexeris; non recuso quò minus nobis vani coniectoris notas titulosq; appingas. Quoniam autē gloriosis consilijs delectari te video, & ex optimis litteris, in quibus cum laude versatus

Aurea ærijs.

es.

es . hunc præcipuè fructum quærere, quo iuuari patria in omni rerum varietate possit;non queo prætermittere quin te magis etiam ad eam quam abundas benemerendi cupiditatem excitem ; vt ætatem tuam nullis temeritatibus offeras,vt vitæ consilia nulla suscipias, quæ sola adolescentia geruntur, & viribus; sed potius quotidie cogites, quem esse Herburtum deceat,tecumque ipse certes,te acuas,& ijsdem itineribus,ad easdem laudes contendas, quibus maiores illi tui viri in omni laudis genere præstantissimi . Pater Charissimus, quem Parisijs,Patruus sapientissimus, quẽ in Sacro Concilio Tridentino, Regis personam magna cum laude sustinentem, & Hosio meo charissimum,noueram: quibus denique affinis tuus Exercituum Dux Zamoscius (vir ille horribili vigilantia, celeritate, sagacitate, prudentia,cui propè soli patriæ tranquillitatem debemus)orbẽ vniuersum Christianum impleuerunt: in quo te Herburte,confido vt volumus,vtq; oportet laboraturum: Ego verò omni tibi asseueratione affirmo, quod mihi credas velim, nulla in re malle me, quàm in te amando constans,& esse, & videri, & eam fortunam quæcunque est tua, meam duce-

re.

re. Vale & ſcribere ne pigrere, vel quicquid in buccam venerit, nec omnino dubites, ego meo prorſus ſum pectori. Mihi quod crederis ſumes vbi poſueris. Romæ 15. Iulij 1589.

FOELICI HERBVRTO DE FVLSTIN.

Epiſtola XXXIX.


E ego, Herburte, vnum eſſe hominem puto quem Charites, quas Gentilitas Deas appellat, ſuis muneribus affecerunt. Tyberim trãſiſti, Danubium ſuperaſti, ad Tyræ, & Boriſtenis littora veſtigium poſuiſti, neque tamen adhuc ad Leteum flumẽ perueniſti; neque brumæ aſperitate obduruiſtis, quam in re vim incredibilem tuæ in nos voluntatis perſpicio; quam aluei nulli impedire, nulli montes retardare, nullæ ſyluæ implicare, nullæ niues conſtringere, nulla cœli intemperies aut viarum impedimenta deartuare: vt ita dicam, potuerunt, quo minus te nobis in eam quam volu-

lumus partem aperires; & hic eſt vnus & præcipuus eorum laborum & litterarum fructus, in quibus ego te magna cum laude verſatum perſpexi. Quod ſi extrema primis contexueris, nec de amore ſcribendique diligentia quidquam remiſeris, te ego ꝓfectò in Pſaumide Camarineo Oda quarta notatum putabo, quæ ſic canit.

Φύονται δὲ, καὶ νέοις
Ἐν ἀνδράσι πολιαὶ
Θαμὰ, καὶ παρὰ τὸν ἁλικίας
Ἐοικότα χρόνον.

Naſcunt autem & iuuenibus
In viris crebro
Cani etiam propter ætates
Congruum tempus.

Occurrit, & aliud, ſed Paſſaricianum, quod prætereo. Amabo te Herburte, vides quàm blande, ne te laboris magnitudine frangi ſinas, æquè tibi ſemper curæ ſit vt æreus Mars, ita lenis Calliope: id ſi feceris, inter paucos te annumerabo, quibus de ingratitudinis victoria choreale hymnum cantare decreuimus. Sed hæc tu fortaſſis vt es minimè mucoſis naribus, inter κολακείας numerabis; quas Arpinas ille verborum faber, non procul à ſcelere abeſſe exiſtimauit. Hæc itaque miſſa, quæ ſunt

agen-

agēda faciamus,Litteras tuas 6. Nouemb. datas in Plosti rure tuo paterno pridie Nonas Ianuarij accepi. Heri vero Illustrissimi Domini Cancellarij verbis Syxto Pōtifici quæ voluistis proposui,cuius de quaque re,qui sensus fuerint,quævè mihi data responsa ipsi Domino Cancellario copiose perscribo, vnde rem totam cognosces. Quod verò admones vt responsum ad litteras de ferenda cōtra hostes Christi Cruces ope extorqueam: ita à me res acta est, vt non dubitem responsum in manus vestras peruenisse. Intemperantiorem esse me fateor in hoc cupiditatis genere, vt omnia vigilantissimi Ducis, & affinis tui mandata exhauriam, imò vero laborem, non laborem puto, eius causa susceptum cuius labore fieri quotidie videmus,ne patria nostra laboret:Sed hæc quoque prouintialia nunc mittamus.

Gallia tua planè Scythico strepitu fremituque laborat. Armis perstrepunt omnia; non amplius amabilibus conuiuijs onusti sunt vici.

Παιδικοὶ δ' ὕμνοι φλέγοντας.

Puerilibus perstrepentes hymnis.

Qui Galliam norāt,qui norunt, his iam Galliæ non Gallia,sed Galliæ videtur ima

go;

go; illo præfertim ita crudeliter obtruncato Duce fortiſſimo Guiſio, de quo rectè ſcripſit qui ſcripſit.

Cuius ſit petis hæc imago. Cuius
Caſu Gallia. Galliæ eſt imago

Regulus Nauarræ apud Turones hæret. Studia nobilitatis omni artificio comparat, externum militem aduocat, & cum ex infecta Germania nouem equitum peditumque millia Lotaringos montes ſuperarent à Lotaringo Principe partim deleti, partim diſsipati feruntur, quę clades eum curſum conſiliorum retardauit quæ Nauarreus ſequebatur. Deum illi Regno propitium præcamur.

De me verò, Herburte, nunquàm ne laborabis? Nonne ego te abeuntē obſecraui reſecrauique, vt nobis has quas gerimus compedes demendas cures, quas equidem iſto loco vix iam, ac ne vix quidem ſuſtinemus, ita multa nomina fecimus: ſed hic quoque artificium tuum timeo, ne nobis grandia nomina graturleris qui nomen tibi celebre rebus fortiter, ac præclare geſtis parare cœloque inferre decreuiſti: ſed, crede mihi tundere ego te, & obtundere litterarum crebritate non deſinam, dum perfeceris, vt nobis aut de labore dematur,

tur,aut ad ſumptum addatur. Interim curabis vt melettiſſimis tuis commendationibus,beneuolentiam Illuſtriſſimi Domini Cancellarij conſerues, & in gratiam Magnifici Domini Capitanei Præmiſlień ponas, & Illuſt.maironæ matris tuæ ſtudium augeas. Bene vale Romæ 8. Idus Ianuarij 1590.

FOELICI HERBVRTO DE FVLSTIN EQVITI POLONO.

Epiſtola XXXX.


EGLIGENTIAM miram Tabellariorum, Semel ne, me putas, Cancellario viro Illuſtriſſimo ſcripſiſſe? Noſti credo intemperantiorem me eſſe in hoc cupiditatis genere conſueuiſſe, vt omne meum ſtudium, & induſtriam ijs omnibus re, & veritate comprobē, qui ipſi ſumma cum induſtria rebus in magnis vixerunt.Illuſtriſſimo verò Cancellario fortiſſimo, & vigilantiſſimo patrię propugnatori ita valde,nihil vt

ma-

magis:Scripsi,& scribo,Herburte Fœlicissime: & scriberem etiam sæpius, si aures sitientes inuenirem, quicquid in buccam nobis veniret audire: At isti fasces quæq; sustinetis scæptra,& quotidianæ pro Repu blica contentiones.

Non sum tam stupidius merentur hercle
Accessum timidum,recepta verba
Et frontem pueri,genuq; serui.

Hoc etiam tempore iterata litterarum exemplaria mitto, verba rebus vt compro bem, & miniatum fugiam funiculum, quo notare noster Imperator militũ ignauiam consueuit.

Quod Epistolæ breuitatem excusas, in eam id partem acciperem, quasi non ha beas,quo nostrum hoc exilium,& eas,quæ quotidie mordent molestias consolere: nèue idipsum commemorando, & meum augeas dolorem, & facias etiam tibi: nisi Bonouitium rus paternum in quo natus es ad Epistolæ calcem annotasses. Nunc autem non miror te in eo loco vitæ pestem fugere, in quo vitam accepisti: nisi fortè non esse vitæ pestem putas, hoc quod multi magno habent in honore scribendi artificium: Id si facis, eo ego te hodie liberabo errore: ne hæc quoque mihi dies è

manibus elapsa, sine benefitio habeat. Mitto quæ in hoc genere ante annos aliquot pro oblatum ociolum lusimus. Cum legeris per illas ipsas fenestras deijcias licebit, quæ tibi legenti lumen ministrabunt, Non enim in arce si sapies ponenda putabis. Nisi forte existimes, sicut faciem plerumque existimari decentiorem, in qua næuus aliquis inesset, ita hæc nostra eo venustiora, quæ næuis pleniora: Romæ quid agatur quæris, Quod olim. Adhuc mures molas lingunt, frena feles ferunt. Cupio te teipso maiorem quotidie euadere: prope diemque videre. Vtinam citius, quam timeo. Romæ nonis Augusti 1590.

SIXTVS PP. V. SIGISMVNDO III. POLONIAE REGI.

Epistola XL.



HARISSIMAE in Christo fili noster, Salutem & Apostolicam benedictionem. Cum dilectus filius Stanislaus Rescius qui munere

nere ſibi commiſſo apud nos, & hanc Sanctam Sedem pro Maieſtate tua laudabiliter perfunctus eſt, ad te reditum iam paret: licet eum hic apud nos eſſe, ſi maieſtas tua ita voluiſſet, optauiſſemus: non modo viro bonitate, & pietate ornato ad te redeunti, noſtræ & Apoſtolicæ benedictionis munus impertiri; ſed litteras paternæ in eum voluntatis teſtes ſibi ad te dare voluimus. Ea enim fide, ac diligentia ab eo tempore, quo in laudatiſſimi primum Cardinalis Hoſij familiaritate fuit: tum in ijs quæ deinceps Regum ſuorum nomine ſuſtinuit muneribus, ac demum in tuis negotijs in huius Vrbis conſpectu vſus eſt, vt nobis ſingularem in illis ſuſcipiendis integritatem, & ſummam in conficiendis ſolertiam præſtitiſſe, his litteris nőſtris noſtris notum omnibus, & tibi præſertim fieri voluerimus. Itaque cum illum, ea morum probitate, modeſtia, & erga te, tuaſq; res fide præditũ cognouerimus, & noſtra, tuaque grâtia, propterea dignum putauerimus, eum tibi diligenter, & ſtudioſe cõmendamus. Quicquid igitur offitij noſtri cauſa in Reſcium contuleris, in nos te contuliſſe exiſtimabimus. Hominem interea tibi fidelem, prudentem, & modeſtum be-

neficijs deuincies, qui magno tibi fructui, & honori, summa nostra cum voluptate omni tempore erit. Nonnulla ille cũ Maiestate tua de nostra eximia in te,& inRegnum tuum voluntate coram colloquetur,quæ à nobis dicta esse cẽseri cupimus. Interea Deus Regiam Maiestatem tuam, ac tuas ditiones cœlestis gratiæ fauore protegat, ac tueatur. Datum Romæ in Monte Quirinali sub annulo Piscatoris, die 21. Iulij. 1590. Pontificatus nostri Anno sexto.

IOANNI DEMETRIO
SOLISKOVSKI
ARCHIEPISCOPO
Leopolieñ.

Epistola XLI.


IRAM Epistolæ suauitatem, quam tu (cum humili humilis Christi loquor discipulo) Reuerendissime Domine pridie Idus Martij

Martij Leopoli dedisti, ego Romę ipso quo ingressus sum patroni nostri S. Stanislai die accepi. Meros amores nuntiabat; in quibus cum ego semper acquieuerim, factum est vt gaudio quodam incredibili dif fluerem. Cum enim tu me amas serue Dei, noui qui me amat, quia qui in te habitat noui. Equidem molestias omnes om nium incomodissimi itineris (podagram prætereo nec verba nec medicos timentem) si non abstersferunt, certe tamen obturbarunt, vitam vt minus acerbam putarem: etiamsi iampridem esse mihi vitalis desierit; Quid enim esse Rescio vitale sine Hosio potest? quem certe magis adhuc quam istum aerem spiro, & hoc solo nomine, beate me vixisse puto, quod cum Hosio vixerim. Eo porrò ad beatorum sedes trãslato prorsus non video, cui me bono hæc mea vita reseruat: Vt pietatem discam? Hosius mortuus est. Vt in oculis hominum viuam? Stephanus mortuus est. Vt Reip. prosim? Ego mortuus sum. Sed quærimonias mittamus, quæ eiusmodi causam habent, vt nec tempus, quod πάντων πατὴρ existimatur, nec consilium, plagam acceptam sanare posse videatur. Quod Spongiam, Ministromachiam, cæterasq; nostras pro

Ecclesia Dei contentiones pleno medio verborum dilaudas, in eam id partem accipio, vt non laudari me, sed offitij vocationisque admoueri existimem. Non enim qualis sum, sed qualem esse velles, qualemque oportet, effingis. In quo quidem studio, vt laborem, dabo operam; nec dimittam istam curam: suscipiam etiam omnem actionem, ne panem in Ecclesia Dei comedisse videar otiosus: etiamsi quantum adhuc perfecerim vehementer me pœnitet. Non enim quæ magnis viris placeant confici, nisi per hominem & peritum, & diligentem possunt. Mihi verò & defuit hucusque & adhuc opera deest: quæ non modo tempus, sed etiam animum ab omni cura vacuum desiderat: idque ita esse experior: quod in summo meo studio nil tamen adhuc assecutus videor, quod in arce poni possit, aut saltem bonorum sit neruórum; sed quia cessator esse nunquam potui, narro tibi, quod octauum iam annum versor in Atheismis, & Phalarismis Euangelicorum colligendis, & conscribendis: id autem est, in eorum perfidia, & scæleratè factis ob oculos hominum ponendis, qui Deo, qui Christo, qui Christi Vicario qui legitimæ potestati, qui legibus, Regibus omni-

omnibus ſanctitatibus bellum nefarium intulerunt. Quam lucubratinnculam multi putant instar ſpeculi futuram, in quo cõſcientiarum maculas & videant homines erroribus inquinati, & horreant. Vtinam autem tuis poſſemus ire itineribus, qui nullum vnquam niſi in Chriſti mandatis veſtigium poſuiſti, eodem nos peruenturos confideremus. Iam verò non ignoras, quam eſſe ſoleant infructuoſæ eorum cogitationes, qui in foro, curiaque verſantur; in qua vitã fortunas, & ſua omnia conſumunt, & diem; quem niſi mihi legationes eripuiſſent, eorum iuſſu ſuſceptæ, quibus obedire iubet Apoſtolus, extremam operi manum impoſitam gauderemus. De pomi miraculo obſtupui: Ipſi quoq; Pontifici rem repræſentaui, cum in Vrhe tuas redderem, ſcit Dominus, quos ad cor rei reuocat nouitate. Alteras porrò ſtatim, vt Neapolim veni Reuerendiſſimo Domino Archiepiſcopo reddidi, qui quam eſt, magis eſſe tuus non poteſt. Eius reſponſum quod ad me hodie Puteolis tranſmiſit his adiunxi: Reliqua ſic habent vt volumus. Vis Podagræ remittit, Baiarum forte, & Puteolani, & Veſuuij, quem ad te ſcribens proſpicio, & Puſilippi amœnitate ad

humanitatem reuocata. Sit Dominus per omnia benedictus in sæcula, & te Domine mi Reuerendissime in Ecclesia Dei laborantem seruet quam diutissimè incolumem. Et si Rescium amas, vel potius quia amas, obsecro te, cum ad altare Dei steteris, aut in cubilibus tuis, cordis tui Sanguinem per lachrymas ex oculis defluentes Domino sacrificaueris, Rescij peccatoris meminisse velis. Vt ipsius ante ipsum moriantur vitia. Datum Neapoli Vrbe omnium, quas Europa orbis ocellus aspicit, amœnissima, Ad v. kalend. Iulij 1592.

IOANNI BAPTISTAE FICLERIO SERENISS: BAVARIAE PRINCIP: CONSILIARIO.

Epistola XXXXIII.



VM in familiaritate laudatissimi Cardinalis Hosij viuerem, qui tuos conatus, & labores pro Ecclesia Dei susceptos, & amabat plurimùm, & in omni suo sermone commẽ dabat,

dabat, in eorum ego quoque numero & ordine habere te cæpi, quos mihi omnibus offitijs, & ſtudijs colendos propoſui, eo verò ad beatorum ſedes æternam illam in domum translato, maior etiam eſt acceſſio meæ in te voluntatis conſecuta: tum quod diuinas illas lucubrationes authoris planè diuini, dignas duxeris, in quibus Germanica lingua donandis, & perpoliendis bonas horas collocares: tum quod Socolouij quoque Theologi præſtantiſſimi, & mihi omnibus offitijs coniunctiſsimi Cenſuram eandem linguam tuis hominibus loquentem obtuleris: & aliquid præterea meditari quotidie non deſinis, quò poſſis homines ne farijs erroribus implicatos ad viam veritatis reuocare.

Legi Epiſtolam tuam, quam in limine translationis tuæ Hoſianæ Cōfeſſioni præfixiſte: legi, quæ de Socolouiana cenſura ſcripſiſti. Gabrielis quoque Puterbei tres libros abs te conuerſos, Auguſtæ cum eſſem percurri. Et hoc ipſo tempore tabernas librarias Venetæ Vrbis euoluens, in qua nunc iuſſu, & mandato Sereniſsimi Poloniæ Regis Sigiſmundi III. Principis, & Domini mei clementiſſimi viuo, in Spongiam tuam incidi, contra Prædicantium

Virtenbergensium aspergines editam; ex cuius lectione maximam sanè animo meo voluptatem accepi, quod in ea (vt Athanasij verbis vtamur) Christicidarum istorum, qui nihil in omnibus vitæ consilijs, nisi vel legum, vel Regum interitum meditantur: tela, & mucrones in pernicẽ Christianæ religionis directos, ita retuderis, vt si nõ omnes adhuc humanos sensus amiserint, se victos, te victorem fateantur, necesse est; aut certè garrulus Herbrandus nouum cõscribere libellum debebit, sicut contra Gregorium de Valentia, virum doctissimum conscripsit: Cur nemo amplius D.D. FIkLERVM fœditas VVirtembergensium aspergines spongijs detergentem impedire debeat. Quamobrem tenere me nõ potui, quin tibi per litteras meum hoc in te incredibile studium, & quam ex tuis lucubrationibus accipio voluptatem, aperirem, atque etiã peterem, vt me deinceps in tuis intimis numeres, paratumque esse, & expeditum putes, ad omnia summa cum voluntate, & audenda, & aggredienda, quæ ad tuam rem, dignitatem, existimationem tuendam, & augendam pertinere cognouero, idque cupio tibi persuasissimum. Genus est hoc voluptatis meæ in eorum beneuolen-

uolentia, & amore viuere, qui in vitæ rationibus nil timere nisi Deum, nil sperare nisi à Deo consueuerunt; & nisi quotidie præclarum aliquod facinus pro Ecclesia Dei, proque Orthodoxæ conseruatione veritatis, moliantur, vitam acerbam putant. In quo studio cum te sine vlla laboris & contentionis remissione versari quotidie videam, fit, vt quam tuus sum, magis esse meus non queam: idque tibi ἀγενίτειτος affirmo, quod mihi credas velim: Et vt magis etiam acquiescas, quod in vertendis Hosij Sanctissimi lucubrationibus desudasti, atque elaborasti, mitto tibi earum rerum commentariolum, quas in omni vita sua pro Christi gloriã, & Orthodoxæ fidei propagatione aggressus est, à me quidem crasso, quod aiunt filo ita conscriptum, vt sperare non debeam, quod quæ scripsi ęterna futura sint, ita tamen scripsi tanquam futura; ne labor meus ei viro defuisse videretur, qui labore suo saltem in patria nostra perfecit, ne Christi Ecclesia tantopere laboraret; ac vtinam sicut ait ille, numen habentia verba habuissem, aut quales Parijsatis illa in filijs suis requirebat βούσσεινα ῥήματα in thesauris nostris inuenire potuissem; planè omnes ad celebrandas tan-

tanti viri laudes effudiſſem. Sed tu rem ipſam ſat ſcio charam habebis: Verborum ornamenta,& eloquendi elegantiam Oſorio doctiſſimo, & noſtri olim amantiſſimo Epiſcopo (quem Hoſius Chriſtianum Ciceronem appellare cõſueuerat) relinquamus, & quam ſibi laudem, & natura & arte comparauit, eam illius propriam eſſe, & peculiarem patiamur. Factum hoc meum in optimam partem accipies, & ex eodem fonte profectum putabis, ex quo tota ratio ſcribendæ huius epiſtolæ emanauit. Iuridicam Theologiam tuam, cuius facis in Spongia mentionẽ, vidi nunquàm; ſed neque compendium, quo tamen nihil fuiſſet charius. Benè vale, & quod facis in vinea Domini laborare non deſine. Fremant licet inferorum portæ, caſtra ponãt, cruces figant, ęternum interitum, ita vt faciunt, tibi comminentur, nos comilitonẽ Chriſtum Crucifixum habemus. Sacerdos Chriſti ait Cyprianus, Euangeliũm tenẽs, & mandata Dei cuſtodiens occidi poteſt, vinci non poteſt. Det tibi Dominus ætatem quam mereris,& animum quem dedit conſeruet. Datum Venetijs Kalend. Nouembris Anno 1588.

ASCA-

ASCANIO COLVMNAE CARDINALI,

ET PRINCIPI ILLVSTRISSIMO.

Epistola XXXXIIII.

VERITAS oditmoras, Princeps Illustrissime, nec quidquam metuit aliud, quam taceri: Cum primùm ex Vrbe in patriam perueni, ad omnes occasiones aduigilare cœpi, quibus Illust. C. V. quod in Vrbe quotidie cõsueueram, in hoc quoque nostro Septẽtrione cultum, & obseruãtiam meam, omni abiecta cunctatione repræsentarem. Tum quod C. Vestræ omnes honores debitos putem, ob eam qua eminet generis, & familiæ claritatem; tùm verò etiam quod in C. V. magis semper virtutes, quam quos sustinet fasces, & purpuras suscipiendas existimandi. Versatur in oculos meis illa ita decantata, & omnium vocibus percele-

lebrata contentio, quam tu Princeps Illustrissime, adhibuisti, in celeberrima illa Salmaticensi Accademia, vt quam doctissimus, & eruditissimus euaderes; quo etiam nomine Catholico. Potentissimoque Principi Regi Philippo fuisti præcipuè charissimus Versatur & illa plena maiestatis, & dignitatis oratio tua, quam in Augustissima Lateraneñ Basilica planè Romanè (Romanè cum dico, rẽ iuste, prudenter, fortiter, & moderatè, vultu, manu, fronte, oculis, omni ratione, solerter, & eleganter actã intelligo) in laudem S. S. reliquiarum, cum eas e Sacris tumulis erutas, in intimas Indias iussu Sixti Pont: mitteres, ita recitata; vt, qui te nossent, supra ætatem sapere te dicerent; qui non nossent, Principem armis, & Imperio natum vix putarent. Versatur illa quoque singularis in Marcũ Antonium Columnam parentem tuum pietas principem rerum bellicarum gloria orbe toto clarissimum: cuius res in omni vita præclare, fortiterque gestas, ita grauiter, ita solerter, ita compendiose, supra consuetudinem principum, verbis, sententijs, omni ornatu, maiestateque redundantibus, ita descripsisti, vt omnino βουσσίνους λογοὺς quales Cyri mater in Principe requirebat:

rebat:siue βούσεινα ῥήματα vt Plutarchus loquitur, redolere viderentur.

Nō commemorabo salutationem illam suadæmedulla plenissimam, Cardinale, Principe, Columna, intelligentissimo, & eloquētissimo vero dignissimam (his enim enim verbis ex vrbe orationis illius Maiestatem atque vniuersæ actionis dignitatem amici mei ad me perscripserunt) qua Gregorium XIIII. Pont. Maximum in primo illo Basilicæ Lateraneñ. ingressu excepisti. Missas facio delicias tuas, illam videlicet mirificam, & omni antiquitate varietateq; redundantem, multorum librorum, & nummorum Bibliotecam tuam; cuius mihi non solū accessum, sed & vsum esse liberum voluisti: in quam ego, à curis publicis sæpe me solebā abdere: & cum optimis quibusque, & antiquissimis auctoribus dulcissimam inire familiaritatē: quorum adhuc acrem me esse amatorem profiteor. In summa. Ego te ad omnem laudē omnibus vestigijs contēdentem præcipuè elegi: quem omni meo studio, & obseruantia colerem: Tu me, & eum quem dixi animi mei cultum, ita vicissim arcte complexus es; vt nullam humanitatis tuæ partem desiderarem. Quo factum est; vt lucubratiun-

retur; quantum autem profecerim, vehementer me pœnitet. Hoc vnum accidit sanè commodissimè quod in patriã veniens, materiam in thesauris meis, pietate tua dignam reperi: qua tibi repræsentare possem vim ingentem desiderij mei, quo teneor, vt te mihi in perpetuum summa obseruantia deuincam, atque promerear. Genus hoc audaciæ nostræ, tuæ humanitati imputabis, & in nostra culpa, tibi ignosces. Nulli fuit vitio Deum & Principes colere, quoquo quis modo possit. Multa, ait ille, valde pretiosa videntur, quia sunt templis dicata. Facies tu vicissim, Princeps Illust. vt Rescium gratiæ tuæ cupiditate inflammatum, atque ad tuám beneuolentiam diligentissime contendentẽ, deinceps etiam in aliquo eorum gradu & ordine, licet absentẽ, numeres: qui te summa fide, pietateque colunt: in tuoq; patrocinio acquiescunt: nec vllo vnquam tempore, aut locorum intercapedine, cursum tuæ in me benignitatis, intercludi patieris. Ego verò Deum rogare non desinam, vt tibi det vitam quam mereris, & conseruet animum quem dedit. Illust. quoq; Principem, non tam tuam, quam omnium pauperum, & egentium parẽtem, & altricem,
 & te,

& te,tali filio Fælicissimam, summa dignitate,pietateque matronam,vna cum amoribus illis vestris Illustrissimis Principibus fratris tui filijs, fælicissimè, diutissimeque valere,florereq; cupio:optoq;

Vt vobis toto
Rideat æuo
Vitæ beatæ
Plena salutis

Datum Cracouiæ Cal.Ianuarij 1591.

STANISLAO
SOCOLOVIO.

Epistola XLV.



VID agam quæris? Vtrum in litteris an sine litteris viuam;& an isto quo sum loco vitam vitalem putem? Narro tibi, Nullam prouintiam, nullam vitæ conditionem fore talem,quæ me à litteris abstrahat; in quibus solis vitæ summam statuo, sine illis porrò viuere, viui puto, vt ait ille, hominis sepulturam. Reliqua vt sese dant accipio.

pio. Quæ me tellus teneat,quodve tectum à sole,& imbre defendat,magnopere non laboro;cum quocunque me verto, sine me nusquam sum, quo certè comite nil charius.Quotidianis quippè peregrinationibus, & hoc, vt ita dicam,desolutorio vitæ genere,quod nosti, ita occalui,vt eam demum patriam, ea sola tecta putem charissima,quæ me minus à me,minus abstrahunt à Deo.

Euocatus ex Vrbe à magno Rege Stephano, bis ab illo vicissim missus: eo vero ad beatorum sedes translato, bis iterum à Sigismundo, qui nobis fœlicissime imperat, intra paucos annos remissus sum in Italiam (Germanicas, & Gallicas peregrinationes prætereo) in quibus iam nescio, an non mille penulas, mille tabernariorum culcitras detriuerim: mille certe sappæ vappæque exhausi dolia, milleque confodi parijpas; mille vicissim podagris & chiragris ita confussus sum; vt nisi à litteris præsidium peterem,nisi me summorũ virorum fortitudinis exemplis recrearẽ, vnum me hominem omnium infœlicissimum putarem:quales ij existimantur,qui extra patriam, sine re, sine spe, sine sede, aut sibi graues, aut amicis onerosi ober-

rant. Sed quærimonias mittamus. Accipe huius quoque nostri temporis pensionem. Nolo hæc ad te sine censu veniat epistola. Graue est debere cui non vis. Tu Doctori Mineruali parato.

Effictū ex Ioue ramum. Relicta patria, illo quo scis tempore, illa ita valde aquis impedita, itaque lutosa via, vt videri potuerim nauigasse. Lipsij viri doctissimi quem recte posses dicere. πεπλασμένον ἐκ Διὸς ἔρνον, recusas epistolas regustaui; quæque de Constantia, deque ciuili doctrina, conscripsit, & stylū, & pugilares ad manum in curru semper habui; mireque ex illius lectione ad omnem sui constantiam, tùm incommodæ ferendæ valetudinis, quæ perurgebat, tùm reliquarum ærumnarum, quas fato quodam suo (iam enim id mihi per Lipsium dicere licebit) tabernæ offerunt pedecosæ animatus.

Confectis porrò tùm apud magnū Hetruriæ Ducem Ferdinandum, tum apud Clementem Pontificem, non ita pridem in Polonia legatum, Regis mei negotijs, correctaque nonnihil valetudine, per medias prædatorum, direptorumque acies, saluis meis omnibus Neapolim perueni; cuius vnius Vrbis amœnitate, ita valde recreatus

tus sum, ita mihi redditus,vt ærumnas nō ærumnas putarem,quas pertuli, sed errorum quorum culpa tenemur domesticam quandam correctionem.Narro tibi,Campaniam totam campos posses dicere Elyseos;Suburbia,Hesperidum hortos.Ipsam porrò Ciuitatem Deorum domiciliū immortalium : vel si dictum hoc insolens,aut datum auribus putas, Syrenarum Vrbem diceres mellisonarum. Quæ

Voce canora

Quaslibet admissas detinuere rates.

Nympha è vicina dulce canente Nysita,Et illa Troiana formosissima, delicatissimaque abblandiente Procita. Cui obiectus Misenus è concauo colle tibicen,stridentem acuens tubam. ad omnem hilaritatem dulce Syringa occinit. Eam porrò ne quis vnquam interturbet,Enaria, (Hischiam vocant) færacissima præstat Insula,Typhei quondam Centicipitis Gigantis Iouis icti fulmine nobilitata sepultura, Hinc imminent Capreæ , vbi Tyberius ; Hinc Baiæ, vbi Lucullus:hinc Puteolanū, vbi Pollio:ab altera parte Capua,vbi Hānibal,& vis Pœnorum maxima viri esse desierunt. Vrbis oculis obiectus eminet non amplius torquēs fumificos Vesεuus ignes

 (Sum-

(Summa vulgo dicitur) ſed cœleſti Iouis diſtendens nectare menſas, Nubigenaſque hilarans Deos: quem plane miror, quòd antiquitas Libero Patri Orgijſque ludis potius, quàm Citheronem Boetiæ ſacrum non fecerit. Hinc imminet quem æque vt Veſeuum ad te ſcribens proſpicio, totus fructificus, totus Ambroſius, vndiſque cinctus piſcoſis, cureque, mœroriſque, expers Pauſilippus. Cuius ipſe quoque

Iupiter ambroſia ſatur eſt, & nectare viuit.

Ficetis, Vinetis, Myrtetis, Oliuetis, Roſetis, Prunetis, Cæpetis, omnium arborum ordinibus, & omnium generũ Apyrinis fructibus, atque adeo Mareotidibus vitibus, biferiſque ficubus, ita conſitus atque diſtinctus, vt quocunque veſtigium poſueris, quo deorum hominumque cœnas inſtruat, ſub ipſis vireſcere, ſub ipſis illico naſci videas veſtigijs. Et quòd à me miraculi loco ducitur, cum totus ex omni parte collis videatur ſaxeus, ita tamen eſt naturæ benignitate contemperatus, vt & aratro proſcindatur ad ſementem, & vinitori cedat ad vitem, & vbique ſit herbidus ad paſtum, & totus tamen ſit ſolidus ad quoduis ædificium. Crede mihi modo non ipſa eius arantur ſeminanturque littora;

tora; Hic illa producit mala Punica, mala Persica, mala Cotonea, mala Granata, aurea de omni muro deque omni arbore mille pendentia mala, Strutea, Scantiana. Quiriniana, Cythrea, Mustea, Martiana, Verriana, Scardiana, Pannucea, Punica, Rubra, Prosciua, Syluestra. Hic Pijra, Tyberiana, Cucurbitina, Mammosa, Educa, Bergoma, Christiana, Anciana, Calculosa, Crustumina, Græcula, Laurea, Milesia, Neuiana, Tulliana. Hic Pruna cerea, pulla, peregrina, fratesca, quo etsi nouo, tamen vti verbo non dubitabo, quia verbis præsentibus, præteritis vti moribus iubemur. Hic Cerasa Durrecina, Syciliana, Campanica, Laurea. Hic ficus biferas, Africas, Augustas, atras, pullas, caricas, Caldicas, Chias, Marsicas, Rhodias, Numidicas, Pompeianas Serotinas, Herculeanas. Hic nuces pineas. Castaneas auellanas. Iuglandes, Græcas, Tarentinas, Ponticas, Moluscas. Omitto multa istiusmodi saccharo macerata, illos cedrides, rosaceosque succos, acerbissimarum febrium, dulcissima leuamenta. Omitto mille alias gulę, palatique illecebras, Echinos mullos, murices, ostreas Murenas Scaros ab Octauio in mari Campano, tãquam in

terra furges feminatos; Laudabunt ea qui quantum, Surentes vituli, Apulæque bidētes, aut Africæ, Indicæque gallinæ valeant adhuc ignorant. Sed hæc minora mittamus.

Si domo pes effertur, fi templum, fi forum, fi curia petitur, quocunque te verteris, in Heroas incurris, equis vt Homerus loquitur, ferro gaudentibus vectos; quos certe fi Bucephalis, fi Cyllaris, fi Seianis, fi Pegafeis, fi Licofpadis, fi illi Virgiliano fimiles feceris.

Stat fonipes, ac fræna ferox fpumantia mandit.

Non erraueris. Procedunt quippe.

Impofiti dorfo, atque equitem docuere fub armis.

Infultare folo, & greffus glomerare fuperbos.

Achilles omnes dixeris, generofiffimorum equorum, nobiliffimos agitatores, Animis acres, vultu graues, oculis hilares, manu ftrenuos, lingua promptos, habitu, cultuque corporis Dictatores, Humanitate præterea, omnique vrbanitate, & ciuilitate ita perpolitos, vt ipfæ eos delicatæ Gratiæ genuiffe, ipfæ in molli finu molles educaffe Charites videantur. Narro tibi, fi nunc quoque liceret Deos ex hominibus facere, ex hac effent Vrbe pet ēdi.

Tem-

Templa propè totidem quot Palatia, Palatia verò ipsissima Deorum delubra diceres, hortis ita distincta pensilibus, vt sui Semiramim sæculi valde puderet si viueret: Ipse profectò Rex Pheacum Alcinous obstupesceret.

Fora porrò rerum venalium vsq; ad miraculum populosissima, forum cupedinarium, forum Boarium, forum piscarium; forum olitorium, supra fidem hominum omnibus vitæ præsidijs ita instructa, refertaque visuntur, vt difficile sit iudicare: Cæreri ne plus debeant an Neptuno. Si Apelles essem, si Zeuzis, si Parasius, & expressos coloribus tibi mitterem plenos omnium generum fructibus, & floribus, inque ordinem medio foro distinctos, dispositosque Syriscos, Canistros, calathos, lento de vimine nexos, isto præsertim quo scribimus tempore, forum non forum, sed Medorum manu consitos hortos iudicares: quos vel ipse miraretur domesticorum faber hortorum Epicurus. Vicissim autem, si mellorum mille melonum funera, si melopeponum vulnera, si plebeiarũ, hic quoque possem effingere mortes cucurbitarum, Pigmeos diceres à gruibus in Vrbe cæsos Genarea.

Quic-

Quicquid vnquam potuit,quicquid po teſt Deorum hominumque cęnas inſtruere, quicquid omnino veſcum alma generat tellus, fora quæ diximus ferunt. Hic Plato ſi quæreret ficus inueniret: panem Homerus: vuas Arceſilaus: cæpas Ouidius: Olus Curius: Fabas Telemachus: Lupinos Prothogenes: Bulbos Philoſenus: Phaſianos Vitellius: Oua Galenus, oues Cacus: Peqones Clodius: Lactucas Pertinax: Tubera Agemachus: Carnes crudas Zeno: Piſces Ariſtippus: Betas Mabilius. Hic Octauius Mullum: Gallonius ſquillam: Philoxenes pulpum: Diocles ſcombrum: Thimocreon polipodem: Phiomacus murenam: Mitridates congruum: Atto echinum: Antrocides Scillam: Hic Magi Perſici farinam: Meotici milium: Attici ficus: Gimnoſophiſtæ poma: Arcades glandes: Parthi locuſtas: Longobardi ranas: Tarentini Oſtreas: Romani anſeres: Siculi caſeum: Chienſes pernam: Sarmatę bubalam: Traces orizam: Pamphlagonenſes caſtaneas: Regij bulbos: Siracuſani turdos: Beotij anguillas: Macedones thynnũ: Aegyptij colũbos: Getuli aſparagos: Hic Seneca polentam, Philippus placentam: Martialis leporem: Horatius turdũ; Horten-

tensius pauonem: Milo vitulum: Theagenes bouem: Plautus agninam: Henocrates vappam: Arcadio Chiarelli Centuleque vtres: Saxo, Battauusque, Greci Pausilippique cados. Ipse ad extremum Socrates non solum bellaria sua secundasque mensas, sed reliquos etiam cibos & potiones à se reprehensas inueniret, qui non esuriẽtes ad vescendum, & non sitientes ad bibendum irritant. Dij quoque in quo delectentur, quodque obsonentur habebunt. Ambrosiam Iupiter: damas Diana: Iuno nectar: Mars picum: oleum Minerua: Partæ stamen: Lyram Apollo: Ceres aristam: Bachus botrum: Merces Mercurius: Venus sal, & rosam: Bouillam Hercules, rapa Romulus: Isis anserem: Neptunus taurum: Aesculapius gallum; capram Faunus.

In hac tamen omnium rerum abundantia mirum est, quàm bene moratos vetres gerant istius cœli populi: Sæpius hic Nephalia quam Dyonisia celebrantur: Edunt vt viuant, non viuunt vt ædant; nisi quod ardente quandoque sole, vrenteque Leone, ad piscosos Pausilippi radices, siue Rege cõuiuij ad talorum iactum creato, sine cænæ triclinijque magistris, siue structoribus, potandique Modiperatoribus non cu-

curantes, vt Iuuenalis loquitur.

Quo gestu lepores, & quo gallina secetur.

Sub vesperam littoratur: non vndarum & calculorum causa, vt Plutarchus habet; non vt legumina vel capparim obsonentur; aut fluctus numerent; sed quod recentium piscium affluentia mensa redundet littorea; Sub ipsa quippe sedecula modo non dolabra pisces capiuntur, qui in conuiuæ manu mortui, postquàm oculos natãdo, & palpitando satiauerint, è mari trãsferuntur in mensam. Vinum è colo Geticis pleno pruinis petitur, Lachrymaque sepultis parentatur; non Saturni, quam esse Poetæ mare volunt; sed Vesuuij, cuius liquor Entheata facit pectora vatũ; quemq; in partibus suis Battauus ille non planxisse planxit. Ibi Palamedes causam dicere cogitur, cur aqua vinum vitiare docuerit. Ibi in controuersiam vocatur Archiponestãdum sit, qui ἴσων, ἴσω, par pari, lympham mero miscuit. An Alexidi, qui quatuor vini partibus vnam addidit aquæ. An Diocli, qui quatuor vini partibus duas aquæ. An Nicocharidi, quid duas aquæ quinque meri partibus. An Anacreonti, qui quinq; meri ciathis duos addidit aquæ. Menãdri certè sententia omnium calculis reproba-

tur,

tur, qui tribus aquæ partibus vnam iubet addere vini Ὑδροποσίαν porrò idem esse statuurit, ac à Baccho Liberoq; ἀποστάσειαν, πὺξ καὶ λὰξ facessunt. Ibi sextantem vnus, triuncem alius, alius postulat deuncem. Non derit qui & hæminam plenosque petat puri meri cantaros: Sunt qui istis ommissis potandi modiperatoribus, tot summenda pocula putãt, quot digitti sibi sunt in manu: alij quot amici, alij quot Principis sui nomen litteras in se continet. Alij quot cuique charissimo vitæ præcantur annos. Non desunt qui piaculum putant, haustus numeratos sumere. Sitim sibi faciunt occinentes. Bene nos, bene vos, bene me, bene te, bene valere, iubemus, amicos. Sæpe & Psallocitharistæ cynedicas suas tremulo ad littus, reddunt cantiones gutture. Vino pro veteri nouas. Sed tu hæc πάρεργα putabis.

Aquæ potionem. Defectioné pugnis & calcibus.

Longior essem si Necydalos vermiculos, Phrigiones, Sericariosue textores cõmemorare vellem; Sexcenta illi templa, imò Vrbem vniuersam quandocunque volunt sericatam faciunt. Quod profectò nũquam futurum Aurelianus Imperator credidisset, qui sericum vt aurum sua adhuc ætate, Vopisco teste, pensabat.

Præ-

Prætereo vicos Argentariorum, quos ſi nunc C. Gracchus, aut L. Craſſus, aut ille Druſilianus Claudij ſeruus ingrederetur; & illam ſuam ita celebratam Lancem quingenariam; & Scyphos centum ſeſtertijs; & Delphinos quinis millibus; & Trullas, & paropſides, & vaſa vinaria, & multorum millium venales abacos inueniret; quorum artificium, vel ipſi ita dilaudati Cælatores. Mentor, Zopirus, & Therictes mirarentur.

Si porrò mali quod obrepſit, ſi quod è tantis Lubentijs vitium valetudo contraxit, ipſa viciſſim ſui læna natura medicinam eſſe præſentem voluit. Campi adſunt phegræi.

In quibus humanæ deficit artis opus.

Cerebrum forte laborat, Aſtrunum dedit balneum; Pectus æſtuat, Tuncariæ parauit lauacrum: Stomachus lãguet, in Plagis natato: Calculus premit, in petram te immerge: Phtiſis imminet, Orthodonicã adhibe lotionem: Praua perurgent, Symptomata, in Tripergulis lauato: Quartana coquit, Aquas intra ſubcellarias: Podagræ propterea fortaſſe natura medicinam nullam reliquit, ne vita nobis ſine aduerſario flacceſcat; neve non fortes niſi illam for-

fortiter ferremus videremur. Summa eſt. In alijs laboraſſe in his formandis, fingendiſque oris luxuriaſſe mihi natura videtur; Cyclopem vt eſſe immanem oporteat, ſineque mente & oculis hominem, qui in iſtis naturæ ludis & amœnitatibus in his vitæ Lubentijs, & Gratijs non tam ratione, quàm ipſa ducente, titillante, auriganteque natura, non acquieſcat. Quid agerem? Fractus ſum fateor, Argumento eſt, quod inuiſam olim deſidiam, nunc amare occipio; cum in tam amœna ſcribendi materia Nymphis cinctus, & Gratijs, breuiores ad te mitto, quam velles, tanquam delicatus: longas expecto tanquam ocioſus. Nil enim eſſe ſolet aut pigrius delicatis, aut ocioſis curioſius. Quodque magis mirere iam hoc tempore, non pœnam podagram, ſed frenum, ſed monitionem quotidianã ſtatuo, ne in vitæ ratione erremus: ne gulę, ne ventri parentemus. Poſt tot tẽtata remedia, poſt excuſſas omnium Medicorum arculas, hic mihi demum imperaui, mali medicinam non quærere. Quid enim quæram quod natura nõ dedit? Nolis, ait ille, quod non poſſis. Et hoc inter voluptates eſt quod dolor meus ſibi tandem acquieſcit; non multa imperat; nemi-

ni

pi molestus est, non vnctiones non balnea extorquet.

Non mea vina niues, nec fert mea mensa culinas.

Non aliud mihi remedium quæritur, quam temporis, Nonne & Vipera fit medicina? Nonne & tempestas suas habet vtilitates; dat certe piscatoribus ferias? Pedes podagra præmit, sed ego cursor nō sum: manus occupat, non sum faber. Si deiectum iacet corpus, stat erectus animus. Disco, quæro, audio, recordor, res magnas diuinas, mente & animo percensco: quandoque etiam podagricos numero, Gliconium, Tyrannionem, Diodorum, Narcissum, Ennium, Vatiniu m, seruum Clodium: Grego. Nazian. Grego. Magnū, Cosmum, Fernesium mille alios.

Si nec ista vis doloris permittit, rē agere, magnā videor, si moderate fero. Quod nocet docet, ait ille. Illo potissimum tempore Deum, illo se sc podager esse meminit hominem. inuidet nemini, adulatur nemini, admiratur neminē, calumniatur neminem, opes contemnit, honores negligit, amores odit, horas, tantum numerat, & amicos. Hęc summa podagrico curarū: gulę imperare, parcam cœnam sumere, vi-

na

na promittimus niuibus non diſtinguere: voto quiſq; ſtatim fit optimus: meliorisq; vitę incipiũ, dum vritur, meditatur; prorſus vt optandum ſit, ita viuamus incolumes ſicut nos victuros, & promittimus, & vouemus, dum dolore euiſceramur. Vnam adhuc aiunt, & ſolam ſpem podagrico poſitam, in amici lachrymis, noſtros dolores dolentis, quibus ſi liceat pedem ardẽtem inungere, fore nobis vt volumus pollicentur. Niſi quod vereor, ne ſicut laudata virtus, ita laudata creſcat podagra, & iam titillat. Finem itaque facio.

De reliquo noſtro tempore quod ſcire deſideras, ſic accipe. Rem meorum Principum ſumma qua poſſum quaque expedit cura, & contentione clarigo. In diligẽtia plurimum poſitum video: ſed & in fortuna, Labori itaque & euentui lito: niſi quod mihi res eſt cum ciuitate acerrima, quæ lites vt Deos habet immortales; & in qua nummus moueri nullus poteſt, ſine quinq; vt ait ille, Prætoribus, tribus quæſtoribus, quatuor Menſarijs, qui à Rege Philippo Regis mei affine creantur. Quo ſim loco vides, quamuis iſta quoque moleſtia prudentiæ bona mater. Ε῎ξ ὧν ἔπαθες ἔμαθες A quibus læſus, ab his doctus.

Quicquid autē otij à negotijs supereſt, litteris tribuo, ſępe oculis, auribus vt plurimum ſtudeo: omnibus inquiro veſtigijs quod me poſſit facere meliorē, Diſcēti oritur dies diſcenti cadit & dies. Viros frequēter eruditos adeo, Voco ſępius, & quia cōfragoſa in faſtigiū dignitatis via eſt fixa ſtat ſentētia, inter humile obſequiū, & abruptā contumaciā, vt de Corneliano lepido loquitur Tacitus, pergere iter ambitione, ac periculis vacuum: quæ tu mihi quæſo eſſe perpetua velis. Ineſtimabile bonum eſſe non ignoras, ſuum fieri. Ego verò frequentiores abs te deinceps exſpectabo, more illo tuo elegantiſsimè copioſiſsimeque ſcriptas, de rebus planè omnibus, publicis, priuatis, vrbanis, ruſticis, prorſus vt ne quid rerum etiam tuarum ignoremus. Hac vna re nil feceris gratius. Vide autem, quam de te præclare ſentiam. Nil in omnibus horis tuis ineſſe puto, qđ abſcondas. Σωώδηπτους tuos illos quotidianos ex me ſaluere iubebis, qui ſunt, qui futuri ſunt. Et Simonidem noſtrum omniū Charitum, Gratiarum, Nympharum, Syrenarumque nomine Neapolim inuitabis. Noſtrum enim nomen vix apud illum tanti, qui ne Andreouiam quidem. Vale, Neapoli Idib. Auguſti 1592.

LAV-

LAVRENTIO MAGGIO SOCIETATIS IESV.

Epiſtola XLVI.

PODAGRAE viſum eſt terræ vicinam corporis partem occupare, non occupet cęlo Deoq; proxima. Omnis abiecta mihi cogitatio de illius curatione eſt. Has oras, has Nymphas, has Syrenes, hos Flegreos campos, has Thermas putabam fore, vt ali quid leuationis adferrent, illa ipſa præſer tim duce auriganteq; natura. Nil minus. Quid igitur quærar? quid ima ſummis miſceam? Natura execundum eſt ſi vis inuenire, Natura quod negauit. Non dedit illa medicinam. Non quæramus. Nolis quod non poſsis, ait ille. Iam eſſe propterea inter voluptates incipit, quod non ita multa vt ante imperat, nō vnctiones, non frictiones, non emplaſtrationes, non balnea, non ſuffimenta. Poſt excuſſas omnium Medicorum arculas, totā curationis rationem

ad κατάβυοσιν, καὶ κυλιολισιαν reuocaui. Vnctionis loco liber est, & pugillares. Frictionis. Eiulante me ridens amicus. Balnei, culcitra in terra, & ego in culcitra. Natare videor dum volutor. Gestatio, & sedecula quandocunq; recreat. Quandoq; litus lego, cum præsertim ad capiendas lacertas non sunt tempestates idoneæ. Habes nostræ valetudinis rationem.

Tuæ partes erunt, Dei altissimi serue fidelissime: postquam nos sic amas, vt amas saluificũ illud Iobi patientissimi emplaustrũ nobis à Domino, cui iamdudũ tuæ notæ orationes, impetrare; tũ & patrocinijs & orationibus B. Michaelis Archangeli, & B. Thadei Apostoli præcipuè commendare, quorum iste Abdum Abdi filium; ille Probianum Magni Constantini Medicũ, acerbissimis (quales nostri) podagræ doloribus oppræssos, pristinæ sanitati restituit. Plures enim ab ista peste sanatos, legisse me non memini: idq; vt facias, sic abs te peto magis vt non possim. Sic te quoq; Iesus, sub cuius vexillo militas, & à podagra, & à reliquis malis omnibus tueatur. Dat. Neapoli Kal. Octob. 1592.

FRAN-

FRANCISCO BENTIO SOCIETATIS IESV.

Epistola XLVII.



O Ponderosam tuam, Benti, sæpeque legendam epistolam: quantum honoris significantem: quantum amoris? Ne viuam si multos ita cupidos, ita nostri studiosos, æquè ac te obseruantes habere me existimo. Ipsa quoque abs te missa mihi salus, non queo explicare, quantum ad me refouendum habere visa est firmitudinis. Crede mihi οὐ ψύδει τέγξω λόγον nil esse hoc tempore tanti. Equidem amaui me vnquam, sed quando sic abs te diligor, tempus est, me quoque ipsum à me iam amari: cum autem tu me diligis serue Dei, noui qui me diligit, quia qui in te habitat noui. Quo magis deinceps vel mirari vel stomachari desines, si hac ipsa de re & sępius tecum adhuc egero, & ardentius. Nō mē dacio tingo sermonem.

Intemperatiorem me esse fateor, in hoc cupiditatis genere, ab ijs viris amari, qui ipsi nil amant nisi Deum, nil sperant nisi

à Deo. Te igitur magis etiam acues, cum quid curẽ vides. Ego verò, & fronte, & mẽtè tui me vicissim studiosum declarabo, vt mea erga te voluntas, plane par tuæ sit, atque mutua: idque tibi omni asseueratione affirmo, quod mihi credas velim.

In litteris ad eruditissimum virũ Lipsium, video nullum genus abs te laudis meæ prætermissum, omneq; in eo esse sermonem, vt nostræ seruias existimationi: & ad vestram amicitiam tertium agglutines. Narro tibi. Homines visi sumus. Siue enim de nobis, ita vt scribis iudicas, siue erras, me delectat. At ne sis nesciens, Bẽti, mirum est, quam me pœniteat, quod magnorum laborum, multarumque vigiliarum non cum quem tu putas ex litteris fructum cepi. Legationibus enim impedito, & quotidie fere γὴν pro γῆς, in hoc quasi desultorio vitę genere, & defuit hucusque, & adhuc mihi opera deest: quæ non modo tempus, sed etiam animum ab omni cura, negotioque vacuum desiderat: aut certe confici nil potest, quod magnis viris placeat. bonorumque sit neruorum. In lucro igitur ponimus, quod te quoque iudice, non simus tamen dedecori studijs, optimisque litteris: in quorum etsi adhuc li-

Terrā p terra.

mine

mine ſedemus,dummodo vel in limine ſedemus, dummodo vel in limine ſedeamus. Magnum, ait tuus Anneus, ſapientiæ regnum,cuius vel ipſum venerabile veſtibulum. Liceat nobis in litteris multa velle. Tu certè multa potes,quæ qui dedit Deus eſſe tibi perpetua velit.

Quod breuitatem litterarum excuſas, ob nouum annum docentibus exorientẽ. Diſcentibus quibus gratulor, quod Doctorem nacti ſint, qui tempore docẽdi nil diſcendum habeat: & à quo nil velis diſcere, quod docere non poſsit:

τὸ διδάξασαι δὴ τοι
εἴδοτι ῥαίτερον

Doceṙe q̃ perpeṙto facile.

Epiſtolæ porrò breuitatem, quam excuſas, non poſſum me dicere non moleſte ſed ferre. Summi mnnus hoc quoq; amoris eſt, negare veniam breuibus litteris, quamuis ſcias amico facti conſtare rationem. In tuis Martyribus (ò mihi γλυκὺς κρητὴρ ἀγαφθεγκτων ἀοιδῶν) verſor hoc tempore. Adhuc ne dices? Ita eſt, Benti,eam ego reuerentiam, tum litteris, tum ſcriptis tuis debeo,vt ſumere illa niſi vacuo animo irreligioſum putem. Regenda porrò valetudine mea, habeo negotij ſatis. Dolores illi,penè quotidiani „quos

Dulcis crater bene ſonantiũ carminũ.

dolentibus oculis nuper inſpexiſti, non modo vt quieſcam admonent, ſed etiam iam repræhendunt, qđ non ſemper quieuerim: aut eo iam dudum ſeceſſerim; vbi me interpellet nemo, diligant omnes: Sed ne te crucies anime mi, iam vtcunque cucurbitas chiragra manu pingo, vel è ſedecula canos fluctus maris murmurantis numero: illud ſubinde cogitans, quod ſapientia non pedum, aut manuum, ſed animorum magiſtra eſt. Vt difficile eſt vacuum eſſe, inter tot occupatos; ita firmum eſſe inter tot delicatos. Tu ſi me, vel ſtare, vel recreare voles, & ſæpè & copioſe ſcribes. Neque putes me magis abs te res nouas, quam litteras tuas expectare: Ita intimis hæres medullis. Da igitur operam, ne vlla hora tui ſaltem operis ſit mihi ignota. Ego ſi ſomnum σύγκοιτον γλυκὺν capere poſſem, nec enim vel quantum luſciniæ dormimus, te tam longa ſcriptione non obtunderem; Tibi ſi eadem cauſa eſt, me remunere velim, Deū præcor, vt & tibi, & vitæ ſocijs omnibus quos noui, quouſque non noui

Cōcubitorē ſuauē.

Bona ſuꝑ bonis opera velit dare a creſcq; morbos ꝑpulſet.

Ἐσλὰ ἐπ' ἐσλοῖς
Ἔργα θέλοι δ' ὁμὸν ἐξεῖ-
ας, δὲ νόσους ἀπαλάλκοι

Vale

Vale Neapoli Nonis Nouembris. 1592.

THOMAE GALLETO SACERDOTI CONGREGATIONIS ORATORII.

Epistola XLVIII.

SALVTEM quam litteris appinxisti, fore mihi puto salutarem: Amo amorem tuum, in quo cum ita sis liberalis; audebo abs te contendere, vt non solum ames sed etiam diligas. Intemperantiorem me esse fateor in hoc cupiditatis genere, ab ijs viris diligi, qui nil diligunt nisi Deum, nil sperant nisi à Deo: quo magis te acues, nosque in tuis esse voles intimis: & vniuersum illud seruorum Dei Seminarium, ex quo ego mirificas vtilitates ad Ecclesiam Dei redundaturas, olim speraui, nunc oculis vsurpo: ijs verbis saluere videbis: quibus vtimur, cũ quid diligentissimè agimus: obsecrans in

ſecura eſt. Multa debent riſu reuinci, ne grauitate adorentur. Sed quid ego iſta in ea domo garro; vbi Philippus, vbi Taruſius, vbi Syluius, vbi Baronius, vbi Thomas, vbi tu, vbi reliqui illi ſerui audiunt, à quibus diſcere nil velis, quod docere non poſſint: quorum quiſque vbi in ſacris litteris, abditum quid quæritur, Theſaurus eſt. Niſi quod nemo proficiens erubeſcit. Tu verò rectè his menſibus Neapolim reliquiſti, Omnia conuerſa videres. Dies nũquam patens, ſol nunquam liber, vnus aer nebula. Totum tempus hybernum. Omne quod flat aquilo eſt. Det tibi Dominus vitam quam mereris, & conſeruet animum quem dedit.

Mitto quæ de Neapoli poſtulaſti. Cum legeris per illas ipſas feneſtras deicias licebit, quæ tibi legenti lumen miniſtrabũt. Addidi, quæ quondam de noſtra Polonica Confœderatione commentatus ſum: ad omnem illi inter noſtros homines conflãdam inuidiam. Illa quia poſtulaſti, hæc vt tua eliciam. Vale, & nos quid facis ama. Dat. Neapoli Kal. Maij 1593.

IACOBO BRZEZNICIO EPISCOPO ENNENSI, SVFFRAGANEO POSNANIENSI.

Epistola XLIX.



VRVM & illiberalem exactorē. Iam vereor ne graues nisi pareo pares pedibus pedicas. At illi iā nostri esse iuris desierunt. Podagræ parent. Illa nemini: quo factum est, vt non omnem illico Neapolim lustrare: non omnia quæ scire desideras obseruare scribereque potuerimus. Accipe tamen quod flagitas. Graue est debere cui nolis.

Multa te, ais, audiuisse de pietatis operibus, quæ in egenos, vel in sola sancta domo B. Virginis Annunciatæ Neapoli exercentur. Narro tibi, plura non audiuisti, quæ vix mihi quisquam vt crederem, persuasisset, nisi his ipsis quæ manum scribentem dirigunt, illa quę dicemus omnia oculis vsurpassem. Rectè tu porrò Domum Sā-

ctam appellas. Nam si Hospitale dixisses, parum dixisses, si xenodochium, parum dixisses, si Prochotrophium, parum dixisses, si νοσοκομεῖον, parũ dixisses, si γηροτροφεῖον, parum dixisses, si παιδοτροφεῖς, si parum dixisses, si παρθεῶνα, parum dixisses, si simul omnia, nondum dixisses omnia. Magis quippe in recessu latet, quam in fronte patet: quod ipsi quoque qui regunt, quique rem administrant domesticam admirantur. Accipe quæ vidi, & da gloriam Deo. Alit ea vere sancta Domus, vt ab infantia incipiam, & ad extremam perueniam senectutem, septem fere nutricũ millia, menstruumque in singula capita soluit stipendium. Illæ porrò totidem vtriusque sexus infantes, vel oblatos, vel expositos, inque domum receptos vberibus suis nutriunt; curamve de educanda illorum pueritia in timore Domini tantisper sustinent; dum ætate progrediente, alij ad bonas prædicendas litteras à Rectoribus adhibeantur: alij ad Mechanicas artes, alij ad templi, alij ad domestica ministeria & officia, alij ad reliquorũ, quos ea domus alit egenorum & ægrotorum curam & custodiam deputentur; ita vt ab ipsis pene incunabulis & domum & rem vniuersam dome-

ſticam tractare tanquam ſuam, amareque incipiant: progrediente verò ætate, ita deinceps fideliter adminiſtrent, vt alienã; ita diligenter, vt ſuam. Nemo prorſus ſui iuris eſſe permittitur, niſi vel liberalibus diſciplinis, vel mechanicis artibus mancipatus, aut ſuis reſtituatur Parentibus, è Rectorum poteſtate liberatur: quorum omniũ nomina, ætates & officia in libros referuntur: diſcendentibuſque iniungitur, vt pro Eccleſia Dei, pro legitima poteſtate, proque loci domuſque conſeruatione & augmento, ſingulis diebus certas ad Domimum præces fundant. Puellę porrò intra clauſtra domus, ſumma adhibita cura, cautioneque nutriuntur, quas ferè 1500. vidimus, in quaſdam claſſes pro ætatis diuerſitate per contubernia diſtributas: quibus ſingulæ præſunt graues & bonis plenæ exemplis compatique ſcientes matronæ, horas ſingulas ita diſponentes, vt aliquis ſemper fructus ad teneram ætatem redundet. Doctrina quotidie Chriſtiana recenſetur: ſtatæ orationes ad altaria, quæ ſingula in ſingulis erecta habentur cubiculis, omni cultu & elegãtia perpolita; diu noctuque celebrantur. Conciones piæ de Chriſti Dei noſtri benefi-
çijs,

cijs, deque matre eius intemerata Virgine Maria, sanctorumque diuersa certamina cantillantur, quibus teneræ mentes ad amorem Dei magis etiam accenduntur. Confessiones & communiones celebrantur. Multæ pios legunt libellos. Multæ officia diuina persoluunt, artem sæpè Musicam precibus & sacrificijs intermiscentes. Cum autem, quæ Dei sunt Deo reddiderunt, ad operas distribuuntur. Aliæ domestica ministeria obeunt, aliæ alias bonis litteris erudiunt: aliæ linum, colum, fusum, lanam tractant, pleræque nent, pleræque acu pingunt, farciunt, lectos, mensas sternunt aliæ. Nulla prorsus hora vacui operis relinquitur. Omnes in vniuersum candidis decentissimè vestiuntur. Cum adoleuerint, optio datur singulis, vtrum in flore Virginitatis Deo velint in aliquo seruire Monasterio, an matrimonio iungi. Si posterius eligunt, 60. ex illis, annis ferè singulis elocantur. Dos attribuitur, Deo omnium orationi commendantur, & dimittuntur. Sunt quæ habitum ferre, vitamque intra claustra domus Monasticam, viuere elegerunt, quarum plerunque numerus ad 120. ascendit. Elocant prætereà quotannis Domus Sacræ Recto-

res, Centum alias puellas egentium ciuiũ, & accolarum filias, bonum testimonium habentes, attributa 60. Ducatos dote. In subsidium quoque rei domesticæ ad 40. Morbis quoque & febribus oppressos, magna fouet sustentatque charitate, quorum numerus ad 700. quandoque ascendit, per sua cõtubernia dispositos. Adsunt præsentes & industrij Medici, venam tangunt, quam cuique congruentem putant Medicinam, victusque præscribunt rationem, quibuscunque tandem horis. Descripti porrò & Assistentes Ministri, illico omnia prouident: nec quicquam prorsus deesse ægroto patiuntur, etiãsi multarum sit impensarum, siue cibus, siue Medicina. Vilissima quoque obeunt multa cum charitate ministeria, nullas sordes, aut fætores nauseantes. Et cum totos dies in ægroti cura, vsque ad lassitudinem posuerint, noctes quoque totas sæpius agunt insomnes, ad omnem vsum & necessitatem ægrotantis vigilantes.

Non desunt Sacerdotes, & alij pij viri, qui grauius afflictos, ex verbo Dei & Sanctorum exemplis consolantur: qui Confessiones excipiunt: viaticum offerunt, animãque transeuntem Deum Omnipotenti com-

commendant. Habent ſua quoque hoſpitia vulnerati. Medicos, Phyſicos, Paracticos, Chyrurgos, Pharmaca, Vnctiones, Emplaſtra, & aſſiſtentes, omniaque curantes Miniſtros, nulla horrētes vulnera, nullum miniſterium detrectantes. Victus ad præſcriptum paratur, cuiuſcunque is ſit pretij. Qui ſanitatem recuperāt, nummis præ tereà donati dimittuntur. Qui porrò ex morbis conualeſcunt, cum alia cura alijſque cibis & aere indigeant paulò liberiore: hoc quoque ne deſit indigenti, ſumma Rectorum pietate prouiſum ēſt. In aliud Hoſpitale vel curru, vel ſedecula deferuntur, quod impenſis eiuſdem Sacræ domus ad ſolos recipiendos conualeſcentes propè Eccleſiam Montis Caluarij exædificatum videtur, vbi pari cura pietateq; ſuſtentantur, veſte, cibo, cubiculo, prout fert ratio melioris valetudinis, vtentes. Non ſatis hoc. Si forte qui Thermis, balneis, aut aquis calidis, vel ſudatorijs indigent, eos Puteolanum ad Campos Flegreos mittūt, inq́ue domo, ad eum extructa finem, pari cura pietateq́ue per ſuos miniſtros alunt, fouent, curant, ſuſtentant, nullis parcentes impenſis, nullum genus curæ, medicinæ, charitatiſque prætermittentes.

Similem aliam domum erexerunt ad radices Vesuuij, siqui fortè conualescentes, aura indigerent ſicciori. Carceratis quoque egentioribus, bis in ſeptimana, panem vinumque miniſtrant, & ſi qui ob tenuiora debita tenentur incluſi, ſemel in ſingulas hebdomadas recenſentur, ſolutaque creditoribus pecunia, fædis vinculis liberantur.

In redemptionem quoque captiuorum, multa quotannis erogantur aureorũ millia, vt vel è graui ſeruitute Turcica miſſa Algerium pecunia, redimantur, vel è moleſtiſſimis Triuemibus, quamplurimi liberentur, ſuæque quiſque reddatur libertati.

Sunt qui diligentius in tota Ciuitate expiſcantur, ſi quis ad extremam delapſus ſit non ſua culpa egeſtatem, ſiue ſit ex equeſtri, ſiue ex honeſtorum gradu ordineque Ciuium; ſi filios, ſi filias habeat, quę vel erubeſcant, vel ob conditionẽ, non debeant oſtiatim mendicare: ijs quoque è theſauris Sacræ domus parata ſuccurritur pecunia.

Audiuimus quòd in nobiliores perſonas opibus lapſas, & mendicare erubeſcẽtes, centum aurei nummi in ſingula capita, ſingulosque menſes erogantur.

Mo-

Monasterijs quoq; egentioribus sexus vtriusque menstruo succurritur subsidio, quæ vel nullos habẽt reditus, vel ijs est nu merus personarum,vt victus in diem emẽ dicatus non sufficiat.30.& 40.quoque Ducatos menstrui in singula pia loca impenduntur.

Idem præstatur Charitatis officium in ea quæ fixis carent reditibus Hospitalia, vel his similia pauperum & egentium receptacula.

Peregrinos & aduenas multos ea quoq; Domus recipit,& in tertium,quartũ quan doque diem tectum & victum ministrant. Sacerdotes præsertim exteros, quos vagari per tabernas & hospicia publica vel ege stas, vel conditio non permittit.

Officinam Aromatariam, præstantissimo quouis Pharmacorum & medicinarũ genere habet instructissimam, vnde egentioribus quoque Monasterijs & Hospitalibus,quàm liberalissime succurritur. Ipsi etiam Neapolitani Heroes malunt inde medicinas emere, quam è meritorijs tabernis,ob præstãtiam Pharma corum,quæ exquisita cura statis temporibus conquiquisita in Sacræ Domus vsum comportantur.

Si annonæ caritas occurrit, mira charitate ſuccurritur egentioribus, diſtributa per domos perque familias neceſſaria annona, non in ipſa tantum vrbe, ſed per vicinos vicos, agreſtiumque hominũ contubernia, prçcipuè verò ſubditis S. Domus nil vnquam deeſſe patiuntur.

Singulis etiam diebus in eos, qui ſtipem vagabundi petunt ad 30. Ducatos eleemoſyne nomine expenduntur.

Sabbatis porrò ſingulis in 1000. fere perſonas vndique confluentes 60. circiter vel 70. Ducati numeratæ pecuniæ diſtribuuntur.

Annuatim porrò ad duo millia extraordinariè conferuntur in externos & aduenas egentes, & præcipuè Sacerdotes, ſenectute, vel inopia præſſos, quibus liberaliter ſuccurrere præcipuum Chriſtiani hominis munus optimi Rectores arbitrantur.

Alit porrò ea domus pro ſeruitio pauperum proque neceſsitatibus domeſticis, tam Officiales qui præſunt, quam reliquos, qui miniſtrant, vtriuſque ſexus ad 1000, perſonas, quibus non contemnenda menſtrua Salaria numerantur, quæ aſcendunt ad quinque millia Duc.

Accipe

Accipe quod dico. Sat ſcio obſtupeſces, Aluit hæc Sacra Domus anno proximè præterito 126369. ægrotorum, à Kal. ſcilicet Iulij 1591. vſque ad Kal. Iulij 1592. quorum nomina & cognomina è Rectorũ publicis codicillis deſcripta, oblata ſunt non ita pridem Viceregi Neapolitano, multorumque voluntatis magis etiã ſunt ad ſuccurrendum; inflammatæ.

Sed iam templi quoque dignitatem & gubernationem videamus. Suſtentantur in eo, dictæ domus impenſis ad 60. Sacerdotes & 30. fere clerici, qui in cultu diuino & Eccleſiæ cura, quottidianas operas præſtant, Deoque debitas laudes ſumma perſoluunt diligentia. Mira vt ſit vbique mundities & nitor, ſumma itidẽ cura prouident: ys in victum quottidianum, panis, vinum, & carnium portiones diſtribuuntur, Cubicula prætereà ſatis commoda, & annui 42. Ducat.

Præeſt autem eis vir maturus, Sacriſtanum vocant, cui centum annui numerantur. Clericis præter victum Ducat. annui 14. & alba toga. Præceptori eorum, qui in bonis litteris inſtruit Ducat. 60. & Muſices Magiſtro 24.

Præter hos, alit Muſicos non paucos ar-

tis peritiſſimos, in quorum ſalaria mille Duc.annui penduntur. Illi porrò quotidie partim Gregoriano, partim fracto, & delicatiore cantu conſuetas Deo laudes in templo perſoluunt. Et ne vnquã cultui diuino verbo, & opere potentes Miniſtri, & Sacerdotes deſint,alitur quoq; Seminariũ ſtudioſorum adoleſcentum 24. qui in pietate in primis, optimisq; litteris, iis præſertim, qui Sacerdoti exiſtimantur neceſſeriæ, magna inſtituuntur diligentia, omniaq; vitæ, & ſtudiorum præſidia miniſtrantur.

Sunt in hoc templo reliquię Sanctorum non paucæ, & inter alias, trium infantium Herodis tempore occiſorum corpora pelle ſatis adhuc integra viſuntur. Sanctorũ argenteæ imagines,magniq; põderis lampades multæ, calices aurei, cruces gẽmis diſtinctæ, & ponderoſa candelabra. Aulęa ſerica, pleraq; auro inter texta propè infinita expenſa viſuntur,quæ totam Eccleſiam ſericatam faciunt.

Sed huic quoque rei charitas prouidit Chriſtiana, quæ omnia ſuffert, omnia audet, omnia cogitat, omnibus occurrit,ne mutua indigẽtes pecunia fænore grauentur, aut creditorum opprimantur iniqui-

tate

tate. Quamobrem erectum est, quasi publicum quoddam egentium ærariũ, Montem pietatis vocant, nomine prorsus rei cõueniente, vbi sine fænore præmioq; mutua datur pecunia, pignus aliquod offerrentibus, quod tamdiu summa cura asseruatur, dum restituta pecunia redimatur, & si intra annũ non redimitur, pignus venditur, pecunia mutuò data ærario redditur, quod superest pretij, Domino cuius pignus erat assignatur. Multa ibi aurea, & argentea vasa visuntur, infinitæ propè lineæ laneæq; vestes, peristromata innumera, quæ omnia existimantur ascendere ad summam quattrocentomila Duc.

Et hæc quidem oĩa quæ diximus, Christianæ pietatis opera, in eadem B. Virginis Annunciatę domo, summa cum Ministrorum, & Gubernatorũ charitate exercentur, quorum vnus ex equestri ordine Capuanæ tribus, reliqui è populo quatuor, singulis annis die S. Petri eliguntur. E quorum sermone hoc quoque accepimus, quòd reditus annui Sacræ domus ad centum milia Duc. sed expensæ ad centũ octuaginta milia ascendunt, quæ ex piorũ eleemosynis colliguntur.

Accidit ante annos 12. vt inopinato

quodam casu superior ędiũ pars igne contepto conflagraret. Incendium hoc non publici ædificij ruinam, sed priuatarum quisque facultatum suarum amissionem arbitrabatur; tantaq; vniuersæ Ciuitatis ad reficiendũ ædificiũ alacritas cõsecuta, vt pro 600. aureorũ damno, quadraginta millia pro vsibus ambustiHospitalis, intra vnũ mensem comportata videretur. Spectaculum plenũ pietatis cernebatur, cum quasi instructa acie, Cementarii Calcem, Lignarii ligna, Lapicidæ saxa, Vitrarii fenestras, Fabri ferramenta, & irremuneratas operas ministrarent, Telam textores, Vestem sartores, Aurifices argentea, Lignarii vasa vtensilia, Lanij carnes, Salsamentarij pisces, & lardum, Agricolæ frumentum, reliqui reliqua. Sed & oppida vicina certatim, quo quisque præsidio poterat succurrebant. Vis prætereà pecuniæ maxima, tum à nobilissimis Equitibus, tũ ab Argentariis, Campsoribus, & Mercatoribus submittebatur.

Paucis deinde annis interiectis, publica quædam lues, pesti non absimilis Neapolim peruaserat. Tantus factus est ad domum Sacram ęgrotorum concursus, vt intra mensem vnum, cellæ omnes penuariæ va-

vacuarentur, lociq; Rectores deminuēda ægrotorum turba, deliberationē instituerent. Interim venit senex quidā albis vestitus, monuitq; vt cistam ferream ad fores templi propositam aperirēt, nec egenorum curam desererent. Inuenta sunt in cista, aliquot aureorū millia, vnde abundè succursum est omnium necessitatibus, sene statim disparente.

Planè asseueramus domum istā, officinam quandam esse piorum operum, sedem Christianæ charitatis, arcam pauperum, certissimum egentium domicilium.

Sed nec alia desunt in hac ciuitate, summi in Deum, inq; res diuinas amoris argumēta, omni laude admirationeq; dignissima. Recensentur augustissima tēpla plura quàm trecēta. Oratoria per omnes vicos, & plateas frequentissima. Capellæ in singulis ferè Palatiis innumeræ, auro, argento, auleis sericeis, omni suppellectili, super reliquarum vrbium consuetudinem instructissima. Nitor vbiq; summus, munditíes & ornatus altarium, diuino cultui conuenientissimus, illumq; decorem imitatus, quē se Dauid in domo Domini apprimè dilexisse gloriatur. Diuorum imagines & martyria, cæteræq; res eorum ge-

stæ,

ſtæ, ita pictæ, vt ipſe profectò Apelles victam artem ſuam fateretur, ſi viueret. Pleræq; etiam eo ſculptæ artificio, quales in æde Sacra Montis Oliueti, non paucæ viſuntur, vt Phidiæ Praxitelisq; opera exiſtimari poſsint, longè fuiſſe inferiora.

Sedecim eſſe dicuntur in hac ſola ciuitate Franciſcanorum templa, totidem etiam Dominicanorum. Monialiũ clauſtra, plura quàm triginta, pleraq; opulentiſsima. Montis Oliueti ad 12. millia, Carthuſianorum S. Martini Monaſt. 30. Duc. annui reditus poſsidere dicitur S. Seuerinæ 20. millia. S. Claræ 20. millia, in quibus & ipſis, quotidianæ in pauperes innumeros panis & vini fiunt diſtributiones, carceratis victus ſuppeditatur, multorũq; aliorũ domeſticis ſuccurritur neceſsitatibus: & in pleriſq; ſumma in aduenas, & peregrinos exercetur hoſpitalitas. Reliqui religioſorum ordines penè omnes, ampla, & ipſi commodaq; obtinent Monaſteria, plura quàm 60. & extra ciuitatem villas innumeras, & prędia quæq; amæniſsima.

Eſt pręterea Monaſterium, Conuertitarum vocant, quæ ad frugem à peccato conuerſæ à ſæculi ſeſe ſubducunt conſuetudine, vitã viuentes in continentia, priori pla-

ri planè contrariam, diuinæq; consentientem voluntati. Recensetur earum numerus 200. quę piorum eleemosynis, & liberalitate sustentantur.

Est domus siue Monasterium sancti Spiritus, in quod recipiuntur luparũ, vt meretricum filiæ supra 500. quæ ab suorum parentum latere propterea separantur, ne iisdem eant itineribus. bonis viris cũ adoleuerunt etiam elocantur dote attributa.

Sed huic quoque rei istorum pietas occurrit, vt si quando inobedientes vxores à suis maritis dissident, aut suspectam suã reddũt pudicitiam, in Monasteriũ quoddam detruduntur, vbi in pane, & aqua pęnitentiam agere tantisper coguntur, dum in eis vera signa vitæ melioris appareant, ac tum demum à maritis in domũ, & gratiam recipiuntur.

Est & alius locus, in quo honestæ coniuges ab improbis maritis vel pulsę, vel desertæ adhibitis vitæ custodibus recipiuntur, & aluntur: dum bonorum virorũ opera, qui Prouinciam hanc vltrò susceperũt cum suis maritis in gratiam reducantur.

Est aliud quoque Monasterium, in quo suas coniuges abeuntes mariti collocant,

vt & illas omni occasione, & suspicione in continētiæ liberent, & ipsi negotia sua sine infamię metu exequantur.

Habent quoq; suas domos nonnullæ societates, in quibus nobiliores viduas maritis orbatas, & multorum præterea filias collocant, deq; victu, & amictu necessario prouident.

Est in domo professa Societas IESV nobilissimorum Equitum Neap. Congregatio, qui sponte sua munus hoc in se susceperunt, vt pauperes mēdicare per suā cōditionem erubescentes ostiatim inquirāt, iisq; de propriis opibus liberalissimè subueniant. Obseruant statuta quædam precū, & orationum tempora, meditationes habent quotidianas, confessiones & communiones frequentant, miraq; vtuntur in oēs egenos liberalitate. Vidimus non paucos Heroas ad pedes Patris sui spiritualis, quem Prępositum vocant, prostratos, culpas suas, & negligentias publicè profitentes, salutarem pœnitentiam petere, & si iubebantur, illicò pedes cuiuscunq; proximi, summa cum humilitate plerosq;, ipsum etiam pedibus subiectum puluerem, sine horrore nauseaq; osculari.

Non desunt alię Societates, quę curas

ſuas in eo conſumunt,vt odijs inuicem ardentes, animiſq; diſsidentes concilient. Ad vtramq; partem accedunt, orant, obſecrant, obteſtantur, minas miſcent precibus, omnia agunt ne odia ſuſcepta inueteraſcant. Sed ad Chriſtianam vtramque pars reuocari poſsit charitatem.

Sunt alii, qui damnatis ad mortem aſſiſtunt conſolantes, & hortantes, ne magnitudine flagitiorũ deterriti, de ſpe veniæ cõſequẽdæ deturbari ſe à Sathana patiantur; Chriſti quoq; ſimulachrum oculis ingerunt; vt quando ſua non poſſunt, Chriſti merita pro peccatis ſuis Deo Patri offerant, fortiq; & alacri animo, quam ſe commeruiſſe ſciunt, mortẽ aſsignatam oppetant.

Eſt quoque per amplum, & inſigne Noſocomion, quod, Incurabilium vocatur. Aluntur in eo ſumma cura, & liberalitate pluſquam 500.perpetuis,& incurabilibus morbis oppreſsi pauperes, omniaq; illis, & victus, & medicinarum genera, liberaliſsimè ſubminiſtrantur. Medici, Chirurgi, Miniſtri,& Sacerdotes, diu noctuq; aſſiſtunt, nec vllum operæ charitatiſq; genus prætermittunt, quo poſsint afflictorum tum corpora, tũ animi refoueri. Habet

bet ad 18. millia Duc. annui reditus, piorum liberalitate attributos.

Est & aliud apud S. Eligium, amplissimum Hospitale, in quo Moniales, & reliquę ægrotę fœminę quandoque 300. recipiuntur, & aluntur dum cõualescant, omnibus ad sanandos refouendosq; ęgrotos vitę medicinarumq; pręsidiis, & fœminis curandi peritis, instructissimum. Orphanas quoque puellas alit non paucas.

Est & aliud, apud sedem de Nido vocãt, Hospitale, nobilioribus personis destinatum: vbi victu, veste, cubiculo, ministris & Pharmatis tractantur, & conditioni, & complexioni, & anteactę vitę conuenientioribus.

Habent & Orphani sua domicilia, apud Sanctam Mariam de Loreto, vbi & aluntur, & vestiuntur, propè 160. & quod maius est magna cura, in timore Domini, doctrinęq. Christianę institutis erudiuntur. Hospitale quoq; Peregrinorum habetur sub Trinitatis nomine, in quo triduo aluntur, quicunq; pauperes, vel pietatis, vel negotiorum causa Neapolim venientes.

Mente quoque destituti, & furiosi, habent morbis suis accommodata domicilia, omni medicinarum genere, cęterisq; prę-

prȩſidiis, vt priſtinȩ menti reſtituantur, inſtructiſsima.

Eſt quoque aliorum piorum virorũ Societas, hoc ſolum profitentium munus, & offitium, vt operam ſuam ȩgrotis impendant, propriisq; manibus in omni eorum neceſſitate miniſtrent, ſine vlla prorſus prȩmii ſpe, laborisq; retributione, idq; ſumma tum Charitate faciunt, tam in Hoſpitalibus, ad quȩ ſtatis cibis miniſtrandi curationisq; temporibus accedunt, quam in priuatorum domibus, à quibuſcumq; vocentur, nil timentes, niſi Dominum, nil niſi à Domino pro labore expectantes.

Si quando cuipiam Hoſpitali ſumptus non ſuppetunt neceſſarij ad eum alendũ, & curandum ȩgrotorũ numerum, qui nonnunquam ſolito plures confluunt, ipſi eorum Rectores, & Gubernatores, ſȩpè & Regentes, Prȩſidentes, cȩteriq; Regiȩ poteſtatis Adminiſtri, Principes item & Barones, quandoq; & Collaterales, Regni Conſiliarii, prȩter eleemoſynas, quas de ſuis facultatibus, plena manu offerunt, oſtiatim obeunt, opulentiorum domos, prȩſidiaq; proximis neceſſaria mendicare non erubeſcunt.

De priuatorum eleemoſynis lõgum eſ-

ſet

ſet ſingula recenſere, quæ audiuimus. Turpe iam ducũt magnanimi heroes, ęra minuta piis vſibus cõferre, plena manu egentibus ſuccurritur Cęnulas potiùs ſuas aſſe parant, ſemeſaq; vt olim Tyberius, non nauſeant obſonia, vel vt Pertinax, dimidias Lactucas, & dimidios apponunt carduos, vt aucto per parſimoniam patrimonio, ſolum illius hęredem Chriſtum relinquant. Audiuimus pleroſq; 30.ſępè, & 40. milliũ hęreditates, piis locis, vtpote Hoſpitalibus, & Monaſterijs attribuiſſe. Nõnullos numerata multorum millium præſenti pecunia, egenorum neceſsitatibus ſuccurriſſe, Templa auguſtiſſima, magnis impenſis erexiſſe. Monaſteria ampliſſima exædificaſſe. Templa aureis & ſericeis auleis ornaſſe, aurea & argentea vaſa attribuiſſe.

Matrona quędã Illuſtris numeratis 30. mille Duc. hoc ipſo anno domnm erexit, in quam luparum filiæ, fortè iam corruptæ, ne in peccato perſeuerent à matrum conſuetudine abductæ collocantur, maritiſq; dote attributa, poſtquam ſigna emendationis dederint, elocantur. Alteri pio loco, Purgatorium vocant, annuos 800. aſſignauit, in quo meretrices ad frugem cõuerſæ,

uerſæ, paulò liberaliùs aluntur, tantiſper dum ferendis aſperioribus vitæ incõmodis aſſueſcant; ne ex ſummis delitijs ad horridam, & aſperam vitæ rationem ſubitò tranſeuntes, vel pia ſua conſilia mutent in deterius, vel, quod obſeruatum erat in acres morbos inciderent, & deficerent. Ad redimẽdos ex Triremibus ſeruos 400. annuos aſſignauit. Ad exoluenda egentiũ debita, vt è fœdis dimittantur carceribus 300. annuos. Cuidam piæ piorum Sacerdotum Cõgregationi, Hieronimianos vocant, 10.millia. Alijs, quos Theatinos appellant 11.millia reliquis omnibus piis locis, mille ſingulis Duc. aſsignauit. Cõfeſſori ſuo 10.millia reliquit. Summa dicitur aſcendiſſe ad 170. millia eius pecuniæ, quã in pios vſus contulit. Medico ſuo mandauit, vt quoſcunque egenos curaret, illis medicinã è ſua largiretur Apotheca, nec operæ pretium exigeret. Rem admiratione dignam ſtatuo. Quotidie adhuc noua in hac Vrbe Monaſteria, noua templa, noua eriguntur Hoſpitalia, vt vetera nulla putares; idq́; tanta celeritate, vt eodem ferè tempore, & fundamenta ponantur, & tecta. Vix videas tecta poſita, & ſtatim à piis vniuerſa ſupellex Eccleſiaſtica con-

fertur, non ad neceſſitatem tantum, ſed etiam ad ornatum. Multi partem diuinæ benedictionis arbitrãtur, in eoq; ſunt ambitioſiores, ſi priuatas domos in templa conuertere, aut in agris ſuis areas, piis locis vſibusq; occaſio detur, deputare, & donare.

Duodecim hoc ipſo quo Neapolim venimus anno à fundamentis excitata peneque perfecta templa numerauimus, & aliquot præterea recipiendis fouendisque pauperibus domicilia.

Et quod, vt finem faciam, in omniũ arce laudum ponendum ſtatuo, omnemque iſtam noſtram excedit prædicationem, quodq; ſolum, vt puto, Ciuitatem hãc pacatam, opulentam, florentẽ, & obſequentem legitimæ poteſtati efficit, nulli in ea Orthodoxæ fidei hoſtes, nulli Romani Põtificis, Chriſti Viccarij perduelles, nullæ in diuos contumeliæ, nullæ in Sacramenta blaſphemiæ, nulli prorſus vel videntur, vel audiũtur Lutherani, Caluiniani, Ochiniani, Stancariani, nec his ſimilia teterrimorum Pelopidarum Deo, & Eccleſiæ rebellium nomina: ſed omnes & ſunt, & eodem nomine vocãtur Chriſtiani, Deum Patrum ſuorum, vno eodemq; ritu colen-

tes,

tes, quem ab Epiſcopis ſuis, & Martyribus, S.Ianuario, S.Aſprem, S.Seuero, S.Arpino, S.Criſpino, & alijs ante mille ducentos annos acceperunt, vnius Paſtoris vocem, tanquam Dei vocem audiẽtes, & Regi ſuo debito cum honore obtemperãtes, aduigilãte ad omnia, viro & generis claritate, & officij quod ſuſtinet amplitudine celeberrimo, ſummaq; cum laude magnis in rebus verſato, Annibale de Capva Archiepiſcopo Neapolitano, quem non ita pridem, difficillimo Regni tempore, Nuncij Apoſtòlici munere functum in patria cognouiſti, ne quis in ouile Chriſti lupus rapax irruat, & iſtã omni antiquitate corroboratam vnitatem ſcindendam lacerandamq; ſuſcipiat.

Indè porrò fit, vt vniuerſi cleri togatęq; veſtis ſumma ſit apud omnes reuerentia, Eccleſiæ gloriam, Eccleſiaſticorum honorem, & gloriam arbitrãtur. Abbates omnes vocant, & vt Patres maioresq; venerantur. Et cum quippiam cuipiam omniũ diligentiſsimè cupidiſſimeq; optare gratulariq; cupiunt, dignitatem paſſim gratulantur Cardinalitia, quã vt Chriſti Vicario, ita cœlo proximã, & omnibus omnium votis, & precibus expetendam arbi-

trantur. Sed omnia in epiſtolam referre, epiſtolæ eſt modum excedere, nec aliud nobis fuit initio propoſitum, quam inſignem S. Domus Annunciatæ pietatem, & in tantum egenorum numerum, extraordinariam quandam, & commemorabilem liberalitatem, quam deſcribi tibi voluiſti, his litteris explicare.

Reliqua Ciuitatis piè, & religiosè facta, nec ad vnguē poſſunt ab homine extero obſeruari omnia, nec in vnā decet coarctari epiſtolam, quæ plenis debent recenſeri Commētarijs. Narro tibi. Ciuitatem Neapolitanam optimis ad imitandum exemplis abūdare. Scio quid dices. Abundare & non optimis. Non ſum Deus, vt intimos receſſus dijudicem animorum. Non ſum Argus, vt omnia videre. Nō ſum Momus, vt omnia carpere, lacerareq; libeat. Non ſum araneus, vt venena colligam. Eccleſias non tabernas frequēto, vbi ſola bona, mala à me nulla viſa ſunt exempla. Si quæ ſunt Chriſtianæ charitati contraria, bonisq; legibus inimica, & à probis omnibus damnātur, & ab ipſis improbis improbantur, & à Miniſtris Iuſtitiæ, & celerrimè, & ſeuerisſimè caſtigantur. Improbę mentis officium eſt, improborū vita ſcan-

dali-

dalizari, & pijs piorum non ędificari exẽplis. Demus hoc hæreticis, nefandorũ ſcelerum, ſicut amatoribus, ita & buccinatoribus, quorum ea eſt conſuetudo, vt Orthodoxorum vitia referant in Diaria, & rectè facta ex omni hominum tollant memoria. Bonos medicos imitemur, qui ſalutiferam; non malos qui ex eodem prato herbam decerpunt peſtiferam. Vbi puella florem, bos herbam, canis leporem, ibi & Ciconia quærit ſerpentem. Nos flores, & lepores etiam in menſa amamus: ranas & ſerpentes etiam in agro vitamus.

Iterum atque iterum tibi dico, & magna voce dico. Ciuitatem Neapolitanam optimis ad imitandum exemplis abundare: quod mihi credas, Deoq; des gloriam velim.

De meis negotijs quod etiam ſcire vis. Iliadem audires quærimoniarũ, quas prætereo, ne quos laudo vituperem. Horas diurnas, quia Regi, & Reginæ, pro titulo Oratoris vendidi, totas illorum negotijs tribuo. Nocturnæ noſtræ ſunt, quas cum Muſis, ſomno, & valetudine computamus, ſed raro pares ſumus. Crede mihi, de Regum horis, vix aliquid Muſæ noſtræ mutuantur. Et tamen adhuc nõ niſi fluctus numeramus.

Miſcetur (tantum) placidis reuerentia mutua verbis.
Nec ſcio ſi verus, ſed tamen aptus amor.

Spero cum fuerint tempeſtates idoneę, & Echinos manu capiemus. Si nos valere vis da operã, vt valeas, & nos ames Neapoli Bachanalibus 1593.

IVSTO LYPSIO
VIRO DOCTISSIMO.
Epiſtola XLIX.

Plut. de ror. Rom. QVI primus In Vrbe virtutis, & honoris cellam eandem locauit.

Id agere viſus eſt, vt oſtenderet

Sen. epiſtol. 79. Gloriam virtutis vmbram eſſe, quę etiam inuitos comitatur.

Cic. p Planc. Nec alium gloria maximè excellere, quam qui virtute maximè præſtaret.

Plu. in Apoph. Et qui virtutem honore ſpoliaret, eum ſpoliare virtute iuuentutem.

Sic accidit tibi Lypſi. Tu virtuti, labori, litteris, litabas in Belgio, tibi virtus honoris,

ris, gloriæq; cellam, cũ alibi, tum in nostra quoque statuebat Polonia, in qua tibi quotidie.

Pli. li. 4. epi-sto. 12. Et magna simul quod rarum est, & lata fama crescebat.

Eurip. Πόνος γάρ, ὥς λέγουσιν, εὐκλείας πατήρ. Labor vt dicitur, bonæ famæ pater.

Stobe' ora. 29 Plato de Ente. Mirificam te dicens disciplinarum exercere mercaturã, discendo simul, & docendo, multaq; te elaborata in lucẽ mittere.

Lypsi' in Tacitum. Quæ in manibus hominũ versari his temporibus, atq; hac rerum scæna expediret.

Quæ voces hominum, & si me ad te amandum valdè acuerent.

Pli. li. 3. epi-sto. 11. Non enim erat facilè innumeris contradicere.

Lib. 4. ep. 11. Summam tamen adhuc de te, non ordinem rerum nunciare videbantur.

Postquam autem libros tuos, qui primi ad manum venerunt euolui, planè perspexi.

Stobei ex Aeschile óra. 3. Primam te sapientiæ partem possidere, & multa, & vtilia nosse.

Non vt noris tantum, sed quod planè diuinum est, vt etiam prosis, idq; te video tanto conatu apparatuq; facere, vt non dubitem ipsam.

Sen. epist. 6. Recusaturum te Sapientiam, si cùm hac exceptione daretur, vt quod scis, vni tibi scires, nec è thesauris tuis rebus succurreres cõmunibus.

Hoc Constantia tua præsefert, hoc ipsa quoque ciuilis Sapientia, quæ & Regia disciplina vocatur.

Plato in de Sapiẽtia. Cuius subiectum ciuitas est, finis commune bonum. Ministræ artes omnes.

In quibus tu libris non solum.

Plato i Litigioso. Prudentiam humanorum, sed & naturalium scientiam, & diuinorum coniunxisti sapientiam.

Pli. li. 2. episto. 3. Nec hoc tãtum, aut illud, sed quodcunque vis (vt aiunt) iaculo tuo feris.

Non tam docens.

Sen. epist. 94 Quid sano, & intelligenti Principi faciendum sit, quam sanum, & intelligentem faciens.

Planè vt anceps fuerim, quid in illis prius, quid deberem admirari posterius.

Aug. epist. 51 An totius succũ Philosophiæ, quẽm

per-

perbibisti, an lectionis varietatem, an iudicij maturitatem, an memoriæ tenacitatem, an contexendi artificium.

Pli. li. 4. epi-sto. 3. An quod loquenti illa Homerici senis mella profluere, & quæ scribis complere apes floribus, innectereq; videntur.

Cic. in Verr. Equidem verbum vidi nullũ, quod possem dicere excidisse, omnia vbique afferuntur scripta, meditata, cógitata, præparata, quæ lectorem ad singulos versus detinerent, nisi inter paria legerentur.

Ita crebris, ita solidis, & nescio vnde ex abdito erutis sententiis.

Quod tu rectè Tacito tribuis.

Lypsi⁹ in Tacitum. Distincta sunt omnia, quas vel veritate, vel breuitate, vice oraculi posses accipere.

Sed & illud quam insigne bonæ mentis argumentum.

Pli. in Præfa. ad Vespasia. Profiteri per quos profeceris.

Gratiã subinde habere videris docentibus, cum eorum inuenta licet

Sen. epist. 86 vsurpes, non tamen ais tua.

Ibidẽ. *Sed ita doctorum virorum.*

Ibidẽ. Libamenta, in vnum quasi saporem

rem confundis, vt etiamsi fatearis, vnde quicquam sumptum sit, aliud tamen iam esse, quam vnde sumptũ est appareat.

Quod quidem scriptionis genus non ambitione.

Greg. Naz. i epist. ad Gregorium Nissenum ex Euripide. Dæmonum sceleratissima: aut laudis cupiditate, malo rerum artifice, grauiq; Domino.

Formasse primus vsurpasseq; videris, sed solo charissimæ patriæ rerumq; communium.

Pli. li. 4. epist. 14. Amore, qui Magister est optimus.

Plu. in de for. Rom. In eoq; nobis Herculis aurea sæcula repræsentas, qui laudi sibi duxit Euandrum docere litteras, præclareq; facere censebantur omnes illo tempore, qui amicos, & propinquos erudiebant.

Quam fælicitatem non possum profectò Germaniæ tuæ liberisq; vestris non gratulari, quòd in eodem in quo nascuntur solo, affatim illis suppetit, quo corpus animumq; pascant.

Pli. li. 4. epit. 13. Quòd statim ab infantia, natale patriumq; solum, amare, colere, frequentareq; consuescant, quòd nil in eo, nisi consenescere desiderent, nõ

pro

pro moribus,proq; præcepto ribus pedem extra patriã efferant.

Sed parẽtes simul, & præceptores quotidie videant.

Morum vel Magistros, vel cu stodes,vel exemplum, & siue præsentiam, siue memoriam, vel timeant, vel erubescant. Vim quippè Præceptorũ obtinet, quem colis, & aspicere frequẽter,& sæpè audire. Occursus enim, ait ille, viri boni iuuat, & est aliquid quod ex illo vel tacente proficias.

Sen. epist. 11.

Narro tibi. Isto quoque nomine.

Maior mihi fama tua inuentus es, quamuis ea esset tibi maxima.

Pli. li. 2. epist. 3.

Hanc igitur tibi non vulgari illo more, neque solita ratione, sed illis verbis gratulari volui.

Quibus vti solemus, cũ quid diligentissimè agimus.

Cic. epist.

Non quia habes,sed quia meritus es, quodq; iam illi multos annos superuixisti,multa etiam quæ de te μελιγαρύων τέκτονες

Petr. de Gloria

Pynd. Od. 5.

Dulci loquiũ

Pynd. Od. 1. nemeç — τονες κωμῶν cecinerũt, canũtq; fcripta dictaq; vidifti, legifti, audiuifti, μεγάλων δ' ἀέθλων μοῖσα μεμνᾶται φιλεῖ. — fabri hymenorũ. Magnorũ certaminũ. Mufa meminiffe amat

Pli. li. 2. epif. 1. — Et quodammodo pofteritati iam tuæ interfuifti

Quod fanè non contingit, nifi

Sen. de clemẽtia. c. 18. — Scriptoribus publico bono natis.

Sed

Suet. — Publica religione confecrata virtus, nulla priuata laudatione indiget.

Sen. in Thyefte. — Et qui fauoris gloriam veri petit
Animo laudari magis, quã voce volet.

Te igitur prætermiffo de me tibi dico.

Cic. epift. ad Atticũ — Acrem me effe ingenij tui, non folum amicum, fed etiam amatorem.

Tantaq; tuarum lucubrationum cupiditate ardere.

pl. li. 1 epift. 7 — Vt videar mihi, vel fola earũ mercede poffe corrumpi

Quo, ficut ait ille.

Vel contra Beticos adfim.

Te-

Testem habebis Bentium planè tuum, virum singularis & pietatis, & eruditionis, etiamsi olim fuisset, plura non dico, licet omnia de illo, possem, omnia deberem, sed

Seneca. Magnus cuiq; honor est integritas sua. Magnum Musarum numen.

Quæ sedem in istius pectore ita fixerunt:

Vt nil sit quod discere velis, quod ille docere non possit.

Mihi certè quoties in litteris aliquid abditum quæro, Bentius thesaurus est. Is porrò cum nescio quid mihi Neapoli, quod mordebat exemisset, ita me ad te amãdum magis etiam acuit, vt Deum rogare nõ desinam, quo tibi det vitam, quam mereris, & conseruet animum, quem dedit.

Sen. epist. 78 Vnus quippè dies hominum eruditorum plus prodest, quam imperitorum longissima ætas.

Bas. Con. de Humil. Ea porrò est altitudo hominis, hæc gloria, & maiestas eius, verè cognoscere magnum, huicq; adhærere, & gloriam ex gloria Domini quęrere.

Bern. super Cant. Serm. 36. Scientia quippè litterarum bona, sed scientia propriæ infirmitatis melior.

Quam tu probè videris assecutus, cum ais,

In episto. ad Abi à me scientia quæ tumefacis, ego

Vicca riũ Regis Daniæ ad curas fecundas. ego iſtam volo quę coercet, & oſten dit me mihi.

Maſte. Vel hoc ſolo nomine neceſſe eſt, vt & ſim totus tuus, & eſſe debeam

Nimia quippè magnitudo eſt, ſuam intelligere paruitatem.

Caſſio dor. li. de aïa c. 18. *Niſi quod me longius prouexit dulcedo quædam tecum loquendi.*

Finem itaque faciam, ne

Pli. li. 2. epiſ. 5. Modum quem in tuis libris laudo, in epiſtola excedam.

Quamuis non dubito ne exceſſerim. Neq; enim in eo ſtatuo.

Naz. epiſ. 3. Arg. ep. 9. Laconicam breuitatem, paucas ſyllabas ſcribere, ſed de plurimis maximiſq; rebus paucas.

Mihi porrò tuo nil maius amore.

Pro quo ego diu te rogarē, niſi hoc eſſet indicium de tua minus præſumentis charitate.

Quamobrem incipe nos amare Lypſi, & quocunque vis loco inter bonarum litterarum ſtudioſos, modo inter tuos numera.

Plato ĩ de Mẽ dacio. Mirificum hoc habebo bonũ, quòd vel ſolum amore dignum putabis: quoniam ſine rubore verecũdiæ ad diſcendum me præparo.

pl. li. 1. Quòd alienas virtutes amo.

Quòd

Quòd quem colo, imitari quoque,
Vt isto loco vides, contendo.
Lactā. Summa quippè religionis est, imi-
li.5. c. tari quem colis, nilq; est Deo, ma-
10. Aug. gnisq; viris gratius.
li.8. c. *Habes nostri causas amandi.*
17. ciu. Rogat & quidem efficacissimè, qui
Dei. reddit causas rogandi.
Pl. li. 2 *Incipe itaque in tuis nos numerare. Ego*
epist. 13. *verò, liceat mihi cum tuo Deusa excla-*
mare.

ô tutela præsens
Ausonidum veterisq; sæcli.

cic. ad ad tibi seruiendum vtar ea porta,
Atticū quam primum videro, nec vlla obie-
li. 7. e- cta re remissior fiam, cū tua ipsius,
pist. 8. tum Musarum causa.
De' se cūdet reli- *quæ profectò magno honore caruißent, ni-*
qua *si Lypsium habuissent.* Θεὸς δ᾽ φρωο σαῖς
tua vo λοιπαῖς δ᾽χαῖς. Vale. Dat. Neapoli
ta. kal. Maij CIↃ. IↃ. XCIII.

FRAN-

FRANCISCO BENTIO SOCIETATIS IESV.

Epistola L.

ENTI. Iusticiũ edixit Podagra: quæ me sub hac Eclipsi penè secum ad defectionem, sed nescio quo, quod sentio, nomine appellem Si rugientem, si mugientem, immò bouatim boantem, si dentes dentientes, si prurientes pugnos non audiuisti, hoc erit primum in omni vita tua tempus, quo non benè audiuisti. Ipsum puto Deorum Nuntium gemuisse Mercurium, quòd illi Aesculapio esse isto meo tempore nõ liceret, vt muneris sui assellam, nouo excogitato amuleto refoueret.

Nunc ad arma Musæ. Mitto epistolam ad Lypsium. Abs te pèto, iube eam iis ire itineribus, quibus eunt quæcunq; perueniunt. Quoties ad manum, viriles viri huius curæ veniunt, ligant, tenét, docent, delectant. Meus non sum cum lego, illius totus sum, quo minus moram fero longiorẽ: quin illas Musarum delitias, illud vnicum

Vra-

Vraniæ basium, ab hac Nympharum sede salutem. Musæ enim æris egentes, & Scaphelis, quod aiunt, insuetæ, Campanum coactæ sunt solum vertere. Tu nostra ornabis, vt potes, vtq; soles, & valebis. Neapoli Idibus Iunij M. D. XCIII.

STANISLAO KARNKOVIO ARCHIEPISCOPO GNESNEN.

Epistola LI.

VERBA non inuenio, Princeps Illustrissime, quibus quod volo explicem, ita me multa in epistola tua (cum humilis Adalberti humili loquor successore) Idibus Aprilis Louicij data delectarunt: quam Roma missam heri primum accepi. Nam quod ea te esse valetudine nũciabat vt volumus simul mihi nunciare visa est, & stare patriam, & florere vt volumus, vtq; expedit: nec esse pertimescendum, ne primo eius

ſtante florenteq́; Principe, inclinatos aliquando parietes, aut ſaltem ad eam violandam locus vllus relictus improbo ciui videatur. Quo quid nuncio lætius? Stante quippe patria, ſtare niſi improbus ciuis non poteſt.

Quòd verò etiam ad intermiſſam litterarum conſuetudinem, atque ad ſolitum officiorum curſum rupto diuturno ſilentio, humaniſſime reuocat, quid dicam? Homines viſi ſumus. Ita valdè nobis huius intermiſſio officij ſemper inimica viſa eſt; niſi quòd iſtiuſmodi tempora fuerunt, quæ prætereo. Multorum enim varia culpa eſt. Explorata porrò ea, quam litteris appinxiſti voluntate tua, ſummam feci cogitationum mearum omnium, ita me ad ſcribendum acuere, vt non ſolum res huius regni publica, ſed nec vlla quoque Illuſtriſſimæ D. V. operis mei hora ſit ignota. Intemperantiorem eſſe me fateor in iſtius cupiditatis genere, ab ijs viris ad certamen amoris vocari, quos inter Principes publico bono natos, chara patria numerat, eoq́; præterea omnes docti gradu & ordine cenſent, nil vt ex omnibus litteris diſcere velis, quod illi docere non poſſint, nec quidquam in ſacris libris ita

ſit

ſit abditum,quod diſcendum docēdi tempore habeant.

In quo genere cum in patria primas etiã partes tenere te exiſtiment,fit vt maa in te obſeruantia quam eſt maior eſſe non poſſit. Dicam quod ſentio, veritas nil timet quam taceri. Mola ſalſa litarem,ſi liceret:ponerem & ſtatuam ſi mos eſſet:nũc omni thure, ſtatuaq; ſolidiorem animum lito, tanta cupiditate tuarum laudum incenſum, vt vel hac ſola mercede corrumpi poſſe videar(ſicut ait ille) quo vel contra Beticos adſim.

Verſatur ob oculos, quam liberè liben terq; Regi & Reipub. ea præſtare omnia conſueuiſti, quæ Nazianzenus de priſcorum hominum ſententia, in optimo Senatore & Conſiliario requirit. Amorem,Experientiam, & oris libertatem. Non poſſum obliuiſci,quàm ſæpè conuulneratam, domeſtica diſſenſione patriam,vi tui conſilij à ruina quæ imminebat,liberaſti.Ferreus eſſem,aut non qui ſum patriæ meæ ciuis,ſi meam quoque ſeruitutem, meumq; laborem ab eo deſiderari Principe paterer, cuius labore factum ſæpè eſt, ne mea patria laboret:Nildo auribus.Ipſa me cauſæ bonitas facit eloquentem. Valet vi ſua

veritas,ſed tamen ſubſiſtam,ne tu quoque quod olim Auguſtinus Bonifacio,non bonam ſuſcepiſſe me cauſam dicas, aliumq́; pro te laudare qui talis eſt, dum tu quæ laudo pro tua modeſtia non agnoſcis.

Epiſtolam ad S.D.N.ijs mittam itineribus,quibus eunt,quæcunque perueniunt.

Iſtam porrò de Rege & Regno Illuſtriſſimæ D. V. ſolicitudinem,non poſſum iterum atque iterum non exoſculari, cui ſi exitus reſponderit, omni ruinæ timore liberati videbimur.

De meo tempore,quod ſcire deſiderat. Omnia hic conſumo (naufragia rei familiaris intelligo, quæ tamen à me in meis damnis minimi putantur) præter diem: cui ſæpè ipſas quoque noctes adijcio, vt meditatas ab aliquot annis lucubrationes de Miniſtrorum Atheiſmis & Phalariſmis,quos imperitum vulgus,Euangelicos: qui rem tenent,mercatores, Religionum & ſeditionum ſeruos appellant, ad optatũ finem perducam: in quibus decretum eſt ex ipſis eorum dictis & factis oſtendere, quòd quam iactant fidem,cum puluiſculo, quod aiunt,prorſus omnem amiſerunt,factiq́; ſunt infideliſsimis infidelibus infideliores. Tam enim poſſunt aliam fidem ha-

bere,

bere,reprobata Orthodoxa fide, quæ vna eſt, quam poſſunt habere alium Solē, aut Lunam aliam: quæ alia non eſt; niſi fortè cum Xenophane ſentiant, alium eſſe intra concauum Lunæ ſinum huic noſtro ſimilē mundum, aliosq; nobis ſimiles homines, ſic vt illi credunt credentes. Id ſi faciunt eant in illam terram, & noſtram hanc nefario ſuo ſchiſmate ſceleratisq; conſilijs non perturbent:quamuis vereor,vt ire velint, ſi Magnæ Matris ibi eos eſſe oportebit Sacerdotes,vbi tales caſtrantur. Congruit veritati ridere,ait Tertullian⁹, quia læta eſt,de æmulis ſuis ludere,quia ſecura eſt.Nam & iſti Centauri,de Deo deq; religione,non Dei & religionis, ſed ioci tantum cauſa;vel vt ſitim contrahant, philoſophantur, tantundemq; prorſus vniuerſam religionem,quantum feri Cyclopes à capra nutritum Iouem curant.Sed non eſt huius tempus ſermonis.

Mitto Illuſtriſsimæ D. V. Præfationem ad Lectorem, ex qua vim totam Conſilij conatusq; noſtri cognoſcet, quantumque abſimus ab eo, vt in arcem cauſæ inuadamus,Sed tamē cupio Illuſtriſ.D.V.eſſe omnium moderatorem conſiliorum noſtrorū Mittam & Epilogum ad Equites Polonos

directum, ſed is adhuc ſub manibus & cenſura doctiſſimi viri Cardinalis Alani ſudat in Vrbe. Addo epiſtolas duas de ciuitatis huius Neapolitanæ plena pietatis Maieſtate, ſed & recuſam Patrum voluntate Spongiam, Si meum hoc conſiliũ probauerit, non deerit quod deinceps ad ſitientes Illuſtriſſimæ D. V. aures perferatur. Interim ſibi perſuadeat, me de illa colenda in omnibus meis priſtinis ſententijs permanſurum, nec in omni rerum varietate moris mei curſum deſerturum.

Principum noſtrorum Barenſia negotia laneos pedes habent, quales olim Deorum: ſed eunt tamen. Res nobis eſt cum hominibus, qui ad Iouem & Saturnum ortus ſuos referunt: nec niſi de Regnorum donatione loquuntur. Si qui debent non vigilauerint, mundus captus eſt. Cupio Illuſtr. D. V. Eccleſiæ Dei rationibus quam diutiſſimè commodare. Datum Neapoli 6. kal. Septemb. 1593.

FRANCISCO BENTIO SOCIETATIS IESV.

Epistola LII.

BENTI. De Lypsio siles? An nescis grati hospitis limen eam epistolam ingressuram, quæ Lypsium valere florereq́; nunciabit? Aut si dubitas, equidem doleo, quòd nõ benè adhuc tibi cognitus sum. Sed putidum illud fortè verbum dices. Mirum est, quam sim occupatus. Apage. Nullum tẽpus vni verbo angustum est. Scribere, ait idem noster, non vacare tibi scribere, semper vacat. An non libet? Nos contemnis. An non vacat? Nos negligis. At omnia à Bentio mitiora, sed si pertendit, ita nos acuemus, vt sentiat, quòd telum quandoque nostrum cuspide acuta est, quodq́; & ego.

Constrinctas rumpo & verbis & carmine linguas. Et hic esto, Clauus trabalis, Adderem & alia, nisi pausicapẽ timerẽ. Dies mortuus, clausum cœlũ, latrãs stomachus, mira nos reddidit, ad litigandum alacritate, & quæ præmunt curæ ferratæ. Passe-

rinum prandium,& vinum Consulare, fortè faciet, vt mulsa loquamur.

Si quid agã scire vis. Quod ille qui οὔτε αὐτὸς πρᾶγμα ἔχει, οὔτε ἄλλῳ παρέχει: nisi quòd neces quotidianas τῶν παραπλωμάτων meditamur. Vtinam eo euentu quo volumus, quoque oportet. Miraberis sat scio, ita me subitò Martis factum pullum, quem Mineruæ putabas ancillularium. Narro tibi. Cautem esse oporteret, quem aspera nõ exasperaret Podagra. Mos illi vel aspectu lædi, & in obuios arietare. Te petit, quia ego tibi, tu mihi semper obuius, semper in oculis. Cũ dolor deferbuerit βυσσόντα ῥήματα mittemus. Nunquam enim, nisi podager, poetor. Interim da operam, vt nos ames, sed magis vt valeas. Neapoli Nonis Decembris 1593.

FRAN-

FRANCISCO DE TOLEDO S. R. E. CARDINALI.

Epistola LIII.

GRATVLOR Ecclesiæ Dei, quòd in hac propè deposita Reipub. Christianę parte, videre vicissim incipiat superiora illa sua sæcula, cum honores, sceptra, purpuræ, virtuti, eruditioni, pietati, debitæ existimabantur: cum vel ex ipsis antris & solitudinibus etiam inuiti & reluctantes extrahebantur, verbo & opere potentes viri, nil timentes nisi Deum, nil sperantes nisi à Deo, quibus orthodoxæ fidei cura, rerumque mandaretur administratio Ecclesiasticarum. Qualis in Ecclesia Dei, quoties adhibita cautio fuit, ne homines ad honores admitterentur, nil ad illos ad ferentes præter velle, aut qui dignitates Ecclesiasticas, non opus & laborem, sed honestum quoddam artificium existimarent iucunde transigendæ vitæ fallacis, mira apud omnes populos ad fidei constātiam, atq;

ad omne pietatis officium videbatur accessio. In patria verò nostra, pia quoque & peruulgata omnium erat opinio, quod S. R. E. Cardinales, frequenter cum Angelis Dei colloquebantur. Quam ad spem cum omnia quoque parata isto fęlicissimo Clementis VIII. tempore expeditaque videamus, fit vt omnes Orthodoxi omnia suę sanctitati debeant, quòd eiusmodi columnas erigat, quæ semper in officio steterunt: nec in arena primum, sed iam pridem in seipsis artem omnium præstantissimam didicerunt, Hominem regere, nolentes quidquam habere in sęculo, ne vincerentur à sæculo, & propterea, vt Sanctus ille Pater loquitur, quottidie, Christi Sanguinem cōsueuerunt bibere, ne cum opus esset; Sanguinē suum horrerent pro Christi fide fundere. In quorum numero te iã olim cum laude vixisse, quod S. D. N. orbi testatum fecerit vniuerso, veterem illam suam magnis de rebus benè iudicandi laudem & gloriam isto suo facto comprobauit Orthodoxis omnibus ad bene de tota re Ecclesiastica sperandum, quasi signum quoddam sustulit. Tibi verò Cardinalis Amplissime ad omnia dudum abs te scripta, cogitata, meditata, in vniuersa

Dei

Dei Ecclesia summa cum potestate nunc audenda, tentanda, & exequenda fenestram aperuit. Qua ex re,& si à te nil nisi mille curæ, milleq; sollicitudines peruenient,hæc tamen omnia molesta tibi grauiaq; non poterunt accidere, qui vitam omnem in vitæ frangendis illecebris,longo lentoq; martyrio similem penè peregisti, prorsus vt videri tibi difficile non possit alios ad officium reuocare, qui semper in officio, inq; Dei potestate vixisti. Ego verò dignitatem hanc,iterum atque iterum Ecclesiæ primum Orthodoxæ,deinde & amplitudini tuæ gratulor, verbis quibus vti solemus,cum quid cuipiam diligentissimè gratulamur: nisi quòd vereor ne minus dicam quam sentio, neue mea infantia vim ingentem voluptatis non assequeretur. Quamobrem rogaui R.D.Paulum Gardlinski Canonicum Vladislauiẽsem, Romam Neapoli redeuntem, vt verba quæ mihi de futura non putaram,inueniret ipse, quibus dignitatem hanc pro dignitate gratularetur. Ab Illustriss. D. V. peto & quæso in tanto multorum concursu,hominem vt audiat,nullum tempus vni verbo angustum est; & hoc meum officium ex illo veteri meo cultu & obser-

uan-

uantia profectum arbitretur. Commendo me in gratiam Illustrissimæ D. V. iterum atque iterum. Datum Neapoli 2. Octob. 1593.

SIMONI SIMONIDAE POETAE LAVREATO.

Epistola LIIII.

NE viuam Simonide, si mihi missa abs te salus salutem non attulit: & quæ ad eius comitatũ adiunxisti, teque materiaque dign poemata: Iohel Propheta, si ligatis voluis set tuis plane vsus verbis pedibusque fuiset: Repotia Zamoisciana plus Nephali. & horas antelucanas, quam Dyonisia & cænas Cereales redolent: quo quidem nomine meritas te gratias a Zamoiscio recepisse non dubito, reliquarum rerum omnium præterquam iniuriarum memore Senatore. Vtinam huius quoque solisque, cælique, gratæ sint Gratiæ: sed vt vt acciderit, virtutis in virtute, benefacti in benefacto præmium est. Nulla iustitiæ maior

ior merces, quam iustum esse.

Quæ porrò de rationibus tuis domesticis œconomiæq; onere appinxisti, nō possum non sapere te dicere, οἶκος φίλος, οἶκος ἄριστος domus amica, domus optima. Οἰκοίμενειν δεῖ τὸ καλὸς δ᾽δαίμονα domi manere oportet belle fortunatū: aut non beatum illum vere dicier: Equidem.

Si me fata meis paterentur ducere vitam
Auspicijs, & sponte mea componere curas.

Ijsdem crede mihi, irem itineribus. Mirum quam suaue sua sub tecto.

πύκνας ἀκοῦσαι ψεκάδος ἐϋδούσῃ φρένι.
Frequentem audira guttam securo animo.

Beatus qui procul negotijs paterna bobus colit rura suis.

At ego prorsus non video, Simonide, quas clades possit afferre, rei tuæ domesticæ, vnius anni absentia: Habent suas agri quoque ferias: Amant & arua intercalares. Parit & tempestas, piscatoribus ocium. Debes quidem Patriæ, debes Parentibus, debes tibi, Sed debes & Musis, quarum hic sedes propriæ.

Quæ tibi, quod rarum est, viuo sublime dederunt.
Nomen ab exequijs, quod dare fama solet.

Notæ sunt Pytagoræ peregrinationes, Platonis nauigationes, relicta pena artium

Græ-

Græcia, ad Aegyptios, ad Magos, Persas, Italos, vt earum gentium ritus, leges, mores, sacra pernoscerent. Quid quod & μούσας idem Plato dictas putat, ἀπὸ τοῦ μοῦσαι quod omnibus vestigijs omnia vbiq; scrutentur & inquirant. Inde menti prudentia, inde sensibus recreatio, inde litteris nitor; cùm multa videris, multa audieris, quæ vel sola & nuda, & scientiam addunt, & iuditium limant, Longa, bona menti, ad prudentiam nulla est via. Ego te, ait Vlysses ad Achillem prudentia superauero multum ἔπει πρότερος γενόμην. καὶ πλείονα οἶδα, quoniam prior natus sum & plura vidi. Quarum rerum copia, dubito vtrum alibi quam sub hoc Sole, & in hoc solo maior? vbi difficile est, vel oculum flectere, vel ponere vestigium, quin tibi ipsa quæ calcarunt sola, summorum vtrorum rerumq; maximarum memorias repræsentent. Crede mihi, saxa, montes, syluæ, viæ, flumina, lacus, pontes, ipsa adeo templa, theatra, sepulchra, rudera, parietinæ, sua quadam lingua, quod docet, quodque delectet loquuntur.

Excitatur animus, & nescio quomodo maior seipso fit, rerum sublimium aspectu. Inflammat visa, cogitataque sæpius alie-

aliena, virtus & gloria; incurrentibus in oculos magnis illis magnorum virorum Manibus, fortibusque fortium ausis.

Si tibi per Aegypti solitudines, aut Arabiæ deserta, aut monstrosam Lybiam, aut per obnoxios Scytharum excursionibus vastæ Podoliæ campos, per Scyllas, Scyrtes, & Charibdes iter faciendum esset, si Catonis canterio, Hippoperis impositis, si vehiculo Seneciano insidendum, quod mulæ trahentes exossatæ, ambulando tantum viuere se testabantur: ipse fortasse, vt te nobis, & Musis conseruares; nec vlli cõmitteres periculo, retinerem: At ita nostrorum vestigijs detrita, ita peruia facta in Italiam via est(Vituliam rectius dixeris Ιταλοὶ enim veteri Græcorum lingua Thimeo & Varrone testibus, boues seu vituli appellati sunt, quorum hic olim magna copia) ita crebris oppidis, tabernis, hospitijs, distincta & coedificata videtur Sylesia, Morauia, Austria, Styria, Carynthia; vt quasi quodam Suburbium Italiæ videatur; non ob aliud fortasse a natura, tam horridis rupibus interclusæ; quam ne vim suam omnem Alpini Boreæ in has amænitates effundant.

In Italiæ porro ingressu, Venetias videbis, mari supernatantem ciuitatem; Vrbium ocellum; Mercurij forum, Emporiorum rosam, Adriatici Dominam, Diuę Cypriæ officinam; ad inuidiam pulchram, felicem, opulentam, & æui prioris instar togatam; In qua templa, fora, palatia, in medijs fluctibus, quasi seminata stupesces vsque ad miraculum superba, vias ceruleas, equos ligneos, In pisces & homines, totam diuisam ciuitatē, Vicos & plateas pisces, Mulli, Dactili, Ostreæ, Conchylia; Domos incolunt homines; a quibus illi iā etiam loqui didicissent, si per cohabitatorum ventres producere vitam licuisset.

Inde vastum Patauium nauigabis, illā artium & sciētiarum stationem, insignem quondam iuuētutis & officij magistram, nunc vereor ne corruptellam. In de munitam & Circumpadanam Ferrariam. Inde studijs & Vrbanitatis amicissimam Bononiam. Inde politissimam & elegantissimā Florentiam. Inde Senas salubres, senibus, vt scis, & valetudinarijs, olim exædificatas. Romam deinde peruenies Septicollem, illam Orbis Dominam, illam Vrbiū Reginam, Christi Viccarij Sedem, Aream & Stationem Præstitum Ecclesiasticorū:

Apoſtolorum prædicatione beatam, Martyrum Sanguine purpuream, Confeſſorum teſtimonio glorioſam; quam vidiſſe: inqua veſtigium poſuiſſe, qui ſe Chriſtianos meminerunt, partem benedictionis reputãt. Stetiſſe, ait Hyeronimus, vbi ſteterunt pedes Domini, pars Fidei eſt, vere vt etiam Ethnicus ille dixerit.

Dignus Roma locus, quo Deus omnis eat.

Inde per felicem Campaniam, plus, vt ille ait, vnguenti ferentem, quam cæteræ Prouinciæ olei, Neapolim peruenies, Parthenopes tumulo claram, Nympharum ſedẽ, Volupiæ aream, Sole, ſoloq; ſuo beatam. Narro tibi, ſitus amænitate, Maris cratere, Collium corona, Inſularum crebritate, Promontoriorum aſpectu, planè primam, Templis, Caſtris, Palatijs, Præſidijs, Ingenijs, Opificijs, Arcibus, Portubus, Opibus, Frugibus, ſolique ſui fructibus, nemini ſecundam. Locis porrò Suburbanis, & magnis viris charam, & ipſis etiam, vt Gentilitas putabat, Dijs immortalibus amicam. Nullum enim extra Ciuitatem ponere veſtigium poteris, quin in magnos alicuius Semidei manes incurras. Aeneam ſi voles, vel in Myſeno, vel ad lacum Auernum vmbram Anchiſis Patris ſui quærentem, vel

cum Sybilla colloquentem inuenies. Scipionem Linternis: Iulium Cæsarem in portu Baiano: Pompeium in Herculeano, Neronem ad fossam Cumanam; Syllam & Tarquinium Puteolis: Marium ad caput Myseni: Octauium Augustum in Octauiano, vel in ipsa Neapoli quinquennale certamē Gymnicum spectantem: Lucullum, togatum illum Xerxem, vel ad Eupleas, vel ad Pausilippi piscinas: Annibalē Capuę: Marcellum Nolæ: Fabium Max: in collibus Cāpanis, Pollium Vedionem homines ad Murenas damnantem, in Pausilippo. Alios alibi. Et si infra dignitatē duxeris, cum mortalibus in Paradiso conuersari, ipsos tibi Deos olim vocatos ostendam; Saturnum in vicinio Latio, latentem, Mynervam in Surentino Promontorio, Plutonem, Proserpinam, Mynoem, Rhadamantum, ad lacum Auernum: Herculē in Vacculo, vel ad montem Baulum, vel in Pompeiano armenta pascentem: Nymphas in Nysita, Syrenes in Capreis. Crede mihi, vel sola istiusmodi vestigiorum inspectio, magna prudentiæ mater. Et quia cessator esse non soles, si forte quid abditum in natura libebit adhuc quærere, Plinij manes in Pomponiano ad Vesuuij radices consulemus; Aut is, aut

alius

alius nemo nobis aperiet, non ſine fructu fortaſſe eius, quæ te Leopoli & diſtinet & detinet Oeconomiæ tuæ, quomodo quercus noſtræ transformari queant in vites, bonum vinum ferentes: quod fieri poſſe Magnus Albertus putabat; aut, quomodo queant arborum culmina hordeum producere; quod in Mæſya Antonini Pij tempore factum legimus: aut cur pinus Rauenatenſes cum nucleis, Andreouienſes conos producant, ſine nucleis. Aut quæ ſit illa Regio vltra Alpes, in qua ſiligo poſt biẽnium conuertitur in triticum (ò nos opulentos) aut vbi Rafanum adeo excreſcat, vt infantium puerorum magnitudinem ſuperet, aut qua arte curari rapæ poſſint, vt ſingulæ quadraginta libras ponderent.

Licebit & hoc expoſtulare, cur vitio vertat Septemtrionalibus populis, quos barbaros vocat, quod Vrorum cornibus binas vrnas tenentibus bibant; cum apud ſuos Romanos Milſcadis, Phagus in menſa Vitelliani, plenis vrceis, tantum vini hauſerit, quantum Cętus marinus vaſto nō hauſiſſet corpore: Nonne & hoc notiſſimum, Romanos bibiſſe pateris; ab eo dictis, qđ latius pateant? Varro teſtis. Nōne ter tria pocula multiplicabant? Auſonius teſtis.

Nonne amphora? Suetonius teſtis. Nonne Græco more, maioribus ſcilicet poculis? Cicero teſtis. Nonne pro ſalute Principũ? Dio teſtis. Nonne in gratiam abſentium amicorum? Tybullus teſtis. Nonne tot cyathos, quot fuiſſent in amici nomine litteræ? Martialis teſtis. Nonne in Orbẽ à ſummo ad infimum? Atheneus teſtis, qui hoc genus vocát ἐν κύκλῳ πίνειν. Nonne propinabant? Homerus teſtis. Nonne cum niue? Martialis teſtis: Quin & fidem homini per errorem lapſo faciemus, quod Septemtrionales populi Cereuiſia, vel vt ille vocat, hordeaceo vino, tumulenti, non ſemper in tergum cadant, quod ille ſcriptũ reliquit: ſed in omnem partem, ante, retro, proni, ſupini, ad dextram, ad læuam, ſine diſcrimine labantur. O quãtum tanto viro ad eam quam profitetur rerum omnium cognitionem defuit, Ebrium cadentem nunquam vidit. Habebo & ego quod cum multi ſcio Philoſopho expoſtulem, Cur matutinam vrinam calidam pedibus inſtillatam, & infelix appoſitumLolium prodeſſe podagricis putauit, cum nobis nõ profit: aut, quod nunc adte ſcribens in hortulo meo demiror, cur æternæ arbores omnes floreant ſola ficus confloreat.

Si

Si flos orationis,& gemmata verba, delectabunt, vel in domo sua Rabiriana, vel in villa Neapolitana,quam Sylius Italicus ipso mortuo emerat,vel in Baijs de quibus Ouidius.

Nullus in Orbe locus Baijs prælucet amœnis.

Magnum illum Ciceronem disserentem audiemus; ex eoque cognoscemus somniũ Scypionis, somnium ne fuerit, an Insomnium,an Visio, an Oraculum, an Phantasma;an geminæ portæ Somni: an earum altera cornea.

Altera candenti perfecta nitens elephanto.

Licebit & hoc e tanto viro quęrere,cur orationes suas non combusserit potius,salutem promittente Antonio,vt se Musis & Reipub. conseruaret, quam caput præcidendum à se defenso Popilio cũ tanto Doctorum dolore dederit.

Si tuis Poetis,loqui libebit. Homerum in Cumis inuenies.Forte hoc sęculo nobis reuelabit,qua Patria, quibusque Parentibus natus sit quod prętérquam Appioni Grammatico, nulli adhuc mortalium reuelasse memoratur; ea tamen lege, ne cuiquam secretum sibi creditum patefaceret; septem quod nosti de eius natiuitate contendentibus Vrbibus.Quis scit? An non &

illud enodabit ænigma, quod in Calcyde ad Amphidamantis Poetæ celeberrimi exequias propoſuit.

Muſa mihi memora quæ nam nunquam ante fuerunt.

Poſtq; futura haud ſunt.

Quęremus & hoc, cur immenſo riſu cum cæteris Dijs riſerit potius quam doluerit Iupiter, videns filiam ſuam Venerē in amplexu Martis dormientem, prudentis Vulcani vinculis circumfuſos, riſuique Deorũ propinatos. Aut cur ex Iouis cerebro, armata nata ſit Mynerua. Aut cur Apollo cum cæteris Dijs beatis, non interfuerit in Nuptijs Achillis; Aut cur mures equeſtres copias contra ranas non eduxerunt. Vel cur non comedant raphanos, caules, cucurbitas, betaſq; virides. Cauſam quoque petemus, cur huic Soli non oculos tantum, ſed & aures tribuat, nec tantum intuentem, ſed omnia etiam faciat exaudientem.

Vergilium quoque in colle Pauſilippo curæ mærori ſque expertę, conuenire poteris. Forte quòd olim tacuit, ne Romanos rerum Dominos proditoris Gentilicios faceret, hoc tēpore nobis aperiet, Aeneaſne pius an Sinon Siſiphius Troiam infæli-

cem prodidit; Aut cur Iuno summi soror Iouis & coniunx, Aeneæ Veneris ex eodē Ioue natæ, filio, ita fuit inimica; an forte ignorauit Romanos ex eius posteritate surrecturos, coniugis & mariti sui tam superstitiosos cultores. Et si forte extra Heliconem sine stylo, & pugilaribus: hominē ociosum viderimus. Libebit & hoc quærere, Cum & Bucolica quæ scripsit, & Georgica, & Aeneida, paulo plus vltra Octoaginta sex millia & quadringentos pedes contineant, immo & ipsius Homeri tam Ilyas quam Odyssea, vix excedant centum septuaginta pedum millia, supra trecentos; fieri ne possit, vt duo sola Heroica carmina decies centena supra quatuor pedum millia contineant? Si tam Catus Poeta ignorabit; exemplum proponemus, sub Alpino Borea natum.

Mille boues pascunt vitulorum millia centum.
Musca super vitulum quemlibet vna sedet.

Si Musica delectabit.

Monte sub aerio qui nunc Mysenus ab illo.
Dicitur, æternumq; tenet per sæcula nomen.
Mysenum Aeneanum tibicinem dulci canētē
SYRINGA AVDIEMVS.

Si scire futura, sicut Aeneæ, sic & nobis Sibilla Cumana, quæ venient, reuelabit.

Forte & præterita, quæ ſcilicet rerum facies fuerit antequam χθόνα δατέοντο Ζεὺς καὶ ἀθάνατοι terram patiebantur Iupiter & immortales: Quid ais? Aut ab iſta vate, aut ab alio nemine cognoſces, cur Iupiter, aurum, quod fiet adulterinum, ſigna dedit aperta inter homines.

Sed quo queat ſigno malus cognoſcier.
Inſitus nullus character corpori.

Bellica forte ſtudia libebit inſpicere, Magnum tibi certamen Lyberi Patris cũ Cerere tota Campania oſtendam.

Si & vaſtos Gygantes, & Illyacas Patris Aeneæ naues, Aenariam, Græcis Pytecuſam, nunc Hiſchiam, dictam nauigabimus. Typhæi centicipitis Gygantis, Iouis icti fulmine nobilitatam Inſulam, aut circa Veſeuum interdiu & noctu oberrantes videbimus.

Si & veteris morem Lybitinæ, Myſeni ad Myſenum inſpiciemus exequias, pyrã pinguem tedis, & robore ſecto, frondes atras, ferales cupreſſos, arma, ahena, latices, purpuras, phæretra, faces auerſas, thura, dapes, crateres, oliuas, flammas, vndas, vina, cineres, oſſa denique & fauillas, cado tectas aheno.

In reditu ſi voles & Labyrintum, & Dędalum

dalum volantem, ad Centumcellas; & paludem Acherusiam, & Cerberum tricipitem & Ditis mænia & eburneam portam, & auricomas ilices, apud Cumas inuenies; forte & ferreos Eumenidum thalamos: & Centauros stabulantes, & Scyllas biformes, & Briareos centum geminos, & Lernas stridentes, & armatas Chymeras, Gorgonesq; Harpiasq; & illum terribili squallore Charontem, cui plurima mento canicies inculta iacet, & succinctam Tysiphonem; forte & Minoem vitas & crimina discentem, Gnossiumq; Rhadamantem.

Inde Puteolos diuertemus, vbi sua scripsit Herodianus Symposia; Iuuabit ex eo cognoscere, cur in ædem Hereulis, nec canes vnquam nec muscæ intrauerunt; vel quomodo Architæ Tarentini, lignea columba volauerit; aut cur olim Neapolitani Apollinem imberbem, Liberum Patrē barbata seniliq; facie tota Campania fingebant; Cum idem sit Liber Pater & Apollo. Forte etiam narrabit, quid Syrenes cantare sint solitæ; aut num veris lachrimis Iulij Cæsaris equi fleuerint.

Libebit & hoc quęrere, an per leges gladiatorum, secutorum, venatorum; Gallienius Imperator donare venatorem corona

na potuerit, quod taurum ingẽtem decies in arenam, è cauea perductum, decies ferire non potuerit. Taurum dicens, toties non ferire difficile esse. Aut, an impostura dici debeat, quod in negotiatorem impostorem, ad Leones, vxoris rogatu, damnatum, quod illi gemmas vitreas magno precio vendidisset. pro Leone, medio theatro Caponem ex cauea emisit; nil aliud rem ridiculam mirantibus, respondens, quam impostura fecit, imposturam passus est; ac ita impunitum dimisit. Licebit & mare inter Baijanas & Puteolanas moles 3600. passuum ponte, ab Xerxis imitationem, qui Hellespontum sinu Baiano angustiorẽ contabulauerat, in Appiæ viæ formam à Caligula Silice stratum inspicere: quem si post decursum phalerato equo pontem: deiectosq; de eo spectatores, aut cãticum desaltantem, aut aurigantem aut reorum defensiones meditantem, animo quietiore, inuenerimus; quærere securius poterimus; cur Homeri & Virgilij carmina & Liuij historiam voluit abolere; aut cur Senecæ doctissimi scripta, arenam esse sine calce dixerit.

Domitianum ad Attallam videbimus. Licebit cum eo expostulare; cur deuictis Sar-

Sarmatis Lauream modo Capitolino Ioui retulit; cum tamen Sarmatæ legionem eius cum Legato simul ad internecionem deleuerint. Et si sagittas habebit ad manum, quorum præcipuo studio tenebatur; patriæ tuæ more licebit experiri, vter vestrum melius tantaq; arte iacula dirigat, vt palmam dextræ manus, pueri procul stantis pro scopulo dispansam non ledat; sed per interualla digitorum, nulla secuta lesione missas sagittas penetrare faciat; aut ardentem candelã ceream, supra frontem stantis pueri applicatam, iacto iaculo extinguat; quod nostris Catholicissimis Masouitis sollemne esse non ignoras; illo, quo scis, tempore.

Si forte animus discendo, oculi spectando pedes ambulando dolebunt, ad ociosas te Capreas quietis causa mittam, Apraxopolim ab Augusto vocatas; vbi Tyberium contemptissimæ inertiæ Principem salutare, garrireq; omnia poteris quæ solent sub rostrarij: rogare præterea vtrum in eius Bibliotheca extet adhuc Aselij Sabini Dialogus H. S. ducentis, ab eo emptus: in quo boleti, & ficedulæ, & Ostreæ, & Turdi certamen induxit: aut eiusdem Tyberij Lyricum carmen, quod inscripsit, de Iulij Cæsaris

ris morte Conqueſtio. Tum & illud, quæ cauſæ, tam inſolitæ legis fuerunt, vt ieiuni homines biberent; potusq́; vini cibos antecederet. Aut quo præcipue meri genere, Tarentinum enim vt generoſum acetũ, & nobilem vappam, oderat; in ſua delectabatur iuuentute: aut cur vitrum ſolidum & argenti inſtar flexibile, ad Lacum Lucrinum, trucidato inuentore, & ipſa etiam diſſipata fornace, parari vetauerit. Forte cauſam quoque dicet, cur tonante cælo lauro coronabatur; aut in tontendo capite ſeruaret interlunia; & hoc etiam, tantundemne nocte, illuni, quãtum claro die cerneret, & reliqua iſtiuſmodi multa libere tibi garrire cum Principe aute mortẽ ſepulto licebit, aut nullas, aut ineptas, aut luxurioſas, aut ridiculas res in Capreis agente.

Iam ni fallor vides, quam multæ in tuo ad nos aduentu vtilitates, quam præcipua habebis in his oris enucleata paradoxa: quamque multarum rerum abditarum efficiemur gnarures.


Quo magis operam dabis, vt venias; nec illud amplius putidum nobis occinas, Mirum eſt quam ſum occupatus; aut ego tam inuiſo verbo, lumbos defractos curabo.

Nar-

Narro tibi,hoſpitem inuenies, mentis & frontis apertæ,Scis & in ſupercilijs animi partem habitare.Fumum tua cauſa maiorem,vicinia non videbit. Menſa tibi ponetur ſobria,frugalis, qualis oblato ſolet, non inuitato hoſpiti; poſt quam non magnæ reliquiæ,vix & lauandæ manus: Non aue Phaſiana Argiua tranſportata carina,non Rombo patenti,non bilibri mullo, non accipenſere toto empto Patrimonio, non Cedride ſucco,non Leucophago, non Limoniaco pultario,non Amygdalina placenta, non ſtrutea cotonea, ſed maiorum more aſſa Bubala & porcina ſubrancida inſtructa. Rapæ, olus, pultes,cænam claudent.etſi integram famem attuleris,ouum apponetur. Sed neque lectos expectabis eburneos, Culcitra in terra, & tu in Culcitra.Dabis igitur operam vt venias,Nam & epiſtolam hanc hilaritatis plenam dare ad te propterea volui, vt iam etiam cæli huius ſoliq; hilaritatem & amænitatem delibes. Petaſumq; ſtatim,penulamq; poſcas; Te expecto. Vale. Neapoli. Kalend. April. 1594.

MARTINO SISKOVIO CANONICO CRACOVIENSI REGIO SECRETARIO.

Epistola LV.



OMAM venisse te gaudeo, sed magis etiam causam aduentus suspicio: quæ te tui, dubiæq; valetudinis, qua laboras, penè fecit obliuisci, digna te, digna vocatione, digna anteactæ vitæ studijs, & ea quàm in vi te consilijs adhibere consueuisti pietate. Quid Sacerdote? quid Prælato? quid Ecclesiastico viro dignius? quàm pro Sanctorũ Dei gloria, & honore sollicitè laborare, quàm eorum victorias orbi loqui vniuerso Christiano, qui & viui, de carne, mundo & Sanguine triumpharunt, & defuncti nõ defunctis etiam è sepulchro succurrunt. Ita te S. Stanislaus Martyr & Episcopus cælesti Regi & Domino commẽdet, quam tu sollicitè, vt magis etiam eius memoria tota Ecclesia celebretur, laborare decreuisti. Planè mihi persuadeo assecutum te, quod laboras, quodque oportet, apud hũc

ita

ita pium, ita clementē ita sollicitum Sanctorum imitatorem Pontificem. Pręcipuū hoc erat in veteri Ecclesia Prothonotariorum,munus dicta factaq́; Sanctorum in codicillos referre, posteritatiq́; commendare:idq́; nunc etiam ipsa nomina in titulos relicta testantur. Nil erit gratius, si quod offerre Sanctę Sedi Apostolicæ decreuisti,rerum à Sācto gestarum epitome, primo quoq; tempore mihi miseris. Iuuabo si potero,vt & pandi veritas, & seruari possit breuitas.

Quod etiam Volanum πολύφονον,& Oxēsem,& Cruskcum,quos nemo natos putabat,nostrę scribis respondisse Ministromachię, facilè est videri cuiquam respondisse,qui tacere noluerit. Quid autem est loquacius vanitate, quę tamen non ideò potest quod veritas, quia plus potest clamare quàm veritas. Superbia est tantum, ait Esaias. Quiesce. Vulnerantur & silentio,inflati. Pilatus & Herodes testis. Crede mihi scriptores vidi nullos, qui maiore prosopopeia nil dicerent. Planè verè dixit Nazianzenus. Plumbei sunt hęreticorum enses,argenteis vaginis inclusi. Ignoranti autem, quem portum petat, nullus suus ventus est.

οὐκ

ſum, magis eſſe deuotus nõ poſſum, quòd & in ſanctis honorandis, & in non ſanctis reformandis, tam piè, tamq; ſollicitè laborat, vt vniuerſa Diocæſis Cracouienſis, ad ſpẽ priſtinæ viriditatis refloreſcat. Omnia ſemper ab iſto Principe ſumma, & ſperaui, & expectaui. Seruet eũ nobis Dominus incolumem, & per eorum, pro quorum gloria laborat, Sanctorum interceſsionem, à Podagræ doloribus liberet, quos ego eiuſmodi eſſe experior, vt ſi Podagra Iobi tẽporibus inter homines fuiſſet, non vlcere malus Dæmon, Iobum iuſtum, ſed Podagra percuſiſſet.

Capitulo quoq; Cracouienſi, quod ego ſemper magnorum Epiſcoporum, & Senatorum Seminariũ arbitratus ſum, has quas ſcribis cogitationes & occupationes gratulor, tum quòd te tam piorum de ſideriorũ internuntio & interprete apud hanc S. Sedem vtatur, qui in magni illius Miſcouij, Epiſcopi & Senatoris Sapientiſſimi ſchola, & familiaritate, magnis in rebus vixiſti, & omnia diligentis & accurati Miniſtri munera, magna cum dexteritate obire didiciſti. Neapolim ſi veneris, prædico tibi; ſtatim dolebis. Quid? Quod iam dudum non veneris. Ipſa te ſitus amę-

nitas, maris crater, collium corona, Promontoriorum aspectus, Insularum crebritas, Vrbis elegantia recreabit. Equidem mihi hoc tempore Aesculapio esse liberet, si fortè quod à me noui generis excogitari possit amuletum; vt sicut inter homines optimè, ita & homines sine aurium vitio audias. Sed huic quoque rei Campi medebuntur Phlægrei. Te expecto.

Salutem quam multis dat, quòd mihi quoque Stanislaus Crasinius, Archidiaconus & Vicarius Cracouiensis limatissimi iudicij, magniq; meriti Prælatus per te miserit, puto mihi fore salutarē. Narro tibi. Amaui semper & amo, ab eo viro amari, qui nil non amandum amat.

Cum Erasmo Dembinski, & dignitate, & splendore Decano, ab ipsis vsque Sacri Concilij Tridentini temporibus, magna mihi semper consuetudo intercessit. Ea porrò & vetustate corroborata, & officijs aucta, ita iam coaluit, nullū vt fulmen metuat. Planè in eius Constantia, id quod scribis esse verissimum certissimumque perspicio. Qui rectè semel amauit, amabit: quos verus amor tenuit, tenebit. Mille vtriq; rescribes remittesq; salutes.

Quæ porrò de Henrico Firleio nata-

lium

lium splendore, clarissimo adolescente, ad epistolæ calcem appinxisti, incredibilem animo meo voluptatem attulerunt. Magnum aliquid Ecclesiæ Dei hæc quæ colit pietatis studia, magnum & ipsi patriæ, morum, & iudicij, ista quam prædicas pollicetur maturitas, quæ vt illi Deus esse perpetua velit, precor & opto: speroq; futurum, si ijsdem ierit itineribus, vt opinione celerius auorum, & proauorum suorum laudes exæquet, quibus hæc vna, & sola cura curæ fuit, vt Rempub. Regni Poloniæ, ex parua magnam facerent. O quàm magna mutatio dexteræ excelsi: si cum his nostris illos mores, & illa tempora conferimus, quæ prætereo, profunda Dei iudicia videre mihi videor. Sed gratulor ordini quoque nostro Ecclesiastico, quòd magis atque magis illustrium accessione personarum illustretur, qui si pro veritate audere voluerint, quod audere nisi potentes non possunt, si qua pollent, authoritatem diuinæ famulam fecerint voluntati, illius timore ruinæ liberati videbimur, quæ ab his quos non ignoras, post inuectam hæresim imminebat. Amabo te Siskoui, (vides quàm blandè) laborare ne desinas, vt in omnibus pristi-

ceptum, miraculisq́; clarissimum ad 15. kal. Maias, quæ in diem, Dominicam in Albis dictam, inciderat, in Augustissima S. Petri Basilica omni adhibita solemnitate & cæremonia, in Sanctorum numerum adscripsit: eosq́; illi deberi honores maiorum & antecessorum more pronunciauit, quos Ecclesia Catholica hominibus vitæ sanctitate, & miraculorum gloria clarissimis, inq́; Beatorum sedes receptis, solita est adhibere. Benedictus Deus, qui seruorum suorum gloriam, suam gloriam arbitratur, & velut aquilæ iuuentutem omnibus sęculis renouari, omnibus eam vult ætatibus reflorescere; adeò, vt nec ipsos puluerũ pulueres inhonoratos relinquat: ipsam adeò glebam, & quidquid sacros pulueres contingit, fidelium suorum venerationi semper & vbiq́; esse expositam cupiat: ob eius Regis cui toto corde seruierunt, maiestatem.

Equidem existimo, magnum aliquod beneficium, ex ea Regum & Principum nostrorum contentione, quam pro manifestanda Beati huius gloria, per multos annos adhibuerunt, ad vniuersam patriã redundaturum. Quis sit an non à Domino impetrabit, vt iam tandem vniuersæ pa-

potuit, cum ab Aegyptio, quendam de Hæbreis fratribus suis percussum videret, sed percussit illicò & abscondit sabulo.

Esaias quoque ne domestici seminis despiciantur, plena grauitatis oratione prohibet.

Paulus licet gentium vniuersarũ Apostolus, suos tamen Hæbreos peculiari cura & studio arbitratus est dignissimos. Galathis quoque scribens, Operemur, ait bonum ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei. Et Thimoteo suo. Si quis, inquit, suorum & maximè domesticorum, id autem est, vt Chrisostomus interpretatur, genere ad se pertinentium, curam nõ habet, fidem negauit, & est infideli deterior. Planè vt existimare debeamus. Beatum quoque Hyacinctum, singulari quodã studio pro Polonis domesticis suis apud Cælestem Patrem laboraturum, vt eam quam ille, & tenuit, & docuit Orthodoxã Catholicam fidem, exclusis recens natis fidibus, quas non nouerant Patres nostri in auitas suas sedes reponat; vtq; Regnum quietum, Regem conseruet iustum, Senatum fidelem, exercitus fortes, populum probum, & Iagelloniam præcipuè Regum

noſtrorum familiam,omni fælicitatis genere cumulet,ex qua Sigiſmūdus ille primus omnium prędicatione Ter maximus Rex, tanta contentione apud Leonem X. & Clementem VIII.pro augenda inter homines B. Hyacinĉti gloria laborauit, & hoc tempore nepos eius Sigiſmundus III. qui nobis fæliciſſimè imperat, apud Clementem VIII. tantoperè deſideratum Canonizationis negotium ad optatum finem deduxit. Benediĉtus Deus.

Narro tibi, Domine mi Reuerendiſſime, quòd amaui me nunquam, ſed nunc tempus eſſe video, me à me iam amari, quod eius laboris & contentionis optatū fruĉtum viderim, quam ego quoque ſummam adhibui, cum Stephani Regis nomine apud Gregorium XIII.tum Sigiſmundi III. apud Sixtum V.Pont.Rom.pro Sanĉti huius in vniuerſa Dei Eccleſia augenda propagandaq́ gloria: ita vt Sixtus quodā in ſermone reſponderet.Si hęc omnia quę dicis, Sacrę Cardinalium Congregationi hodie legitimo produĉto proceſſu probaueris, ego cras ad Canonizationis cæremonium peragendam lubens accedam. Idq́; omninò faĉturus videbatur, ſi vitam illi Dominus longiorem conceſſiſſet.

Sed

Sed laureã istã propterea fortasse Dominus Clementi VIII.reseruare voluit,quòd ei Regno in quo natus, & ex quo in Beatorum sedes B.Hyacinctus assumptus est, pacem non ita pridem,clementia, prudẽtia,pietateq́; sua,quę summa est,reddidit; quietem stabiliuit, omnia nobis & Ecclesiæ Dei tuta præstitit:& supra Beatos eiusdem Sancti cineres immaculatum Deo sacrificium sæpissimè deuotissimeq́; Cracouiæ cum esset,obtulit:pietatemq́;populorum ad Sancti Capsulam aduolutorum, potentiumq́;vim,& operationem Cinerũ, oculis ipse suis vsurpauit: quasi iam tum sibi præparet Dominus virum, per quem è Cathedra vnitatis, paulò post loqueretur de Sancti laudibus,verba veritatis; nõ tam ex libris & testibus hausta, quam ex his quæ manus eius contrectauerunt accepta;quantas virtutes in Polonia per huius Sancti intercessionem, operatus sit Sãctus Sanctorum Dominus.Pro quo eius labore, laborabit sine dubio S. Hyacinctus, ne sedente Clemente EcclesiaDei iaceat, vel sub Hæreticorum persecutione laboret, vel infidelium inclementia opprimatur.

Accipe quod dico.Mira mihi hoc tempore

pore visa est, Sanctorum inter Sanctos, veteris cum præsenti Ecclesia cōsensio: chorea quædam & ludus, Dei & Sanctorum oculis gratissimus. Legatus ex Vrbe Roma venit, pacem Regibus, robur legibus, auxilium afflictis, quietem ferens Ecclesijs: ad Sancti aduoluitur cineres, orat, rogat, plorat, pulsat, omnia quæ ad pacem sunt per Sancti preces impetrat; & dum Sancti iam defuncti miratur miracula, facit & ipse in vita sua mirabilia. Quid ais? Nil isto sæculo mirabilius. Post aurum nō abijt, nec sperauit in pecuniæ thesauris; argentum illi reputatum est fænum: muli & Summari, vt Bernardus loquitur, vel inuiti sine Sarcinis in Vrbem more nouo redierunt. Nemo potuit dicere. Ditauimus Abraham. Mira res, noua res, Liceat cum eodem exclamare. Quando hactenus Roma aurum refutauit? Et hoc certè à Legato factum, sine Curiæ cōsilio credimus. Non licet factum abscondere: etiam si id ipsum molestius laturus sit Pont. eò nos libentius prædicamus. Tam non oportet me Christi gloriam silere, quàm necillū quærere suam. Quod vidimus & manus nostræ contrectauerunt loquimur. Ex intima Sarmatia, Rex & Dominus meus, Ro-

gulſcium ſibi carum miſit, qui mecum ſimul annuum argentum offerret; reuerſo ex Polonia Legato, fatigato illo quidem, ſe non ſuffarcinato, negotiorum mole, nō ſarcinarum preſſo pondere. Cauſas enim ſupplicantium, non manus: negotia, non munera, lachrymas, non ſarcinas in tota legatione ſolitus eſt attendere. Obtulimus, ingeſſimus, in manum, in ſinum, in menſam conati ſumus deponere, quod mittebatur. Quid tum poſtea? Non Regis humanitas, non Sixti Pont. authoritas, quam interpoſuimus, non preces, non ipſa vis muneris impetrare potuernnt, vt acciperet. Quippè iam ille à ſe impetrauerat ne acciperet. Non egere ſe, pius & moderatus Cardinalis reſpondit, & nos quaſi ſtupidos, atque in alterum ſæculū raptos dimiſit. O æui prioris exemplum. Quando vir iſte in limen ſuum malè intrantem obulum admitteret, qui tàm purè caſteq; oblatum non admiſit? Eant & dicant. Nimis citò factus eſt Pontifex. Senum ſunt iſta, Domine mi Reuerendiſſime, nō iuuenum opera, prudentiæ non arrogantię, maturitatis non oſtentationis, Eccleſiæ non Curiæ, Templi non fori, rei non fumi plena conſilia. Habent ſuam & non cani

cani-

hac, quam dico Sāctorum cinerum vi correptum animaduertat. Capſulæ quippè aſpectus in animam inuadens ipſam percellit, exſuſcitat ac perinde afficit, quaſi qui illic mortuus iacet, preces ſimul fundat, præſensq; adeſſe cernatur.

Noſtræ partes erunt, Deo impenſius gratias agere, quòd in hac propè depoſita Reipub. Chriſtianę parte, poſt eas quas à morte Sigiſmundi Auguſti Regis paſſa patria eſt tempeſtates, tanta nobis hoc tempore ſubminiſtret, cum in cælis tum in terris ad ſpem meliorum temporum præſidia. Contra Principes tenebrarum harum, defendet nos apud cæleſtem Regem, & Dominum B. Hyacinctus in cælis. Contra doctores falſitatis, defendet nos in terris Clemens VIII. è cathedra vnitatis. Contra paganos & infideles, defendet nos Rex Sigiſmundus eius quam illi Dominus quottidie adauget, armis & magnitudine poteſtatis. Quid aliud timeamus non video, niſi noſtra vitia, quæ timere non ſolemus.

Facies tu quoque Domine mi Reuerendiſſime, iſto præſertim tempore, quo mores hominum, per tuam Diocæſim Przemislień. verbo & exemplo ad Chriſti vo-

luntatem conformas; vt nouo patrono, noui generis precibus Rescium à teneris annis valdè tibi deditum, valdè etiam cõmendes. Primum vt ipsius antè ipsum moriantur vitia, alterum, vt Podagræ dolores mitigentur. nam vt auferantur mihi puto non expedit. Tertium non desiderat anima mea. Non peto, non enim sum dignus, vt faciat in me Dominus, quod per Apostolum Thadæum, in filio Regis Abdon à Podagra liberato dignatus est operari: vel in Medico Constantini Probiano per B. Michaelis Archangeli intercessionem.

Iobi saltem patientissimi emplastrum, malis meis applicari desidero, dũ hi pauci dies vitæ fallacis decurrunt, ne tam sępè à rerum sublimium contemplatione, ad dolorum tolerantiam, tota vis animi reuocetur.

De Illustrissimo Domino Palatino Lencicienst, Stanislao Minski, Regiæ Maiestatis Oratore, quanta cum dignitate munus vniuersæ legationis sustinuerit, quamq; sollicitè & ardenter in ea vrgenda, & promouenda Canonizatione laborauerit, de qua nobis gratulamur, antè cognouisti. Nullas in se partes prudentis, & magna-

nimi

nimi Senatoris, nullas accurati Miniſtri, & eius quam ſuſtinet perſonæ memoris deſiderari paſſus eſt. Quod mihi credas velim. Cætera dicet R. Pater Seuerinus, Dominicani inſtituti doctiſſimus Theologus, cuius curas, labores, ſudores, ſollicitudines, vitæ, fortunarumq; iacturas, vt Dominus in S. Hyacincto, quàm maximè glorificetur, finem non facerem, ſi ſimul omnes iſto loco recēſerem. Deuoti in Sanctum, filij in Patrem, ſerui in Dominum vix cogitari maior pietas poteſt, quo etiā nomine cupio eſſe D. V. R. chariſſimum.

Seruet R. D. V. Ieſus Chriſtus in vinea ſua, inq; Repub. ſollicitè laborantem, omneſq; ſuas in te tuaq; omnia, benedictiones & miſerationes effundat. Datum Neapoli 9. Kal. Mayas. 1594.

Finis Epiſtolarum.

Imprimatur.
ARDICINVS Biandrà Vic. Gen. Neap.

M. Cherubinus Ratus Veroneñ. Auguſt. Theologus Archiep. Neap. vidit.

PIARVM MEDITATIONVM PROGIMNASMATA.

STANISLAI RESCII.

Psal. 118.


Cantabiles mihi erãt iustificationes tuæ: in loco peregrinationis meæ.



Ex officina Horatii Saluiani.

IN NAPOLI, Appresso Gio. Iacomo Carlino, & Antonio Pace :- 1594.

ANIMÆ PÆNITENTIS ET CHRISTI MISERENTIS COLLOQVIVM.



Anima. VADAM, & affluam deliciis, & fruar bonis — *Ecc. 2*

Christus. Anima quæ in deliciis est, viuens, mortua est — *1. Timo. 5.*

Anima. Habeo multa bona, reposita in annos plurimos, requiescã, comedam, bibam, epulabor. — *Luc. 12.*

Christus. Esca ventri, & venter escis, Deus autem & hunc & illas destruet. — *1. Corin. 6.*

A. Magnificabo opera mea, ædificabo mihi domos — *Ecc. 2*

C. Si non in timore Domini tenueris, te instanter, & cito subuertetur domus tua. — *Eccl. 27.*

A. Possidebo seruos & ancillas, multã familiam habebo & iumenta. — *Ecc. 2*

C. Sed omnia vanitas vanitatum, & omnia vanitas. — *Eccl. 12.*

A Coarceraui mihi argentum & aurũ, & substantias Regna, & Prouinciarum. — *Ecc. 2*

Lucæ C. Stultè hac nocte animā tuam repe-
12. tunt à te: quæ autem paraſti, cuius
erunt?

Ecc.2 A. Magnus effectus ſum, præceſsi om-
nes ſapientia qui fuerunt ante me.

Ro.12 C. Non plus ſapere, quam oportet, ſed
1.Co.1 ſapere ad ſobrietatem, nā quæ ſtul-
ta ſunt mundi, elegit Deus vt cōfun
dat ſapientes.

Mat. A. Habeo ſub me milites; Dico huic va
8. de, & vadit, & alteri veni, & venit, &
Ibidē. ſeruo meo fac hoc, & facit.

C. Sed quicunque voluerit in vobis pri
mus eſſe, erit omnium ſeruus.

Aba- A. Sed ſæpe fit, vt conculcet impius iu-
cuc. 1 ſtiorem ſe, & tu ſæpè reſpicis con-
temptores, & taces.

Lu.6. C. Sed beati eritis cum vos oderint ho-
mines, & cum ſeparauerint vos, &
exprobrauerint, & eiecerint nomen
veſtrum tanquam malum propter fi-
lium hominis

Io. 6. A. Domine. Durus eſt hic ſermo

1.Co- C. Animalis enim homo non percipit
rin.2. ea, quæ ſunt ſpiritus Dei, ſtultitia e-
nim eſt illi, & non poteſt intelligere.

Eccl. A. Domine, ſcriptum eſt. Triſtitiā non
30. des animæ tuæ, & nō affliges temet-
ipſum

ipſum in conſilio tuo.

C. Sed quæ ſecũdum Deum triſtitia eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilẽ operatur, ſæculi autem triſtitia mortem operatur. *2. Corin. 7.*

A. Domine. tamen tu per Apoſtolum tuum dixiſti, Gaudete in Domino ſemper, & iterum dico gaudete. *Phil. 4.*

C. Gaudium iuſto, eſt facere iudicium, & pauor operantibus iniquitatem. *Pr. 21*

A. Nonne tu dixiſti? Qui pie volunt viuere in Chriſto perſecutionem patientur. *2. Ti. 3.*

C. Sed beati ſunt, qui perſecutionẽ patiuntur propter iuſtitiam talium eſt enim Regnum Cœlorum *Matt. 5.*

A. Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma. *Matt. 26.*

C. Sed dixit quidam ſeruus meus. Omnia poſſum in eo, qui me confortat Chriſto; Nam qui ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt, cum vitiis, & concupiſcentiis ſuis *Phi. 4* *Gal. 5*

A. Domine quod natum eſt ex carne, caro eſt, quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt. *Ioã. 3*

C. Sed ſi ſecundum carnem vixeritis, moriemini, ſi autem ſpiritu facta car- *Ro. 8.*

nis mortificaueritis, viuetis.

Eph. 5. & Ro.7. A. Domine. Nemo carnem suã odio habuit, Ego vero carnalis sum, venundatus sub peccato.

1.Corin.6. C. Et hæc quidẽ fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis, in nomine D. N. Iesu Christi, & in spiritu Dei nostri.

Ro.7. A. Ego tamen, Domine, video aliã legem in membris meis repugnantem legi mẽtis meæ, & captiuitatem me in lege peccati, quæ est in membris meis.

2. Ti. 2. C. Militia hominis super terrã, qui autem certat in agone, non coronabitur, nisi legitime certauerit.

Ro. 7. A. Domine non quod volo bonum, hoc ago, sed quod odi malum illud facio.

Ti. 1. Iac.4. C. Sic faciunt homines abominabiles, qui confitentur se nosse Deum, factis autem negant; scienti autem & non facienti, peccatum est. illi.

Eccl. 15. Sap.7 A. Sum & ego mortalis, homo similis omnibus, & in ventre matris figuratus sum caro, ex hominis semine.

1. Tessal. 4. C. Sed iussus es vas tuum posidere in sanctificatione & honore, non in passionibus desiderij, sicut, & gentes

quæ

quæ ignorant Deum
A. Scriptum eſt. Quod omnis caro ad *Eccl.* ſibi ſimilem coniungitur, & omnis *13.* homo ſibi ſimili ſociabitur.
C. Sed fauus diſtillãs labia meretricis, *Pr. 5.* & nitidius oleo guttur eius, nouiſsima autem eius amara, quaſi abſynthium, & acuta quaſi gladius biceps.
A. Tamen ſcriptum eſt. Lætare iuuenis *Eccl.* in adoleſcẽtia tua, & in bono ſit cor *11.* tuum in diebus iuuẽtutis tuæ, & ambula in viis cordis tui, & in intuitu oculorum tuorum.
C. Attende fili ab omni fornicatione, *Tob. 4* quia neque molles, neque adulteri, nec fornicatores intrabunt in Regnum Cœlorum.
A. Domine qui ceciderit, nunquid non adiiciet vt reſurgat?
C. Etiamſi fornicata, es cum amatoribus multis, tamen reuertere ad me, *Ier. 3.* ſaltem a modo voca me pater meus, dux virginitatis meæ es tu.
A. Domine ſcio quod bonum eſt homini ſic eſſe, & beatiorem eſſe, qui ſic *1. Corin. 7.* permanſerit, ſecundum Apoſtoli tui conſilium, ſed tribulationem carnis habebunt eiuſmodi.

Ibidē. C. Sed qui ſic permanſerit ſollicitus eſt quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum vxore eſt, ſollicitus eſt quæ ſunt mundi

Ibidē. A. Vnuſquiſque Domine proprium donum habet ex Deo, alius quidem ſic, alius vero ſic: ſcio quod aliter non poſſem eſſe continens niſi Deus det.

Sap.8. C. Et hoc ipſum eſt ſapientiæ, ſcire cuius eſſet hoc donum.

1.Io.5 A. Scio Domine quia ex Deo ſumus, ſed mundus totus in maligno eſt poſitus.

Io.16 C. Confide fili, ego vici mundum.

1.Io.2 A. Domine, Nonne tu dixiſti? Quod omne quod eſt in mundo cōcupiſcentia oculorum,& ſuperbia vitæ.

1.Io.2 C. Et propterea etiam dixi. Nolite diligere mundum, neq; ea quæ in mundo ſunt; Nam ſi quis diligit mundū, non eſt charitas Patris in eo.

1.Io.4 A. Domine qui de mundo ſunt, ideo de mundo loquuntur.

Iac.4 C. Sed amicitia huius mūdi, inimica eſt Dei, & qui noluerit amicus eſſe ſæculi huius, inimicus Dei cōſtituitur.

Sapiē. 15. A. Sed dicent homines, cinis eſt cor eius, & terra ſuperuacua ſpes eius, &

luto

luto vilior vita eius.

C. Sed si hominibus, ait seruus ille meus placerem, Christi seruus non essem. *Gal. 1*

A Domine scriptũ est de te. Quod multi ex Principibus crediderunt in eũ, sed propter Pharisæos non confitebantur, vt e Synagoga non eijcerentur. *Io. 12*

C. Quia dilexerunt gloriam hominum magis, quam gloriam Dei *Ibidẽ.*

A. Angustię sunt mihi vndique; Si enim hoc egero, mors mihi est: si autem nõ egero non effugiam manus illorum. *Dan. 13.*

C. Si desperaueris lassus in die angustię, imminuetur fortitudo tua *Prou. 24.*

A. Sed quæ est fortitudo mea, vt sustineam? aut quis finis meus vt patienter agam? Nec fortitudo lapidum, fortitudo mea, nec caro mea ænea est. *Iob. 6*

C. Sed olim tibi dixit seruꝰ meus. Quod non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis, tanquam à nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. *2. Co. 3.*

A. Domine audiui auditionem tuam, & timui: audiui & cõturbatus est venter meus. *Abacuc. 3*

C. Sed non dedit vobis Deus spiritum timo- *2. Ti. 1.*

timoris, ſed virtutis, & dilectionis. Nonne vox de cęlo audita eſt, hic eſt filius meus dilectus, ipſum audite.

1. Reg. 3. A. Loquere Domine quia audit ſeruus tuus.

Matt. 6. C. Amen dico vobis. Non poteſtis Deo ſeruire & mammonæ.

Ecc. 7 A. Scriptum eſt tamen. Sicut protegit ſapientia, ſic protegit pecunia.

Eccl. 10. C. Nihil eſt iniquius, quam amare pecuniam, hic enim & animam ſuã venalem habet, quoniã in vita ſua proiecit intima tua.

Prou. 13. A. Domine. Iterum ſcriptum eſt. Redemptio animę viri diuitiæ eius. Diues erat Abraham, Diues & inclytus erat Ioſaphat, diues & inclytus erat Ezechias, & alij.

Pſ. 61 C. Sed ita erant diuites, ſicut ego præcepi. Diuitiæ ſi affluunt, nolite cor apponere. Quia qui confidit in diuitijs ſuis, corruet, & qui aurum diligit, non iuſtificabitur.

Eccl. 31. A. Ergo non omnibus oĩa expediunt, & non omni animæ omne genus placet.

Eccl. 13. & 17. C. Bona eſt ſubſtantia cui non eſt peccatum in conſcientia, & nequiſsima pau-

pertas in ore impij, sed sunt multi impij, Dei gratiam transferentes in luxuriam. *Iudas in Epistola.*

A. Etiam Domine, sed & tres pueros in medio fornacis ardentis, ignis non tetigit, neq; contristauit, neq; quidquam molestiæ intulit. Et filij Israel per medium iter maris perrexerunt. *Da. 3. Exod. 14.*

C. Sed iidem, sub monte Synai, cū manducassent & bibissent, surrexerūt ludere: & vitulum conflatilem adorauerunt, & ceciderunt. *Exod. 32.*

A. Domine, Vniuersa vanitas omnis homo viuens. Omnes nos quasi oues errantes. *Ps. 38 Es. 53*

C. Sed melior est vnus timens Deum, quam mille filij impij. *Eccl. 16.*

A. Beatus est quem ad hoc elegisti, & assumpsisti, inhabitabit in atrijs tuis. *Ps. 64*

C. Non est distinctio Iudæi, & Græci. Nam idem Dominus omnium, diues in omnes, qui illum inuocant, æqualiter illi cura est de omnibus. *Rō. 10*

A. Sed scis Domine. Quod multæ sunt insidiæ dolosi, Bona enim in mala cō uertens insidiatur, & in electis imponet maculam. *Eccl. 11.*

C. Sed

Apo. C. Sed iam proiectus est Draco. ille ma-
13. gnus serpens antiquus. qui vocatur Diabolus, & Sathanas, qui seducit vniuersum orbem: & proiectus est in terram, & angeli eius cum eo missi sunt.

A. Ille tamen sicut à principio, tanquã leo rugiens quærit semper quem deuoret.

Ecc.2 C. Propterea te monui, vt accedens ad seruitutem Dei stares in iustitia, & in timore, & præpares animã tuam ad tentationem.

Eccl. A. Sed vigilia honestatis, tabefaciet
31. carnes, & cogitatus illius auferet somnum.

2. Co- C. Verum id quod in præsenti est mo-
rin.4. mentaneum & leuè tribulationis supra modum, in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.

Psal. A. Domine, Nisi Dominus custodierit
126. ciuitatem, frustra vigilat qui custodit eam. Nisi Dominus ædificauerit domum in vanum laborauerunt qui ædificant eam.

Psal. C. Ecce non dormitabit neque dormi-
120. uit qui custodit Israel.

Ge.3. A. Scio Domine. Nihilominus & serpẽs calli-

callidior eſt omnibus animantibus.

C. Sed ego dedi ſeruis meis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes, & ſcorpiones. *Luc.* 10.

A. Domine: Scriptũ eſt. Qui amat periculum, in illo peribit. *Ecc.* 3

C. Sed & hoc ſcriptum eſt. Quod illic trepidabant timore, vbi non erat timor. *Pſ.* 52

A. Domine. Quis poteſt dicere. Mundum eſt cor meum: purus ſum à peccato. *Prou.* 20.

C. Sed quis putas aſcendet in montem Domini aut quis ſtabit in loco ſancto eius. Innocens manibus & mundo corde. *Pſal.* 23.

A. Domine, Anguſta porta eſt, & arcta via, quæ ducit ad vitã, & pauci ſunt qui inueniunt eam. Lata eſt via ad perditionem. *Matt.* 7.

C. Sed verbum Patris cuſtodiẽs filius, extra perditionem erit. *Prou.* 29.

A. Domine. Quare conturbatur omnis homo. Tu enim dixiſti quod nemo noſtrum cogitans, poteſt adijcere ad ſtaturam, ſuam cubitum vnum. *Pſ.* 38 *Luc.* 12.

C. Ego vero non vane conſtitui filios hominum, ſed vt vitam habeant, & *Pſal.* 88.

abun-

abundantius habeant.

Io. 6. A. Domine tu dixisti. Nemo potest ve-
nire ad me, nisi pater meus traxerit
eum.

Iob 8 C. Vsquequo loqueris talia? & spiritus
Ex.10 multiplex oris tui? vsquequo non vis
Pr.6. subiici mihi, vsquequo puer dor-
2.Pa- mies? Non est ista pugna vestra. Sed
ra.20 Dei.

Eccl. A. Domine languor prolixus grauat
10. me. Ego enim langui & ęgrotaui per
Da.8. dies, & oculi mei languerunt præ in-
Ps.87 opia.

Deut. C. Auferet Dominus à te omnem lan-
7. guorem & infirmitates pessimas.

Ps.68 A. Infixus sum in limo profundi,& non
est substantia.

Luc. C. Sed ego dedi vobis potestatem cal-
10. candi super omnem virtutem inimi-
ci, & nihil vobis nocebit.

Hier. A. Domine. Adhuc modicum, veniet
81. tempus messionis meæ.

Eccl. C. Sed ego præcepi. Ne tardes conuer-
5. & ti ad Dominum, & ne differas de die
10. in diem. Ne dixeris cras dabo, quia
Pr. 3. homo hodie est, & cras morietur.

Luc. A. Latro in cruce pendens, iam mori-
23. turus dixit. Memento mei Domine.

Et

Et tu respondisti. Hodie mecum eris in Paradiso.

C. Vere dixit meus ille sapiens. Multos supplantauit suspicio eorum, & in vanitate detinuit sensus illorũ. Nonne & Iudas dixit. Peccaui tradens sanguinem iustum, & tamen abijt in locum suum, Ne dicas igitur. Misericordia Domini magna, est, multitudinis peccatorum meorũ non recordabitur. *Ecc. 3 Matt. 27. Act. 1*

A. Domine tu dixisti. Cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt. Misericordia tua plena est terra. *Luc. 21.*

C. Sed & hoc quoq; dixi. Quod spes impiorum abominatio est, & spes impij tanquam lanugo est, quæ à vẽto tollitur, & tanquam spuma gracilis quę à procella dispergitur. *Iob 11 Sap. 15. Iud. 6*

A. Tu tamen, Domine, nõ derelinques præsumentes de te & præsumẽtes de se, & de sua virtute gloriãtes humilias, scis quod cogitationes mortalium timidæ, & incerte prudentiæ nostræ. *Sap. 9*

C. Scio quod peruersæ cogitationes separant à Deo, spiritus enim sanctus disci- *Sap. 11*

disciplinæ, effugiet fictum: & auferet se à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu, cogitationes autem iustorum iudicia.

Ge.8. A. Domine, Scis, quod sensus & cogitationes humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua.

Pr.21 C. Vere dixit seruus meus. Vir impius procaciter obfirmat vultum suum: qui autem rectus est corrigit viam suam; Sed ò præsumptio nequissima, vnde creata es aridã cooperire malitia & dolositate illius?

Gen. Hyer. 17. A. Domine. Audiui vocem tuam, & timui; sed scis quod semper præsumit sæua, perturbata conscientia. Non sis tu mihi formidini. Spes mea tu in die afflictionis.

Ezec. 33. C. Ego sum Dominus Deus sanctus Israel, redemptor tuus, saluabo te, & liberabo te, noli timere, & quare moriemini domus Israel.

Psal. 54. A. Domine saluum me fac a pusillamitate spiritus.

Es. 52 C. Ecce adsum ego ipse qui loquebar. Confortare & esto robustus.

A. Quid me vis facere?

Es. 52 C. Excutere de puluere, consurge, sede, solue

ſolue vincula colli tui,captiua filia Sion.

A. Ediſſere nobis parabolam iſtam. *Matt.*

C. Definè à malo & fac bonum. Quieſcite *13.* agere peruerſæ, diſcite benè facere, co- *Eſ.1.* gitatum tuum habe in præceptis Dei,& in mandatis eius, aſsiduus eſto: & ipſe dabit tibi cor & concupiſcentia ſapientia dabitur tibi.

A. Hominis eſt animam præparare, & Do- *Prou.* mini gubernare linguam. *16.*

C. Sed ita præparare ſicut ego præcepi.Cũ *Deut.* quæſieris Dominum Deum tuum inue- *14.* nies eum,ſi tamen toto corde quæſieris, & tota tribulatione animæ tuæ.

A. Domine veni in altitudinem maris, & *Pſal.* tempeſtas demerſit me. *49.*

C. Quare dilexiſti verba præcipitationis lingua doloſa? Iacta cogitatum tuũ in Domino.

A. Beatus homo quem tu erudieris Domi- *Pſ.93* ne, & de lege tua docueris eum.

C. Confidenter ſtate & videbitis auxilium *2.Pa-* Domini ſuper vos. Nolite timere nec *ra.20* paueatis, Dominus eſt vobiſcum.

A. Domine vim patior reſponde pro me. *Eſ.38* Tabeſcere feciſti ſicut arenam animam meam.

C. Quæ ſecundum Deum triſtitia eſt, pœ- *2. Co.*

 niten- *7.*

nitētiam in salutem stabilem operatur. Sæculi autem tristitia mortē operatur.

Ps.34 A. Domine, dic animæ meæ, salus tua ego sum.

Ps.94 C. Quadraginta annis proximus fui generationi huic, & dixi semper, hi errant corde, ipsi vero non cognouerunt vias meas, si introibunt in requiem meam.

Psal. 40. A. In hoc cognoui quod voluisti me, neq; delectasti inimicos meos super me. Ecce labia mea non prohibebo Domine, Ecce Deus Saluator meus, fiducialiter agam & non timebo.

Ps.88 C. Et manus mea auxiliabitur tibi, & brachium meum confortabit te.

Prou. 23. A. Domine oculi tui vias meas custodiunt

Pr. 3. 1. Ti. 5. C. Et ego dico. Præcepta mea cor tuū custodiat, Qui enim custodit os suū & linguam suam, custodit ab angustia animā suam. Teipsum ergo castum custodi.

Psal. 106. A. Quis sapiens & custodit hæc? & intelliget misericordias Domini.

1.Pe.1 C. Sed vos in virtute Dei custodimini per fidem in salutem.

Psal. 118. A. Fiat igitur Domine manus tua vt saluet me. Non est enim tibi difficile saluare, vel in multis vel in paucis,

1.Reg. 14. C. Et ego dico. Fugite, Saluate animas vestras

ſtras. Fugite de medio Babylonis,& ſaluet vnuſquiſque animam ſuam.

A. Intende animæ meæ, & libera eam propter inimicos meos, Attende Domine ad me. *Pſ.69* *Hier* *18.*

C. Attende tu tibi ne incidas *Eccl.*

A. Immo tu Domine mane nobiſcum, quia aduesperaſcit. *19.* *Luc.*

C. Dominus vobiſcum eſt, Si eſtis cum ipſo *24.* ſi dereliqueritis eum, derelinquet vos. *2.P.5*

A. Tu dixiſti: expecta Dominum & liberabit te, libera igitur me de aquis multis. *Pr.20* *Pſ.143*

C. Vbi ſpiritus Domini. ibi libertas. *2.C.3*

A. Tu es qui ſanas cōtritos corde, ſana me ergo & ſanabor. *Pſal.* *146.*

C. Tollite reſinam ad dolorem eius, ſi forte ſanetur. *Hier* *51.*

A. Tu tantum Domine quia pius es miſerere noſtri, *Iud.7*

C. Tu quoque miſerere animæ tuæ, placēs Deo. *Eccl.* *30.*

A. Sed tu Domine omnipotens, audi nunc orationem mortuorum Iſrael. *Bar.3*

C. Et ego dico. Tu quoq; audi quæſo vocē Domini, quam ego loquor ad te,& bene tibi erit,& viuet anima tua. Audi mandata vitæ auribus percipe,& ſciatis prudentiam, *Hier.* *38.* *Bar.3*

Nu. 10. A. Surge tu tantum Domine, & diſsipētur inimici tui.

2.Pa. 12. C. Tu quoque ſurge & fac,& erit Dominus tecum.

Pſal. 118. A. Inclina ergo Domine cor meum in teſtimonia tua.

Pr.2. C. Tu quoque inclina cor tuum ad cognoſcendam prudentiam. Si enim inclinaueris cor tuum prudentiæ, tunc intelliges timorem Domini, & ſcientiam Dei inuenies.

Pſal. 129. A. In quacunque ergo die inuocauero te, exandi me, multiplicabis in anima mea virtutem. Iam igitur eſto propitius mihi peccatori.

Lu.18 C. Propter miſeriam & gemitum pauperum, nunc exurgam. Vis ſanus fieri.

Ro.7. A. Velle adiacet mihi, perficere autem nō inuenio.

Lu.18 C. Quid tibi vis faciam?

Pſ.26 A. Vt videam voluntatem Domini, & viſitem templum eius

Hier. 21. C. Ecce dedi coram vobis viam vitæ,& viā mortis, Si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis,ſi nolueritis,gladius deuorabit vos.

Pſ.88 A. Non mortui laudabunt te, Domine, neque omnes qui deſcendunt in infernum.

Nun-

Nunquid enim tu vane cōſtituiſti filios hominum?

C. Væ duplici corde, & labijs ſceleſtis, & manibus malefacientibus, & peccatori terram ingredienti duabus viis. Qui timent Dominum non erunt incredibiles verbo ipſius. Nōne ideo erratis neſcientes ſcripturas neq; virtutem Dei. *Ecc. 2*

A. Deus, Tu ſcis inſipientiam meam, & delicta mea non ſunt à te abſcondita. *Mar. 12.*

C. Pænitet me feciſſe hominem. *Ge. 6.*

A, Sed quare contracta eſt anima tua in nobis, *Zac. 11.*

C. Siquidē & anima veſtra variauit in me. *Ibidē.*

A, Quare ergo fingis laborē in præcepto. *Pſ. 99*

C, Tentat vos Dominus Deus veſter, vtrū diligatis eum. *Deut. 13.*

A. Scio quod dilectio Dei, honorabilior ſapientia. *Ecc. 1*

C. Vſquequo ergo claudicatis in duas partes? ſi Dominus eſt Deus ſequimini illū, ſi autem Baal ſequimini eum *3. Re. 18.*

A. Vere ſcio quod non ſit alius Deus in vniuerſa terra, niſi tantum in Iſrael Dominus meus & Deus meus. Quo itaq; ibo a ſpiritu tuo, & quo a facie tua fugiam? *4. R. 5* *Io. 20* *Pſal. 138.*

C, Nullus ſperauit in Domino & confuſus eſt, ſcuto circundabit te veritas mea, *Ecc. 2* *pſ. 138*

*Ps.*38 A. Domine,scio quod propter iniquitatem corripuisti hominem. Quare, rogo te, eripe me de luto vt non infigar.

*Ps.*90 C. Eripiam eum, & glorificabo enm, lon-
Hier. gitudine dierum replebo eum. Non de-
32. sinam eis benedicere.

*Ps.*40 A. Nunquid qui dormit non adijciet, vt resurgat.

*Io.*11 C. Resurget frater tuus, nõ enim mortuus est, sed dormit:

Mar. A. Credo Domine adiuua incredulitatem
9. meam.

*Es.*32 C. Qui credit Deo, attendit mandatis, & qui confidit in illo, non minorabitur.

Ezec. A. Tu dixisti Domine. Facite vobis cor no-
18. uum, & spiritum nouum. Ecce paratum cor meum. In manus tuas commendo spiritum meum.

*Ps.*50 C. Sacrificium Deo spiritus cõtribulatus:
Gen. cor contritum & humiliatum non despi-
32. ciam. Si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines præualebis?

Matt. A. Sed rogo te, ne nos inducas in tentatio-
6. nem: nec me desinas in tempore malo,

2.*M.*1 C. Immo vero, vos omne gaudium existi-
Iac. 1 mate, cum in tentationes varias incideritis, sciẽtes quod probatio fidei vestræ patientiam operatur.

Ergo

Ergo Domine, ſpiritu principali cõfir- *Pſ. 50*
ma me, bonus enim eſt, & ſuauis ſpiritus *Sap.*
tuus. *12.*

C. Sed in maleuolam animam non intrabit *Sap. 1*
ſpiritus ſapientiæ, nec habitabit in cor-
pore ſubdito peccatis

A. Ergo Domine viſitatio tua cuſtodiat *Iob*
ſpiritum meum. *10.*

C. Sed nemo mittit vinum nouum in vtres *Matt.*
veteres, alioquin rumpuntur vtres, & vi *9.*
num effunditur & vtres pereunt.

A. Domine ſi vis potes me mundare. Nam *Matt.*
ab immundo quid mundabitur, & a men *8.*
dace quid verum dicetur? *Eccl.*

C. Quotidie apud vos fui loquẽs de Regno *34.*
Dei mundare te volui, & non es munda- *M. 26*
ta a ſordibus tuis, ſed veniens veniam, *Ezec.*
& non tardabo, eſt ſpes nouiſsimis tuis. *24.*

A. Adiutor meus, & protector meus, ne tar *Ab. 2.*
daueris; ſed Miſerere mei, ſecundũ ma- *Hier.*
gnam miſericordiam tuã, & ſecundum *31.*
multitudinem miſerationum tuarũ dele *Pſ. 39*
iniquitatem meam.

C. Sperantes in Domino, miſericordia cir *Eſ. 38*
cundabit.

A. Amplius laua me ab iniquitate mea, & *Pſ. 50*
a peccato meo munda me.

C. Recipiet ſanitatem caro tua atq; mun- *4. R. 5*

daberis.

Pſ.50 A. Quoniam iniquitatem meã ego cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper.

Pſ.91 C. Vir inſipiens non cognoſcet, & ſtultus non intelliget hæc.

Pſ.50 A. Tibi ſoli peccaui & malum coram te feci vt iuſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cum iudicaris.

2.Re. 12. C. Dominus tranſtulit peccatum tuum.

Pſ.50 A. Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum & in peccatis concepit me mater mea.

Ecc.4 C. Sed timor Domini expellit peccatum. Et qui ſine timore eſt non poterit iuſtificari.

Pſ.50 A. Ecce enim veritatem dilexiſti, incerta & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi.

Pſal. 127. C. Vt videas bona Hieruſalẽ omnibus diebus vitæ tuæ.

Pſ.50 A. Aſperges me Domine & mundabor, lauabis me & ſuper niuem dealbabor.

Eſ. 1. C. Si fuerint peccata veſtra, vt coccinum, quaſi nix dealbabuntur.

Pſ.50 A. Auditui meo dabis gaudiũ & lætitiam, & exultabunt oſſa humiliata.

Pſ.34 C. Exultent & lætentur omnes, qui volunt iu-

iustitiam meam.

A. Auerte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele *Ps. 50*

C. Deleui vt nubē iniquitates tuas, & quasi nebulam peccata tua *Es. 44*

A. Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis. *Ps. 50*

C. Mundabo cor tuū, etiamsi feceris omnia opera meretricis & procacis. *Ez. 16*

A. Ne proijcias me à facie tua, & Spiritum sanctum tuum ne auferas a me. *Ps. 50*

C. Si vos cū sitis mali nostis bona data dare filijs vestris, quanto magis Pater vester de cœlo dabit vobis spiritum bonū petentibus se. *Luc. 12.*

A. Redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me *Ps. 50*

C. Timor Domini delectabit cor, & dabit lætitiam, & gaudium in longitudine dierum. *Ecc. 1*

A. Docebo iniquos vias tuas, & impij ad te conuertentur. *Ps. 50*

C. Qui conuerti fecerit peccatorē, ab errore viæ suæ, saluabit animā eius à morte, & operit multitudinem peccatorum. *Iac. 5*

A. Libera me de sanguinibus Deus Deus meus, & exultabit lingua mea iustitiam tuam. *Ps. 50*

Quo-

Ps.90 C. Quoniam in me sperauit liberabo eum, protegam eum, quoniam cognouit nomen meum.

Ps.50 A. Domine, Labia mea aperies, & os meũ annuntiabit laudem tuam.

Ps.80 C. Aperi os tuum & imp'ebo illud

Ps.50 A. Quoniam si voluisses sacrificium dedissem, vtiq; holocaustis non delectaberis.

Eccl. 35. C. Sacrificium iusti acceptũ mihi est,& memoriam eius non obliuiscetur Dominus

Ps.50 A. Sacrificium Deo spiritus cõtribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despicies.

Os.14 C. Ego sum qui sanabo contritiones eorũ, diligam eos spontaneæ.

Ps.50 A. Benigne fac Domine in bona voluntate Sion, vt ædificentur muri Hierusalem.

Iob 22. C. Si reuersus fueris ad omnipotentẽ, ædificaberis, & longè facies iniquitatem à tabernaculo tuo.

Ps.50. A. Tunc acceptabis sacrificium,oblationes & holocausta, tunc imponent super altare tuum vitulos

Es.58 C. Et tu quoq; delectaberis super Domino, & sustollam te super altitudines terræ,& cibabo te hæreditate Iacob Patris tui, Os enim Domini locutum est.

Ps.38 A. Exaudi orationem meã Domine, & de-

pre-

precationem meam, auribus percipe lachrimas meas. Tu enim dixisti. Effundite coram illo corda vestra. Ecce egò effundi coram te animam meam.

C. Propterea recipietis disciplinã, vt obediatis verbis meis *Hier.* 35.

A. Ecce ego sum stans iugiter per diem, & super custodiam meam ego sum stãs totis noctibus. *Es.* 21.

C. Et ego vias tuas vidi, & sanaui, & reduxi. *Es.* 57.

A. Misericordia Domini plena est terra. Quis enim ego sum, quia non sunt pro nihilo habita hæc in conspectu tuo, Domine?

C. Viuo ego dicit Dominus, Nolo mortem peccatoris, sed vt cõuertatur à via sua, & viuat. *Ezec.* 33.

A. Domine. Scriptum est. Quod melior est puer & pauper & sapiens Rege senè & stulto, qui nescit prouidere in posterũ. Quamobrem doce me facere voluntatẽ tuam. 2.*R.* 7. *Ecc.* 4.

C. De propitiato peccato noli esse sine motu. *Ecc.* 5.

A. Domino in abscondito semper plorabit anima mea à facie superbiæ, plorãs plorabit, & educet oculus meus lachrymã. *Hier.* 13.

C. Veruntamen si præterea linguis hominum 1.*C.* 13

num loquaris & Angelorum ſi habueris prophetas,& noueritis myſteria omnia, ſi habueris fidem, ita vt montes trãsferas, charitatem autem non habueris, nihil es.

Cãt. 1 A. Domine, Ordina in me charitatem

Matt. 22. C. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & proximum tuum ſicut teipſum. In his duobus mandatis pendet tota lex & Prophetæ.

1. R. 3 A. Loquere Dñe quia audit ſeruus tuus.

Matt. 11. C. Et ſi hæc cuſtodiuiſti a iuuentute tua, & vis perfectus eſſe, Vade vende quæ habes, & da pauperibus & habebis theſaurum in cœlo; & veni, & ſequere me.

Matt. 19. Pſ. 88 A. Non omnes capiunt verbum hoc, ſed quibus datum eſt. Verum tu potens es Domine & veritas tua in circuitu tuo.

Io. 15 C. Amen dico vobis. Quicquid petieritis Patrem in nomine meo. Fiet vobis. Petite & accipietis. Quærite & inuenietis. Pulſate & aperietur vobis.

1. Ma. 3. A. Domine ſicut fuerit voluntas in cœlo, ſic fiat

1. Mat. 9. C. Secundum fidem veſtram fiet vobis.

Zacc. 2. A. Benedictus Dominus Deus Patrum noſtrorum in ſecula, Fiat. Fiat.

C. Lauda & lætare filia, quia ecce ego vero,&

nio, & habitabo in medio tui.

A. Veni & noli tardare. *Heb.*

C. Ecce venio cito, & merces mea mecum *10.*
est. *ap.22*

A. Veni Domine Iesu, veni Domine Iesu *Ibidē.*
Etiam cito venio. Amen. *Ibidē.*



MEDITATIVNCVLA DE MORTE.

Homo . Spiritus.



OMO. Ecce æger sum,& morior. Spiritus. Statutum est hominib᷒ semel mori. H. Sed viuenis morior. S. Lætare, quia citius admetam peruenies. Non interest vtrum quis parùm an multum viæ confecit, quando quo debuit peruenit. H. In ipso ætatis flore morior. S. Grati animi argumentum est, & citò & cumulatè quod accepisti reddere. Ho. Sed parentes, & amicos immatura morte mea contristabo. S. Modò ne teipsum: citò siccantur hæredum lachrymæ. H. Has ergo tantas opes, has fortunas, has tàm amplas facultates relinquam? S. Si amorē earum anteà reliquisses, alacrius nunc ad mortē accessisses. H. Iam nunc & quidem libenter relinquerem, si saltem vitam retinerē: S. Quis tibi credet, qui cùm potuisti non fecisti? H. Sperabam vitam diuturnā,& ex illis vitę præsidia petere,& proximo benefacere cogitabam. S. Sed sciebas mortem esse

esse certam, mortis horam incertā. H. Putasne, quod saltem hoc bonum propositum meum acceptū sit creatori? S. Accipit Dominus bonam voluntatem, vbi non inuenit facultatem. H. Ergo sine vlla spe, & consolatione mori debeo. S. Si aliam tibi in vita non parasti de hac ego sola valde timeo. H. Dic ergo quæso te. Quid in vita mea facere debebam? Quid omisi, quod omittendum non erat? Quid commisi, quod committendum non erat? vt de commissis, & ommissis simul doleam, & aliquam tamen in oculis Redemptoris mei gratiam inueniam S. Si fecisses, quæ à Deo mādata sunt, si non fecisses, quæ à Deo vetita sunt, quodque te non fecisse nunc pænitet, in meliori nunc statu causam tuam versari vidisses. H. O vtinam omissa adhuc facere, commissa, adhuc plāgere, & eleemosynis redimere possem. S. O vtinā iam hæc fecisses omnia. H. pænitet me non fecisse, S. Et mihi dolet te tàm mali tempus tuum cōtriuisse, quod tibi ad laudandum Deum, & ad agendam de peccatis pœnitentia assignatum erat. H. Non ne placatur Dominus pœnitentia peccatoris? S. Placatur si non à primis libris tātùm veniat, sed ex intimo cordis exeat, & ad extremum vsque maneat.

H. Iam

H. Iam extremum tempus meum video, & ideò ex corde profectò doleo. S. Extremũ suspirium offers Domino, qui per tot annos vitæ tuæ, primogenita, mundo carni, & sanguini obtulisti, Ho. Nõ venit Dominus tãtùm saluare iustos, sed peccatores, & hoc præterea promisit, quod quacunque peccator hora ingemuerit, saluus erit. S. Suspirium ex necessitate natum, non solet esse Deo gratum, roga tamen Dominum, vt sic in finem perseueres. Ho. Iam finem vitæ meæ video, & cum ea mente propositoque morior. S. Immo nũc tibi maius instat periculũ, nunc maior imminet tẽtatio. H. Admone quæso te ò spiritus quale sit hoc vt caueã. S. Sæpè ante admonui, vt istius horæ, & tẽporis meminisses, & certè multùm sæpè dolui, multumque fleui, quia non audiuisti. Ho. Sed scis, quòd amicus in necessitate probatur. Quid autem respondebis de tuo offitio creatori, quia cum mihi datus pro custode esses ad extremum vsq; mihi non affluisti? S. Surdo nõ loquimur, nec cum lapide litigamus. Hoc verò iam tempore non est locus emendandi, sed remunerãdi. Ho. Habe patientiam in me, ò bone Spiritus, & doce me, quæ mihi euenient in vltimo meo transitu si quid earum rerũ,
vel

vel cauere forte,vel tollerare potero.S.Vtinam modo hęc tibi ſcire proſit,cauere certe non poteris. Ho. Qui fugere inimicum non potuit, fortius ſæpè in ſua defenſione pugnauit. S. Corpus hoc tuum quod antè ità delicate, ita ſumptuosè nutriebas, quodq́; nunc languet, & deficit, ecce paulatim paulò poſt frigeſcet.Cor ſaltabit,pectus palpitabit, pulſus capriſabit, oculi tenebreſcent,lingua obduriſcet, guttur rauceſcet, dentes nigreſcent, omnia vt lapis dureſcent, cuncta palleſcent: nullus Medicus iuuabit, nulla medicina recreabit, nō pater, non mater, non frater, non amicus ſubleuabit; nullus cibus ſapiet, nullus potus ſatisfaciet, nullus locus, nullus lectus proficiet. Loqui volis lingua non ſeruiet, ſpirare voles pectus deficiet,quęri cū amico voles non poteris. Intus ardebis, foris frigebis, intra calor, extra ſudor ſignum deficientis corporis. Aderunt fortè amici, non eos videbis:loquentur tibi non eos audies: plangent ſuper te non iuuaberis,monebunt te, non intelliges, fortè etiam antequam morieris te relinquent,quādo corporis tui fætorem ſentient, fortè enim iam fætebis, antequam plenè moriaris. Ho. Sed Sacerdos aſsiſtet orans,animamq́; Deo cō-

mendans, ſpero quod & hæredes. S. Hæredes tua, crede mihi, non te curabunt, Pecunias tuas claues tuas, ciſtas tuas, loculos tuos te deſerto veſtigabunt. Familia verò quæret ipſa quoq; ſpolia, ornamenta cenaculorum te forte adhuc inſpectante detrahet, Inſtrumenta deliciarum tuarum diripiet, chara tua excutiet, ſecreta tua penetrabit: vix culcitram ſub te, vix copertam ſuper te, qua tua nuditas contegatur relinquet: fortè etiam de mollibus ſtratis tuis, in terram ſemiuiuum è lecto deturbabit, plumasq́; tuas inter ſe, ſpirante te diuidet, fortè etiam os obturabit, fortè colũ franget, & contra hæc nullũ conſilium, nullum remedium. Ho. Omnium iſtorum minor iactura, & corpus moriatur vt vult, & opes rapiat, qui poteſt, modò ſpiritus ſaluus fiat. S. Laborante corpore, ne quæſo te putes à labore vacuum eſſe ſpiritum, longè, longè inquã grauior erit pugna Spiritus, quam defectio corporis. Ho. Rem horrendam narras. S. Sed nimis profectò veram. H. Verùm qs talia ſuſtinere poterit? S. Sola, Sola, inquam, bona cõſcientia, mala verò, non poſſum omnia dicere quantum pudebit, quantum timebit, quantum trepidabit, quantum flebit quantum patietur,
Ibi

Ibi astabunt coram oculis tuis omnia dicta, facta, cogitata tua, quæ in omni vita tua siue volens, siue nolens fecisti. Quodcunq; vnquam corde, ore, & opere, siue in publico, siue in secreto perpetrasti totum simul apparebit. Ibi ex improuiso apparebunt etiam ea omnia peccata, quæ prius non cogitabantur, non æstimabantur, non curabantur: latere sepulta videbantur: risus, & iocus putabantur. Ibi astabit turba tentatorum, dæmones infernales, visu terribiles, formæ insolitæ, horrendæ; quæ vel ex sano homine animam expelleret, si quales sunt, tales viderentur. Ibi se tibi varia spectra, & obstupenda monstra ostendent, terrores inijcient, mala tua obiicient, exagerabunt, exprobrabunt, insultabunt, fortè etiam corpus quoque tuum exanime semiq; viuum diuexabunt, & turbabunt: negare fortè voles facta tua, non poteris, excusare, neq; hoc poteris: & si posses, nil iã tibi proderit, dicent ipsa pro se contra te in faciem tuam: Opera tua sumus, si tu nos non fecisses, nos non essemus; sine te pati non debemus, tu nos fecisti, mens tua mala, lingua tua, manus tuæ fecerunt nos, tua, tua sumus. Dicet Auaritia, ego quiete sedebam in inferno, & in sinu Plutonis quie-

ſcebã; tu me inde euocaſti, & per me aliena improbiſsimè rapuiſti, fraudaſti, prædas feciſti, aliena bona, & poſſeſsiones inuaſiſti,tua verò bona auariſsimè in antris, & ſpecubus, & in terræ viſceribus aſſeruaſti ſecretiſsimè, panem eſurientibus potũ ſitientibus, nudis veſtimentum denegaſti, mercedem operarijs ſubtraxiſti, domos ad domos, agros ad agros, vineas ad vineas nefariè adiũxiſti: quod terra tua quod flumina tua, horti tui, ſyluæ tuæ,quod ſpecus, & antra,& montes, quòd panis deniq; tuus quem comediſti, quòd potus quem bibiſti, quod domus, quod lectum,quod cœlum ipſum, aurum, & gemmas non plueret doluiſti. Et ideo ſæpè creatorem tuum blaſphemaſti, ſæpiſsimè proximum tuum ſuperbè abs te reieciſti, Dicet ſuperbia, ego apud patrem meum Luciferũ, in honori magno manebam,tu me excitaſti,& vocâſti,& per me creatorem tuum neglexiſti, Proximum irriſiſti, & læſiſti, humiles conculcaſti, ſuperbos inquietaſti, Pauperes contempſiſti, diuites irritaſti, omnia turbaſti, quodque non ſolus toti mundo imperaſti doluiſti, omnibus te ſuperiorem, præ te verò cætera omnia inferiora, vel nulla reputaſti, bonis te putaſti meliorem, eruditis doctiorẽ, pru_

prudentibus sapientiorem, diuitibus opulentiorem, malis te voluisti videri peiorẽ, in vultu fuisti austerus, in habitu superfluus, in cõuersatione fastuosus, in sermone luxuriosus, in motu lentus, in respondendo partus, in omni gestu habituq; corporis odiosus, in omnibus inuidiosus, gaudebas etiam & superbiebas, quod in omnibus partibus in Asia, in Africa, in Europa, multos vbiq; seruitores & ministros, fundorumq; factores, procuratores, & villicos, & hortulanos numerabas, qui propter te mundum inquietabant proq; tuis commodis & vtilitatibus per fas, & nefas laborabant. Ira similiter dicet, Et ego inter furias infernales offitium meum faciebam, & tu me inde eduxisti, & per me multos multis iniurijs affecisti, lęsisti, calcasti, spoliasti, pessum dedisti, vita spoliasti, fortunis exuisti, honoribus priuasti, vbique cædes, vbiq; clades, vbiq; homicidia, & infortunia seminasti, nullas iniurias, nulla obloquia: nullas admonitiones, correptiones, exhortationes ferrè moderatè voluisti, Leoni fuisti crudelior, Basilisco periculosior, serpente venenosior, in oculis flammam, in vultu truculentiã, in verbis ferociam gestauisti: quod alij per te viuerent, quod omnes ho-

mines vnam ceruicem non haberent, quam posses, cum iratus esses arbitratu tuo scindere, doluisti. Gula similiter dicent. Ego apud diuitem epulonem in inferno opiparè conuiuabar, & tu me ad se inuitasti, & omnia quæ supra, & infra sunt propter gulam tuam inquietasti: propter te nulla in mundo de vita sua fuerāt secura animalia, nec feræ in syluis, nec aues in aere, nec pisces in mari: terram ipsam mille modis diuexasti, vt inordinatæ gulæ tuæ seruiret, herbas nouas, & mirabiles, & fructus fantasticos producere eā tuis artibus, & phantasijs coegisti, montes sępè diuisisti, specus, antra, saxa, cauernas, hiatus terræ inuestigasti, abyssum quoq; profundissimi maris, secretosq; eius recessus propter gulā tuam inquietasti: procul à mari cum esses, pisces de secretis maris voluisti, procul à terra cū esses, feras ab extremis terræ, & intimis syluis, & montibus quæsiuisti: nec satis tibi fuit, ita illis vti vt natura fecit, sed mille modis obtrūcasti, lacerasti, secasti, miscuisti, nouas ex illis naturas, nouas creaturas, nouas formas tibi figurasti, potus, & liquores diuersos finxisti, naturas mutans, & varians, & miscens, quasi singula nō benè essent à tuo creatore ad vsum tuum condita,
co-

comedisti, vt vomeres, vomuisti vt ederes, fortasſis autem, nec vnquàm cum fame comedisti, nec vnquàm cum siti bibisti, & interim tot famulos, tot ministros, tot coquos, tot pistores, tot pincernas infelices insatiabilis gulæ tuæ ministros occupasti, qui aliquid pro anima sua melius fecissent, si non gulæ tuæ tanto cum suo labore, & sudore diebus & noctibus ministrassent. Luxuria simili dicet, & ego in Regno Veneris, & Cupidinis molliter, & delicatè viuebam, Et me inde pertraxisti, vt per me immensas, & insatiabiles libidines carnis tuæ satiares, & omne genus turpitudinum degustares. Te ipsum corrupisti, alios corrũpere studuisti, nullius per te castitas fuit tuta, nullius pudicitia secura, nullius matrimonium quietum, nullius thorus immaculatus, ne templa quidem, & claustra, & monasteria ab insidijs, & libidinibus tuis tuta, securaq; fuerunt, fornicationes, adulteria, incæstus, ludum, iocumq; putasti: nec tibi fuit satis ordo naturæ, ipsum quoque peruertisti, viribus etiã corporis deficientibus, animo, & voluntate peccare non destitisti, atq; vt peccare posses miris te artibus, & præsidijs, & cibis, & vnguentis fouisti, & refouisti, vestitu lasciuo, picturis

Venereis,cibis calidis,odoribus delicatis, ædibus ornatis, mollibus ſtratis, floribus variatis, balneis balſamatis, muſicis, & cantibus & fiſtulis, ad omnem luxum atq; turpitudinem accommodatis:nō ſatis fuit veſtes tuas, menſas, lectos, ſedes auro, argēto gemmis, & ſericibus exornaſſe,etiam equos tuos,& mulos,& canes cæterasq; beſtias, currus quoq; inſenſatos, & lecticas auro, & gemmis, ex altero orbe petitis veſtiuiſti: nec ſatis hoc, vili ſæpè vitro bibiſti, & in argento cacaſti. aures tuas ſæpè crudeliter perforaſti, gemmisq; præciofis oneraſti,manus tuas, & digitos aureis ſæpè laminis lapidibusq; conſtrinxiſti, & ad hoc integra patrimonia profudiſti, ſubditos tuos colonosq; miſerè diuexaſti,ſubſtantiā eorum emunxiſti, ſanguinem eorū intemperantiſsimè ſorbuiſti. Turbam quoq; ſeruorum innumerā, minimæq; neceſſariā ad hoc aluiſti, vt paratos haberes ad omnem luxuriam turpitudinis miniſtros, nec vllū vnquàm genus exquiſitiſsimæ voluptatis prætermitteres, comptos pueros, celeres ſeruos, ornatos famulos in delicijs habuiſti, non optimos,ſed ornatiſsimos: non humiles ſed faſtuoſos, non ſimpliciſsimos, ſed aſtutiſſimos, & cautiſſimos, rerum libidi-

numq;

numq; adminiſtros, & fautores, adiutores, inuentores in tuis intimis reputaſti. Inuidia quoq; dicet. Et ego in angulo apud patrem meum ſedebam, plangens multorum emendationem, & correctionem: ſed tu opera mea vti voluiſti, vt proximo tuo Dei gratiam, profectum in omni bono, laudem, & amorem hominum, fælicitatē, fortunas, dignitates, honores, & alia tàm corporis, quam animi bona inuideres, famam lacerares, exiſtimationem minueres, benè facta, benèq; dicta in peiorem partem acciperes, & verteres: propter bonum proximi cor tuum contabuit, ſpiritus defecit, neminem bonum equis oculis, neminē fælicem, & fortunatum læto, hilariq; vultu aſpexiſti. De omnibus tàm amicorū quàm inimicorum fortunis, & bonis tabuiſti. Accidia quoq; dicet. Ego de factis, & dictis mortalium parum omninò cogitabā, quia meam quietem, meum ocium, meas tenebras, meum ſuauiſſimum lectulū, & ſomnulum amabā, ſed tu me excitaſti, vt te quoque ociari, pigreſcere in omnibus rebus bonis negligentem, & ſupinū, & remiſſum eſſe docerem, & certè in omnibus, & ſingulis optimè profeciſti. In laude creatoris tui, quàm rarus, quàm negligens, quàm tepi-

tepidus, quam frigidus fuiſti non ignoras: pro bono ſaluteq; ptoximi verbum vnũ; facere, pedem vnum mouere, manum etiam te vertere pigebat pro ſalute tua, pro anima tua, vel nihil vel valdè parùm, in omni vita tua laboraſti, tàm ſuauia, tàm læuia, tam facilia fuerunt creatoris tui mãdata: ad quę tamen manus admouere contempſiſti. Sæpè etiam non ob vllam inopiã, ſed ob meram inertiã graue tibi fuit manus ad pauperem vociferantem extendere: ſæpè quoque te vel imber vel tempeſtas, vel etiã lutum in platea, vel veſtis longior vel ſplendidus calceus retinuit ne ægrotum viſitares, ne carceratum liberares, ne iacentem erigeres. Viciſſim autem ne præſentia quidem extremaq; pericula prohibere te potuerunt, ne ad ludos ſcænicos, ne ad choreas, ne ad ſpectacula, ne ad funambulos, ne ad ſtultos, & moriones properares. Quando verò confeſſionis, & communionis tempus veniebat, libentius profectò auditurus eras, ſi quis tibi dixiſſet, abi citò, & ſuſpende te, quàm abi, & peccata tua ſacerdoti confitere: pudebat te dicere, quod non pudebat facere: pudebat ſanare, quod non pudebat vulnerare, quodq; vnum ad omnes, omnis generis pœnas inferendas

ſatis

ſatis eſſe poterat, pudebat, pigebatq́;, te quatuor illa ſalutaria, tamq́; efficatia verba ex animo dicere; Peccaui Domine, miſerere mei. Quę ſi fortè ex aliquo caſu quãdoq́; dicebas. Deus ſcit an firmum, & conſtans, & ſtabile propoſitum deinceps non peccãdi in animo tuo habueris. Forte enim cogitaſti, quod bonus eſt Dominus, quod patiens, quod miſericors, illud autem non cogitaſti, quod maledictus eſt homo, qui in ſpem veniæ peccat. Si verò ad Eccleſiam aliquando veniebas, tanquàm illuſor aliquis Creatorem tuum, & glorioſiſſimã matrẽ eius, ſanctorumq́; eius imagines, & memorias, vno tantum genuflexus adorabas, ſæpè etiam molles tibi puluillos ſubſtrauiſti, & ſi quam orationem breuem, & ſuccinctam habuiſti, fortè ſola tantum labia in conſpectu hominum mouiſti, fortè verba etiam integra, vel amputaſti, vel omiſiſti, fortè etiam antequàm orationẽ Dominicam abſolueres dormiuiſti, fortè ſæpius oſcitaſti, vel antequã fini res diſceſſiſti, nec quid coràm Deo, & ſanctis eius vel diceres vel cogitares, aut vbi, vel coram quo ſtares cogitaſti: etſi quando deuotus valdè videri volebas, animoq́; tuo imperaueras, vt vnicum ſaltem valde breue Pater noſter diceres,

ceres, & aliquot Aue Maria. longã in manu coronam geſtando, murmurabas, mens fortè tua non fuit tecum. Lingua quidem Pater noſter murmurabat, ſed cor tuũ per Theſauros tuos & campos, per vineas, per prædia, & cælaria inquietiſſimè ambulabat. In amoribus tuis, in horreis, & mercibus tuis, in foris, & iudicijs in luſibus, & choreis, in muſicis, & choreis, & aleis, cæterisq; vanitatibus vagabatur, tot Eccleſiæ templa Capellæ, Monaſteria, dies & noctes tua cauſa ſtabant aperta, tot indulgentiæ propoſitæ, tot conciones, tot ſtationes deuotiſſimæ, tu tamen hæc omnia propter ſolam tuam inertiã & pigritiã non tua, ſed aliorum cauſa hæc omnia fieri cogitaſti, ipſe non frequentaſti. Hæc & alia ſimilia ſeptem ipſa peccata mortalia, quibus Deum offendiſti tibi fortè veriſſimè, & audaciſſimè exprobrabũt. teq; pęnis omnibus obijciendum, ſempiternisq; & immortalibus ignibus digniſſimum accuſabunt. Tu verò ò anima miſera, ò infœlix ſpiritus, quid ad hæc, quæſo te, reſpondebis, ſed nec reſpondere quicquam poteris ad ea quæ in conſciẽtia tua vera eſſe videbis, niſi quod te ipſum, ſed fruſtra, & ò nimium fruſtra, & hæc omnia deteſtaberis. Quid autem ipſi quoq;
quin-

quinque corporis tui ſenſus, num & ipſi ſilebunt, quod illorum opera raro benè, ſæpiſſimè autē malè, vel inordinatè vſus, vel potius abuſus es, in contumeliam creatoris tui, in damnum, & iniuriam ipſius quoque corporis tui: oculis tuis maluiſti fortè videre mulierē pulchram, quàm Angelū bonum, picturam Veneris, & Cupidinis quàm crucifixi, & glorioſæ Virginis. maluiſti Ouidium, & Dantem, & Boccatium, & Reiū, cæteraſq; fraſcas ineptorum Poetarū quā Dauidem, & Salomonē, quàm Eccleſiaſten, & Prouerbia legere. Naribus quoque tuis maluiſti Arabica pigmenta, & odores Indicos, Perſicaq; ſuffimenta odorare quàm vnius hoſpitalis in qua Chriſti pauperes decumbunt fætorem, & putorē tolerare. Guſtu tuo maluiſti delicatos, & varios cibi, potuſq; ſapores, quàm Chriſti corpus, & ſanguinem ſæpè deguſtare. Auditu dulces & laſciuos cantus, & ſonos, & fabulas, & iocos, & riſus, quàm vnius Monachi cōcionem, & admonitionem, & Pſalmos, & verba Dei, & ſanctorum hiſtorias auſcultare. Tactu tuo maluiſti mollia, quàm aſpera, delicata quàm horrida tāgere, maluiſti ſericum, quàm cilicium portare. Ipſa quoq; quatuor elementa, quas abs te acceperunt iniu-

iniurias commemorabunt. Quemadmodũ eis ad tuam luxuriam, ad improba tua desideria, ad illicitas cupiditates sæpè abusus es, Sol etiam & Luna, & Stellæ quascumque vnquàm tuas turpitudines aspexerunt siue die, siue nocte coràm creatore tuo vltionem, & vindictã postulantes manifestabunt. Quale autem putas gaudiũ adferent hæc oĩa terribilibus illis aduersarijs tuis circumstantibus demonibus: videbis eos ad hæc omnia annuentes, applaudẽtes, approbantes, sibi inuicem gratulantes; proferent ipsi quoq; sua contra te memorialia, sua regestra Codices illos maximos, in qui bus malefactorum tuorum Annos, menses, dies horas, momenta, qualitates occasiones, modos, vias, & rationes omnes, quæque inde nata sunt, nasciq; potuerunt scan dala diligenter, & accuratè notauerũt. Ipsa te conscientia tua, ipsis quinq; sensibus, ipsis tuis manibus, & pedibus, cæterisque membris quibus quæq; perpetrasti de peccatis tuis conuincent. Fortè etiàm terribiles eorum voces audies, Exi scælesta anima, exi Dei creatoris tui contemptrix, nostra, nostra es, nostra signa geris, nostras notas. mores. nostram liuream portas, nos quod nostrum est cupimus, & quæ his tuis meri-

meritis debentur præmia, tibi repræsentabimus: dic ergo verbum iam cõtra Dominum, iaculare blasphemias in omnipotentẽ & morere. Tu verò quid inter hæc omnia, ò anima misera, ò verè misera, & omni prorsus humano, diuinoq; præsidio destituta in illo tuo semiuiuo fætidoq; corpore cogitabis? quid dices? quo te vertes, ad quem respicies, si omnibus bonis destituta es, acta res est, iudicata es, damnata es, Velles forte non audere quæ dicuntur, quę oculis ingeruntur, non poteris hoc facere, tua te scientia, tua te conscientia cõstringet, quod illi, hoc ipsa quoq; tibi loquetur, non poteris te in te non videre, te in te nõ audire, te in te non sentire, tuæ ipsius scientiæ, & conscientiæ non poteris non credere, pænitere velles, non iam hoc poteris, manere velles, ire te compellent, mori velles, forte adhuc non permittent: si post terga respicies, quantumcunque multos vitæ tuæ dies vixeris totum illud tempus, citius quàm ictum oculi, citius quàm vnum momentum præterisse reputabis, & ea quæ te consequentur peccata, nimium nimiumq; horresces: si ante te oculos conuerteris, secula, & secula, & secula seculorum, nullum finem in secula seculorũ habitura videbis:

in

in quibus pœnas pro tuis meritis; perferre tolerareq; debebis. Terrebunt te Dei mandata quæ cõtempſiſti, terrebunt vetita quæ commiſiſti, terrebunt illi dies, quibus de vitio in vitium, de luto in lutum de ſcelere in ſcelus proceſſiſti: cæcus eras, & cęcus eſſe volebas, vinctus eras, & vincula nõ horrebas, amarum dulce, & dulce amarum reputabas, ex quo erit tibi magna confuſio, de cog tationibus confuſio, de factis cõfuſio, de dictis confuſio, de moribus cõfuſio, à vertice capitis, vſque ad calcẽ pedis cooperiet te confuſio: ò ter, quaterq; fœlix, ò ter quaterq; beatus, qui huius diei, & temporis quotidie meminit: ò verè beatus, & fœlix, qui ſe quotidie moriturum recordatur, ò beatus qui mane cogitat, quod forte ad veſperum non viuet. Qui veſpere cogitat, quod manè fortè non videbit, tales nunquàm vllam mortem timent, qui hoc vnum ſemper diſcũt, vt benè moriãtur. Tales non terrebuntur vllis Dæmonum legionibus, cõtra quas in omni vita ſua ſeſe armauerũt, vt non ſolùm quæuis pericula ſubire, ſed ſæpè millies mori maluerũt, quàm vno peccato mortali creatorem ſuũ offendere, propterea orauerunt, propterea ieiunauerunt, propterea eleemoſynas dederunt,

runt, propterea cor suum compunxerunt, lachrymas effunderunt, cilicio se texerũt, nudi incesserunt, propterea mille labores, propterea mille persecutiones, mille mortes sustinuerunt, in exilium acti sunt, secti sunt, vsti sunt, lapidati sunt, vt ne creatorem suum offenderent, quibus dignus non erat mundus:& existimabit aliquis se posse similia cum ipsis præmia adipisci qui dissimilia opera, dissimiliaq; studia consectati sunt, Bonus est Dominus, sed & iustus, misericors est, sed & terribilis, ignoscit sed & punit. Ho. Verè iam hæc omnia videre mihi videor, & antequàm video, iam horreo, & totus deficio præ illorum expectatione. S. Si bonam conscientiam haberes, nihil horum timeres, sola bona consciẽtia ridet, & negligit hæc omnia. Ho. Sed ego peccator sum, peccator sum omniũ, quos iste sol aspicit peccatorum maximus, sed fidelis tamen sum, vnius sanctæ Catholicæ, & Apostolicæ Ecclesiæ filius sum, Deũ Patrem, Deum filium: Deum Spiritum sanctũ agnosco, & cõfiteor: & in summa quicquid nobis Ecclesia Catholica præcipit, firmiter credo, & constanter retineo, & omnem spem meam, & fiduciam meam in merito crucis, & passionis Dei, & Domini nostri

 Iesu

Iesu Christi colloco, certusq; sum,quod nō vult Dominus mortem peccatoris, certus sum, quod non venit vocare iustos, sed iniustos, certus,sum quod misericordiæ eius non est numerus. S. Rectè dicis hæc omnia, verumtamen vide diligenter, cùm extremum illud tentationis tempus de quo supradixi venerit, ne qua in re cedas inimico, non credas illi, non te submittas, nō succumbas, non desperes, & vt præstare id faciliùs, & securiùs valeas, quamdiu sensus adhuc aliquis in te superest, verte te ad Reginam misericordiæ, ad Reginam cœli, Reginam Angelorū omnium, respice stellam matutinam, voca Mariam,roga vt tibi in illa hora assistat, vt Aduocatam tuam agat, vt causam tuam apud filium tuendam difendendamq; suscipiat, vt cum eadem fide, & fiducia ad illud vsq; tempus permaneas, dum Spiritum tuum creatori tuo restituas: Confide ergo fili mi, bonum Dominum habemus, paratior est ad præstanda, quàm sumus nos ad petenda ab eo beneficia; nec ego te propter istam fidem desero, sed omninò tibi assisto vsq; dum iudex viuorum, & mortuorū Deus, & Saluator noster Christus Iesus de causa tua sententiam tulerit, quæ qualiscunque tandem fuerit, iusta

iusta erit, recta erit, vera erit. Ho. Si talis confusio, talis pugna, talis anxietas in morte, quid fiet post mortem? S. Custodiat te Dominus, & omnes suos fideles à tali cõfusione, & anxietate, nec mente cõprehendi, nec verbis exprimi magnitudo potest confusionis illius, nec est possibile, vt à quoquam comprehendatur: Statim enim vt sententia damnationis lata à iusto iudice fuerit, Sathanas exultabit, totus infernus iubilabit, & tripudiabit, rapient animam tuam spectra illa horrenda, captam per loca inuia, & horrida, per abyssum, & tenebras portabunt, vsq; dum proijcient in locum diabolo, & angelis eius assignatum, locum pœnarum & afflictionis, locum horroris, & stridoris, locũ tædij, & infortunij, locum ignis sine lumine, locum pœnarum sine fine, locum dolorũ sine remissione, in quo ignis vrit, & non consumit, frigus afficit, & obrigesceri non permittit, vermis rodit, & non corrupit, vbi fletus, & stridor dentium ploratus, & vlulatus magnus, maledicta in creatorem, & horrendæ blasphemiæ, & istorum omnium quæ dicuntur, quæ neq; dici possunt, nullus finis, nullus inquam finis in secula seculorũ erit expectandus, his autem omnibus maior nihi-

lominus erit dolor, & cruciatus mordentis, & remordentis intus conſcientiæ, quæ dolebit, & deteſtabitur ſeipſam, quod non cognouit tempus viſitationis ſuæ: omnium autem horum illa, nihilominus erit pœna, omnium maxima, & grauiſſima, infælicis animæ, priuatio diuinæ viſionis, priuatio conſpectus Dei omnipotentis, & omnium earum fælicitatum, & voluptatum quæ ab illo ſummo, & æterno bono prouenire poſſunt, quęq; de illo vel dici, vel cogitari poſſunt, quæq; etiam non poſſunt, quæ longè maiora ſunt: quibus ij ſoli perfruentur, qui in hac vita in Deum crediderunt, Deum amauerunt, Deo obedierunt, mortis, & extremę dici quotidie meminerũt. Ho. Ago tibi gratias ò bone ſpiritus, Aſſiſte mihi quæſo te, parce mihi, quod te ſæpè offendi, quod pias tuas inſpirationes, & conſilia non audiui, imò etiam repugnaui, pænitet me hæc oĩa feciſſe, & quia ſic tibi chara eſt ſalus mea, dic, quæſo te, pro me vnũ verbum ad Dominum, O Creator, nũquid vanè conſtituiſti filios hominum, nunquid vanè præcioſiſſimum ſanguinem tuum, ex latere tuo effudiſti, non mortui profectò laudabunt te Domine, neq; omnes qui deſcendunt in infernum, Memento Domine,
quod

quod in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea, cur ſtipulam ſiccam perſequeris, & cõſumere me vis peccatis adoleſcentiæ meæ, reſpice de ſanctuario tuo, & intuere ad ſacroſanctam Hoſtiam, quam tibi offert vnigenitus filius tuus Dominus noſter Ieſus Chriſtus pro meis, omniumq́; credentium peccatis, & eſto placabilis ſuper multitudinem malitię meæ, ecce vox ſanguinis ſeruatoris mei filij tui Domini noſtri Ieſu Chriſti clamat ad te de cruce, Reſpice in faciem illius nõ ad mea Domine, ſed ad illius merita reſpice, qui tibi vſq; ad mortem obediẽs factus eſt, nec recedant ab oculis tuis cicatrices eius in perpetuum, & memineris quantam ab eo pro peccatis noſtris ſatisfactionem acceperis, Vtinam Domine appendas in ſtatera peccata, quibus iram meruimus, & paſsionem, quã pro nobis paſſus eſt innocens filius tuus, certe Domine lõge maior, atq; grauior apparebit, magisq́; etiam digna, vt propter ipſam effundas ſuper nos miſericordiam tuam: quàm fuerũt illa noſtra demerita, vt pro peccatis noſtris contineas in ira miſericordias tuas. Per iſtius itaq; crucis, & paſſionis tuæ merita, te ſupplex oro, & obſecro, noli me condemnare.


S. Rectè habent omnia, sed voca præterea Sacerdotes, vt ipsi quoq; pro te orent, tu vero te signa & resigna continuo signo sanctissimæ Crucis dicens, In manus tuas Domine commẽdo spiritum meum, etsi adhuc poteris sicut initio morbi fecisti peccata tua iterum sacerdoti confiteri, corporis, & sanguinis Dominici viaticum sume, & extremæ vnctionis sacramentum adhibe, de cætero fiat volũtas Domini, & si te Sàthan iterum ob peccata tua vexauerit, & ad desperationem perducere voluerit, si non potes ore, dic saltim in corde. Iesu Christe fili Dei viui, pone crucem, & passionẽ tuam inter iuditium tuum, & animã meam, idq; tantisper dum spiras repetere non desine: Quod si gratiam inuenieris ò nimium fœlicem animam tuam quod ad sponsum suũ Christum quem amauit, quem timuit, euolabit, vt in eius sinu, regnoq; cœlesti viuat sine fine. gaudeat sine fine, eoq; fruatur sine fine, videbunt eam filiæ Sion. Videbunt omnes Angelorum chori, videbunt sanctorum agmina. & beatissimam prædicabunt, audiet etiam dilectum suum sibi dicentem, Surge propera amica mea, & veni, iam hyems transijt, imber abijt, & recessit, flores apparuerunt in terra nostra. Veni,

vt

vt læteris in conſpectu meo, Ecce pono te in thronum meum, quia cõcupiui ſpetiem tuam intra in gaudium Domini tui, quod nemo tollet à te. Sed iam oculi tui, vt video, tenebreſcunt, fortè etiam & auditus hebeſcit. Quamobrem dic ſaltem in corde tuo Ieſus, Ieſus, Ieſus. & te Deo permitte.



MEDITATIVNCVLA DE ORATIONE.





DEvs meus, creator meus, redemptor meus, & omnia. Confiteor tibi, in toto corde meo, & benedico nomen sanctum tuum in æternum. Tu fecisti me & omnia quæ in cœlo, & qua in terra propter me. Cœlo non indigebas, quia ante omnes cœlos, quicquid erat, vel si quid erat implebas. Sole non indigebas, quia ipse lux es indeficiens, & lucem inaccessabilē inhabitas. Terra non indigebas, quia omni mole corporea carebas & omnibus quæ in ea sunt. Sed hæc omnia in eius, quem ad imaginem tuam creaturus eras, hominis vsum præparasti, vt cœlum videns, sole gaudens, terra vtens, nunquā posit tui obliuisci: sed te sine intermissione laudare, prædicare, glorificare, & amare pergeret in terra, ac ita se dignum præmio faceret in cœlo. Nec satis hoc fuit, vt inanimata nobis suo quodam modo loqui face-

faceres. Tu locutus es, viam, vitæ ostendisti, leges descripsisti, exempla dedisti. Te comitem adiunxisti, vias omnes ne pereamus obstruxisti. Nec satis hoc: sed cũ vidisses terram corruptam: & delere quem creasti hominem propter malitiam decreuisses. Arcam iterũ vt aliquos tamen more tuo saluares, parari voluisti. Ita liberando populo Mosen ex fiscella præparasti, ita ad propulsandam famem Aegypti è seruitute & carcere Iosephũ exemisti. Ita Ioannem in vtero ordinasti, vt pararet tibi plebem perfectam. Ita Saulũ excecasti, vt vas electionis fieret: ita vt puellam sanares, tibicines eiecisti. Ita vulnerato Samaritanũ transeuntem prouidisti. Ita Domine & das omnia adiumenta, & aufers omnia impedimenta ad salutẽ. Ecce ego Domine prostratus ad pedes misericordiæ tuæ. Confiteor tibi pater, & negligentiam & malitiã meam, quia nec cœli terræq; beneficiis, nec tuis præceptis, nec tuis præsidijs, passus me sum impediri, quominus te Dominum meum desererẽ, & aduersario & meo, & tuo adhærerẽ. Ecce Domine factum est in anima mea, magnum & vastum diluuiũ, multarum & vanarum cogitationũ, percutientium se, sicut vnde & procellæ furibundi ma-

di maris, euntium & redeuntium, nec vnquam quieſcentium. Tn mihi ſis arca. Ecce animam meam vagiẽtem in fiſcella ſcirpea. Tu mihi ſis nutrix, Ecce fame timoris tui pereuntem. Tu mihi ſis Ioſephus. Ecce me vulneratum: tu ſis Samaritanus. Ecce me excecatum; tu mihi ſis Ananias. Ecce mortuũ vt citius ſuſcites, eijce tybicines: Quanti tybicines ò Domine, quam raucos & diſſonantes, à tua voluntate ſonos edunt in anima mea. Coram te raro ſtant. Extra te ſemper. Et quia extra te nequeũt in vno loco acquieſcere, currunt, volãt, eunt, redeunt, aſcendunt, deſcẽdunt, iam in cœlo iam in terra, iam in inferno, nullibi ſunt rarius quam domi. Aliena facta vident, ſe & ſua non vident. Omnia volunt ſcire, videre, audire, examinare, peragrare, numerare, ſicut olim Dauid populum. Mitte ergo ò Domine Angelum tuum, vt ex illis interficiat 70. millia & ſufficit. Et ſi tempeſtates ſunt dic illis Domine. Tace & obmuteſce, & ſequatur tranquillitas magna. Si me vt Pharao perſequuntur, diuide Domine ſicut aquas maris animam meã. Ex vna ſit timor tui: ex altera amor. Ingrediantur vanitates in medium, & ſuffocentur, Si latrones ſunt, & ſanctarum occupationũ homici-

micidæ. Tu sis Samaritanus, vinum infunde, iumento impone, stabulario commenda, denarios eroga, iube angelo tuo mei curam habere. Potuit olim Iosue soli tuo dicere: sta hic. Dic tu Domine vagabundis istis fantasijs, vt stent coram te; Dic oculis, respice in me, dic auribus: Epheta. Consolida bases pedũ meorum. Da vt possim dicere cum Abacuc. super custodiam meam stabo, & figam gradum super munitionem. Da: ne amplius cum Ephraim pascam, ventos. Erue quasi damulam de manu venatoris, & quasi nauim de manu aucupis, scis Domine quod ne cogitare quidem ex nobis bonum possumus, tanquam ex nobis, cogitatio enim cordis nostri, praua est ab adolescentia sua, omnis autẽ sufficiẽtia nóstra ex Deo est. Ecce do tibi animã meam. Nolo eam sine te Domine, quia mors mihi est, sine illa non viuit caro, nec illa sine te: si das mihi animã meam, da & te, aut animam tene, & terrenam carnem hanc terræ redde. Quid enim sunt, aut vnde mihi sunt ò Deus istæ tam multæ, vanæ, damnosæ, vagabũdæ cogitationes & phantasiæ. Nonne sunt quasi mulieres alienæ multæ, quas adamauit Salamon, & auerterent cor eius, & Deos gentium sequeretur.
Non-

Nonne sunt sicut illi vendentes, & emētes in templo? sicut mensæ nummulariorum, aut cathedræ vendentium columbas? certe Domine & mensæ & nummularij, & cathedræ & columbæ ad tuam gloriam seruiunt, sed in templo quid hęc faciūt in anima sacerdotis tempore contemplationis. In hora orationis, compunctionis, sacrificij lachrymarū quid ista impediunt quid etiam non consentientes auertunt. Fac Dñe funiculos & eijce, vt templum animæ meæ solis tuis vsibus deputetur. Sol iste quem fecisti, & stellæ aquas creasti ordinatissimo cursu, & nobis seruiunt, & sapientiæ tuæ magnitudinem ostendūt? Maris ingens impetus, nonne tenuissima arena reprimitur? sit iam in me hæc nota, quod sim vernaculus tuus. Circūcide cogitatus hodie, sepem illis circumda. Memoriam beneficiorum tuorum, vt arenam obijce, ad quam omnis impetus allidatur. Id quidem ego non mæreor, parum enim adhuc tali desiderio moueor. Sed tu misericors & miserator Domine, nolens mortem peccatoris, aufer à me morē peccatoris. Tolle omne id quod mihi nocet, & tibi displicet, & da mihi omne id, quod mihi prosit, & tibi placet. Scis quod cogitationes nostrę vanę sunt: ostende itaq; tu de the-

thesauris tuis cordi meo gratiam, & pulchritudinem puræ, & sanctæ cogitationis, vt iam tandem extruere incipiam tria tabernacula. In vno mediter de te, in altero de me, in tertio de proximo. Quartum nesciat anima mea. Scio Domine quid tibi displicuit in Pharisæo,& quid placuit in Publicano. Non quia ieiunabat bis in Sabbatho, non quia decimas dabat, nō quia non fuit raptor, iniustus, adulter, sed hæc sua bona, non tua bona putabat, quia in oratione suas non tuas laudes prædicabat, q̃a se non te laudabat, quia mente per hominum ora volitabat, & ante te solo corpore stabat. Video vicissim quod in Publicano placuit, non quia decimas non dabat, aut sabbatho nō ieiunabat, sed quia hoc ipsum tibi humiliter confitebatur, corde tibi adhærens, & animo præsens nusquàm in oratione vagabatur: peccatorem se agnoscēs, & percusso pectore veniam petens, se damnabat, te laudabat. Quam Publicano fecisti humiliter petenti, fac & mihi gratiam, peccata mea sinceriter cōfitenti. Doce nos orare. Quādo enim impetrabo, si nunquàm rogare didicero. Quomodo autem iam discere potero, quod per quadraginta annos non didici? Certe Domine, nisi tu ædificaueris

ueris domum, in vanum laborauerunt qui ædificant eam. Nisi tu docueris me, nescio quomodo scire possum te. Doce nos itaq; orare, mentem erigere, cor siste, linguam moue, cum tecum loquor cogitē te, & cogitem me, & præterea nihil. Sic puto Domine quod audies, & dabis quod rogabo. Hucusque non impetraui quicquam: quia non sicut oportet rogaui. Fac igitur Domine, vt præter te nihil viuat in me. Nolo scientiam quæ aliud docet, nolo memoriā quæ aliud recordatur, quam te: nolo denique & intellectum, qui omnia nouit, præter te. Morbo graui laborat Ezechias, & quia orabat te conualuit, & redijt in se, etiamsi de lectulo clamaret ad te. Iob patientissimus toto corpore laceratus, in sterquilinio sedens inuocabat, & sanitatē priorem, liberos, totamq; substantiā magis, quam à principio recuperabat. Abrā inter alienigenas. Iudit in tentorio. Moses in deserto. Dauid in castris, In ventre cæti Tobias, in lacu Leonum Daniel. Petrus in carcere. Paulus in profundo maris. Stephanus inter lapides, Ioannes in exilio, Hi Domine quacunq; lingua, quocunq; loco, quarumq; statu corporis, orabant, impetrabant. Quare id, quia sicut oportet ora-

orabant. Da mihi quoq; ſicut oportet orare, vt poſsim quod oportet impetrare. Habebo omnia ſi ſciam orare, quia oratio ſapiens, nouit omnia impetrare, nec tua bonitas, quicquàm illi nouit denegare: Potentia tua tempore non minuitur. Miſericordia ſæculis non euertitur, Bonitas benefaciendo nō atteritur. qui illos docuiſti, doce & me orare, vt oportet, imo hoc ipſum quod rogo, fac rogare, vt oportet. Sed fortaſſe Domine non dignaberis, venire in domum plenam tumultu, & tubicinibus, vbi omnia vanis, varijs, vagabundis, & inordinatis fantaſijs, & cogitationibus perſtrepunt, à quibus ſubito, quidquid boni offertur, tanquàm a fluctibus obruitur, vbi nulla pax, nulla quies, nullus ordo. Quid igitur faciam Domine, mittam ad ſcholam tuam cor meum, tibiq; illud reſignabo, & tu illi, ò præceptor Ieſu, hanc vnicā leges lectionem, quemadmodum orare te oporteat, in ſpiritu & veritate, & ſufficit. Cum hoc vnū ſciuero Domine, reliqua quæ deſunt impetrabo.

Iuſtiſsime, ſeueriſsimè, benigniſsime, clementiſsime Deus meus & omnia. Quando enim tibi per omnia placebo? quando mihi perfecte diſplicebo? quando nil viuet

in

in me præter te? ſi hoc adhuc rogare te neſcio. Doce ò magiſter, doce ò præceptor, vt quod tu vis & mihi expedit, ſciam te rogare. Vir polutus corde & labijs ego ſum. Non ſum dignus attolere oculos ad altitudinem cœli. Sed ſcio quid faciam. Video quaſi ſcalam Iacob, & Angelos tuos per illam aſcendentes, vt hodiernæ Ducis ſui Michaelis feſtiuitati aſsiſtant, & fideliũ tuorum deuotionem, & orationes perſcribãt, ad teq; perferant. Conficiam chirographũ in quo tibi plenè cor meum reſignabo, & dabo vni ex Angelis aſcendentibus, & aſsiſtentibus tibi, vt ad te perferat, tibiq; tradat & tu de corde meo ſtatuas quod voles. Non enim illud volo amplius pro meo reputare, ſed mihi mori cupio, vt tu poſſis illud de tua voluntate informare, informatum inflammare, inflammatum conſeruare, conſeruatum beare: & ſi vt timeo, angelus quoq; fętorem cordis mei horruerit, adhuc ſcio, quid faciam, Ibo ad crucem tuam, & audacter vt Petrus introibo in monumentum. Adorabo roſea vulnera tua, digitum in latus vt Thomas inferam, & ibi ſecreto cor meum relinquã & ſtatim mundabitur, Certe in tuo latere mundatum, non horrebis amplius, ſed, formabis & docebis

cebis vt voles. Eia Domine, nunc exurgo, & curro quia nimis diu iacui. Hei mihi nimis diu iacui. Sed infirmus sum pedibus, & visitatio tua bases pedum meorum dissoluit, forte montem Caluarium ascendere, tibiq; loqui non potero. Adhuc scio quid faciam, stabo à longe cum Publicano, & percutiens pectus meum dicere non cessabo, Deus propitius esto mihi peccatori. Vel cum filio prodigo clamabo. Pater peccaui in cœlum, & in terram: iam non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut vnum ex mercenarijs tuis, forte tu Domine protinus consolidabis bases, & plantas, & ascendam & faciam, vt dixi, Sis benedictus in sæcula: Iesu præceptor sis benedictus, & doce nos orare, doce nos orare Iesu saluator & sufficit.

Amen:-

Post grauissimum morbum, Ereptas fortunas, & mortẽ Regis Stephani.

REx Christus fecit cænam magnam, & vocauit multos: & misit seruum suum hora cœnæ, dicere inuitatis, vt venirent, quia iam parata sunt omnia. Et cæperunt excusare. Primus dixit, villam emi, necesse hebeo videre illam: rogo te, habe me excusatum. Alter dixit. Iuga boum emi quinque: & eo probare illa, Alius dixit: Vxorem duxi, & ideo nõ possum venire. Et reuersus seruus, nunciauit hęc Domino suo. Rex autem cum audisset, iratus est, & ait seruis suis. Ite ergo ad exitus viarum, & quoscunq; inueneritis vocate ad nuptias. Egresi ergo serui eius, in vias, congregauerunt omnes, malos & bonos quos inuenerunt & impletæ sunt nuptiæ discumbentium. Intrauit autem Rex vt videret discumbentes, & vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali. Et ait illi. Amice quomodo huc intrasti non habeas

veſtem nuptialem? At ille obmutuit. Tunc dixit Rex miniſtris. Ligatis manibus & pedibus eius, mittete eum in tenebras exteriores. Egreſſus itaq; foras dicebat intra ſe. Quid faciam? quia Dominus meus deleuit me de libro vitæ, fodere non valeo, mendicare erubeſco. Et non eſt inuentus ſpiritus meus in me, ſed tabeſcebam, nec fuit qui conſolaretur me, & diceret mihi verbum, quia Dominus dereliquit me, & gradiebar prope viam in obſcuro, aduesperaſcente die in noctis tenebris, & caligine. Et ecce occurrit mihi mulier ornatu meretricio, præparata ad decipiendas animas, & garrula & vaga, qnietis impatiens, nec valens conſiſtere pedibus ſuis, nunc foris, nunc in plateis, nunc iuxta angulos inſidians. Apprehenſumq; deoſculabatur, & procaci vultu blanditur dicẽs, Victimas pro ſalute deuoui, hodie reddidi vota mea, idcirco egreſſa ſum in occurſum tuum, deſiderans te videre & reperi. Videns autem oculis & ingemiſcens, & ſuſpirans. Quieſcat, ait, vox tua a ploratu, & oculi tui a lachrymis, quia eſt ſpes nouiſſimis tuis. Miſerere animæ tuæ, & ne des afflictionem cordi tui. Non eſt cenſus ſuper cenſum ſalutis corporis, & non eſt ob-

lectamentum, ſuper cordis gaudium. Melior eſt mors, quam vita amara, & requies æterna quam languor perſeuerans. Multos occidit triſtitia, & non eſt vtilitas in illa. Venite ergo & fruamur bonis quæ ſunt, & vtamur creatura tanquam in iuuẽtute celeriter. Coronemus nos roſis antequã marceſcant. Nullum pratum ſit, quod nõ pertranſeat, luxuria noſtra: vbiq; relinquamus: ſigna lætitiæ, hæc eſt pars noſtra, & hæc eſt ſors. Exiguum & cum tedio eſt tempus vitæ noſtræ, & non eſt refrigeriũ in fine hominis, & non eſt qui agnitus reuerſus ſit ab inferis. Vmbræ enim tranſitus eſt tempus noſtrum & non eſt reuerſio finis noſtri. Et addidit dicẽs, Veni ergo inebriemur vberibus & fruamur cupitis amplexibus donec illuceſcat dies, & ducebat me ad manum; ego vero cogitabam qualis eſſet iſta ſalutatio: vox quidem, vox dulcis, & grata in auribus adoleſcentis: ſed tamen ignorabam quid facerem, quia adhuc modicum erat lumen in me. At illa: Nonne & tu mortalis homo ſimilis es omnibus; & in ventre matris, figuratus es caro ex ſemine hominis? Nonne omnis caro ad ſibi ſimilẽ coniungitur? & omnis homo ſibi ſimili ſociabitur? Lætare, ait Sapiens, iuuenis, in ado-

adoleſcentia tua, & in bono ſit cor tuum, in diebus iuuentutis tuæ, & ambula in viis cordis tui,& intuitu oculorū tuorum. Omnes nos,quaſi oues errātes. Et quis eſt qui dicat. Mundus ſum à peccato? Cinis eſt cor eius, & terra ſuperuacua ſpes eius, & luto vilior vita eius.

Irretiuit ergo me ſermonibus multis, & blandicijs labiorum protraxit me: ſtatim enim ſequebar, quaſi bos ductus ad victimam, & quaſi agnus laſciuiēs,& velut auis feſtinans ad laqueum. Et introduxit me,in cubile ſtratū tapetibus ex Aegypto, aſper ſum, Myrra, & Aloe & Cynamomo: & audiui Symphoniam, & chorum, & interrogaui quid hæc eſſent. At illa introduxit me in atrium domus interius, & ecce conuiuium grande,ſicut conuiuium Regis: præparatū cunctis Principibus, & pueris ſuis: & pendebant ex omni parte tentoria ærei coloris ſuſtentata funibus byſsinis, atq; purpureis. Lectuli quoq; aurei & argentei ſuper pauimentum, Smaragdino, & Pario ſtratum lapide ſedebant autem fortiſsimi Perſarum, & Medorum inclyti, & præfecti Prouinciarum, ducētes in bonis dies ſuos. Venit quoq; Salomon,& fecit ſolium eburneum grande, & veſtiuit illud auro mun-

difsimo: fuit & Regina Saba, cum magnis opibus & camellis, qui portabant aromata, & auri plurimum, gemmasq; prætiosas: sed & serui Hyram cum seruis Salomonis, attulerũt, aurum de Ophir: & ligna tyma, & gemmas prætiosissimas: cytaras quoq; & Psalteria cantoribus: ita vt nunquam visa sunt ligna talia. Pendebant quoq; ducentæ hastæ aureæ, & trecenta scuta ærea, in armamentario, quod erat consitum nemore. Iussit ergo Salomon, & producta sunt vasa conuiuij, Regis aurea, & vasa domus saltus Lybani, ex auro purisimo. Aderant & duo Eunuchi Pharaonis Regis, alter pincernis præerat, alter pistoribus. Vocatus est, & Architriclinus, & Cocus Samuelis: & cum facta esset hora cœnæ, Iezabel mensam statuit, Cain agricola panem attulit, Pharao ex Aegypto cucumeres, & pepones, porrosq;, & cepæ & allia. Ioas Rex Israel carduũ. Esau de venatione; apparuit & Syba puer. Mysboset, cum duobus asinis oueratis ducentis panibus, & centum alligaturis vuæ passæ, & duobus vtribus vini: aderat & diues, indutus purpura & bysso, & æpulans quotidie splendide. Et egressus vnus de filijs prophetarum in agrum, collegit herbas agrestes, & quasi vitem syluestrem,

ueſtrem, & collegit colocyntidas agri, cõſciditq; in ollam pulmenti. Attullit, & ſacerdos de turturibus ac pullis columbæ. Filij vero Aaron diuidebant membra, caput & omnia, quæ adhærent iecori; & imponebant ſuperligna. quibus ſubijciendus erat ignis. Inteſtina vero, & pedes lauabant aqua. Attulit & Samſon vitulum ſaginatum, & Dalila cum eo. Thamar attulit ſorbiciunculas, Effraim ſubcinericium panem, non reuerſatum. Aderat & Tubal pater canentium in cytara & organo. Aderat & proſtituta Tamar. Venerunt & opulenti de Syon optimates, capita populorum: ingredientes pompaticè, & attulerunt agnũ de grege, & vitulos, de medio armẽti. Stabat & Saul, cum clypeo & armo. Abra verò portabat aſcopam vini, & vas olei, & polentam, & lapates, & panes, & caſeum. Filij Iuda colligebãt ligna, patres ſuccendebaut ignem, & mulieres cõſpergebant adipem, & faciebant placentas. Sobi porro filius Naas, & Berzallai Galaatides, obtulerunt ſtratoria & tapetia, & vaſa fictilia, fermentum, & hordeum, & farinam; & polentam, & fabam, & lentem, & frixũ cicer, & mel, & butyrum, oues quoq; & pingues vitulos. Architriclinus quoq; bonum

 vinum

vinum seruauit, & Iudas pecuniam attulit. Samson in carcere molebat, vxorque Lothi, versa in statuam sal præbebat. Nabal quoque cor, erat iucundum: erat enim ebrius nimis.

Accubabant itaq; & pascebantur, & non erat qui extenuaret. Similiter & populus sedit manducare & bibere: & surrexerunt ludere, & præceperunt, vt vocaretur Samson, & ante eos luderet: qui adductus de carcere, ludebat ante eos; Venit quoque Herodiadis, & saltauit in medio, & placuit accumbentibus: venerunt pilosi, & saltabant ibi. Venerūt & milites, & fortes mittebant. Amon compresſit sororem suam Thamar & cubauit cum ea. Surrexerunt & pueri Abner, vt luderent cum pueris Ioab, & apprehenso vnusquisq; capite comparis sui, defixit gladium in latus contrarij. Et facti sunt ex illis multi nimia ebrietate sopiti. Alij in ebrietate recumbebant; alij præ ebrietate errauerunt, & abierunt post desideria cordis eorum, & in aduentionibus suis lætabantur: alius quidem sic: alius vero, sic. Effusiq; sunt omnes, sicut vituli super herbam, cantantes & dicentes: Edamus & bibamus, cras enim moriemur.

Ego verò hæc omnia consideraui, & dedi cor

di cor meum in cunctis operibus quæ fiebant super terram. Et vidi iustos, quibus mala proueniunt, quasi opera egerint impiorum: & vidi impios, qui ita securi sunt: quasi iustorum facta habeant. Laudaui igitur læticiam, quod non esset homini bonũ sub Sole, nisi quod comederet, biberet, atque gauderet; vniuersa enim ęquè eueniũt, iusto ac impio, bono & malo, mundo & immundo, immolanti victimas, & sacrificia contemnenti, sicut bonus, sic & peccator, vt periurus, ita & ille qui verum deierat. In ipso itaq; tempore, sensus meus reuersus est ad me, & figura mea reuersa est ad me. Et dixi: Vadam post amatores meos. qui dant panes mihi, & aquas, & lanam, & linum, & oleum, & potum; & apposui cor meum, vt fruerer bonis, & quæcunque desiderauerunt oculi mei, nõ negaui eis, nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur, & detestatus sum omnem industriam, & cessaui: renunciauitq; cor meũ, vltra laborare, sub Sole. Cur enim laborarem, aut cur fraudarem animam meam bonis? Sicut egressus est homo nudus de vtero matris suæ, sic reuertetur, & nil auferet secũ de labore suo: hoc itaq; visum est mihi bonũ, vt comedat quis & bibat, & fruatur

tur lætícia; & hæc eſt pars illius.

Et ego quidem errabam, ſicut ouis quæ periit, & viuens diſcendebam ad infernū. Cupiditates meę, quaſi rota carri fuerunt, & quaſi axis verſatilis cogitationes meæ. Tu verò Domine in interitu meo ridebas, & ſubſannabas, videns quid mihi aduenie-bat, & parabas ſagittas tuas in pharetra, vaſa mortis coagmentabas, & ponebas in pondere iudicium, & iuſtitiam in menſura iacuiſti, ſoluiſti, patiēs fuiſti. Sed nunquid ſemper tacuiſti? Certè videns Dominus quod multa malitia hominum eſſet in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum, omni tempore: pænituit eum, quod hominem feciſſet in terra. Et præcauens in futurum, tactus dolore cordis intrinſecus. Delebo dixiſti hominem, quem creaui à facie terræ. Seruus enim non poteſt verbis erudiri. Verumtamen in miſericordia faciā, & non in furore. Non enim vanè conſtituiſti filios hominum, ſed vt vitam habeant, & abundantius habeant. Libet hic narrare iuſta iudicia tua Domine quæ feciſti magnalia mihi: Sis benedictus in ſæcula, quia ſuperexaltauit miſericordia iudicium. In tribus exaſperaui te, in tribus emendaſti me. Ambulabam in concupi-

cupiſcentia oculorum, in concupiſcentia carnis, & in ſuperbia vitæ. Et tu quoq; feciſti flagellũ,quaſi de tribus funiculis: pro concupiſcentia oculorum,tradidiſti me in manus calumniantium me in conſpectu ſerui tui præſidis: & locuti ſunt verba inuidiæ,fomitemq; odij miniſtrabant,dicẽtes, poſitum alienigenã in dignitate, & ſapientes ſedere deorſum, dereliquiſti me in conſilio eorũ, & voluiſti me cadere in illa exprobratione. Egreſſa eſt enim ſententia à facie Principis, tuleruntq; ouem vnicam quæ nutriebat me,eratq; mihi ſicut filia,& omnem ſubſtantiam panis, & vniuerſa quæ ad cibum pertinent:& præterea dixerunt: Da huic locum, & ita incepi tenere locum nouiſsimum, cum rubore, factusq; ſum in prouerbium,& fabulã omnibus notis meis: & extollẽtia oculorum dereliquit me. Vix iſta implebantur, & tu appoſuiſti manum tuam, & percuſſiſti carnes meas febri, & frigore,& vlcere peſsimo,& ad portas mortis deduxiſti me: & ſolum mihi ſupererat ſepulchrum. Putredini dixi: Pater meus es tu, Mater mea, & ſoror mea vermibus, tenebarq; per menſes, & menſes magnis, & acutis febribus. Et tu in interitu meo ridebas. Adhuc durabat languor fortiſsimus,

&

& ecce nuntius intrauit dicẽs. Quem dilexit anima tua Stephanus Rex mortuus eſt: & facta eſt commotio magna, ſuper terrã tuam, ita vt gladius vniuſcuiuſque in fratrem ſuũ dirigatur: Audiui & expauit cor meum, ſtupore vehemẽti: & defecit ex me ſpiritus meus, & dixi: ſi flagellat, occidat ſemel, & non de pœnis meis rideat. Deſperaui, nequaquàm vltra iam viuam: & elegit ſuſpendium anima mea, & mortem oſſa mea. Nil enim erat quod non tangeres, ò miſerator, & miſericors Dñe, non vt perderes, ſed vt emendares, & ego neſciebam. Subſtantiam tulit calumniator, ſanitatem, febris ardor. Robur animi oppreſſit dolor: Altero fregiſti concupiſcentiam oculorum. altero concupiſcentiam carnis, altero ſuperbiam vitæ. O ſi tunc hæc tua iudicia intellexiſſem, ò ſi cognouiſſem tempus viſitationis meæ: ſed infixus eram in limo profundi: ſupergreſſæ ſunt iniquitates meæ caput meum, ita vt altitudinem cœli videre non potuerim, nec te, nec me, nec tuas viſitationes, nec meas miſerias cognouerim.

Appoſuit ergo Dominus manum ſuam, & aggrauauit adhuc plagas meas. Qui ſimul mecum dulces capiebãt cibos, magnifica-

ficarunt ſuper me ſupplantationem. Dixerunt. Grauis eſt nobis ad videndum. Inutilis eſt nobis. Quæ pars diuiti ad pauperē, eſt homo marcidus egens recuperatione, deficiēs in virtute, & abundans paupertate. Et factus ſum in oculis eorum vilis, & reprobus nimis, & derelictus in via Dei. Omnes videntes deridebant me, & ſubſannabant. in paupertate mea, & in infirmitate carnis meæ improperabant mihi. Venit epulo, & eiecit ante ianuam. Venit Balaam cum Aſina & attriuit iacentis pedem. Venit aſſiſtens miniſtrorum, & dedit alapam, Venit cohors, & conſpuebat me. Venit Aſſur, & calcauit me. Venerunt pueri de Bethel, & illudebant mihi dicentes, Aſcende calue, aſcende calue.

Acceſſit Sedechias & percuſsit in maxillam. Venit ad extremum Miſſael, & Eliſaphan, tulerunt me ſicut iacebam veſtitum lineis, & eiecerunt foras extra caſtra, vt ſibi fuerat imperatum, dicentes: In malitia ſua expelletur impius. Vt verò me latrones extra caſtra viderunt, accurrerunt, & deſpoliauerunt me tunica, & plagis impoſitis abierūt ſemiuiuo relicto. & iacebam expectans Ioab, qui percuteret in inguine, & morerer, in vltionem rebellionis meæ.

Factum

Factum eſt autem cum iacerem, va lida ſtercora ex nido hyrundinum, inciderunt ſuper oculos meos, & factus ſum cœcus. Altera die, cum mergerer ſomnio graui, cecidi de cænaculo deorſum, & factus ſum claudus, & infirmus pedibus: & cum impatiens eſſem, locutus ſum verba inſipientia contra Dominum, & apparuit in facie mea lepra candens quaſi nix, & iam mediũ carnis deuoratum erat à lepra, & ſolum mihi ſupererat ſepulchrum, nec erat, qui ſepeliret.

Verum tu Domine, qui non deſeris in opportunitatibus, ſed diſponis omnia ſuauiter, ordinatiſſimo tuo iudicio] præparaſti, vt Sacerdos quidam deſcẽderet eadem via, & videns me præteriuit; ſimiliter & leuita, cum eſſet ſecus locum, & videret, pertranſijt. Samaritanus autem quidem iter faciens, venit ſecus me, & videns, miſericordia motus eſt. Et appropinquans alligauit vulnera mea, infundens oleum & vinum, & imponens ſuper iumentum ſuum, duxit in ſtabulum, & curam mei egit: & altera die, protulit duos denarios, & dedit ſtabulario, & ait: Curã illius habe, & quodcunq; ſuperogaueris, ego cum rediero, red dam tibi.

Sta-

Stabularius porrò nesciens quę acciderunt,non loquatur mihi verbum. Videbat enim esse dolorem vehementem, nec sciebat,quo irem, aut vnde venirem. Irruit autem ni me quasi sopor Domini,& dormiui, conturbatus & soporatus sum: & ecce in horrore visionis nocturnæ, pauor terruit me & tremór, & omnia ossa mea perterrita sunt. Stetit quidam cuius non agnoscebam vultum,& vocem quasi auræ lenis audiui. Vsquequo paruuli diligitis infantiã, & stulti, ea quæ sunt noxia cupiunt,& imprudentes odiunt scientiam. Conuertimini ad correptionem meam, & proferam vobis spiritum meum, & ostendam vobis verba mea. Mementote creatoris in die afflictionis & appropinquabit vobis. Humiliare Deo & expecta manum eius. Noli facere mala,& non te apprehendẽt. Ego porro quasi de graui somno euigilans voce magna exclamaui dicens. Iesu præceptor miserere mei.

Stabularius verò, Iesum vocat iste. Noster est, vt video, non aduersariorum. Et interrogauit dicens: Quid tibi vis faciam? Domine vt videã: & misertus stabularius cucurrit & vocauit Raphaelem cum fele piscis,quo cum liniſſet oculos: cępit albu-

go quasi membrana oui egredi & visum re cepi. Venit & Eliseus, & iussit me ablui in flumine, & lepra, disparuit, venit & Paulus, & vidés quia fidem haberem, dixit magna voce. Surge super pedes tuos rectus, & exiliui, & ambulabam: Videns autem Iacob quod nudus essem, attulit tunicam polymitam. Petrus caligis calciauit, Elias zonam pelliceam, Paulus penulam. Tres pueri Sarabara. Pater familias annulum Tacharias Cydarim & mutatoria.

Et cum mihi melius esset, gratijs actis stabulario, cepi properare ad palatiũ Regis, vnde fui eiectus, dicens intra me. Vadam & reuertar ad Dominum meum priorem, quia bene mihi erat tũc magis quam nunc. Mercedes hæ meæ sunt quas dederunt mihi amatores mei, quãdo ibam post eos, & obliuiscebar Domini.

Et cum processissem ad iactum vnius lapidis, cucurrit post tergum meum Gezi puer, offerens talentum argenti, & vestes mutatorias duplices, & dicebat. Sicut protegit sapiencia, sic protegit pecunia. Diuitiæ addunt amicos plurimos, à paupere autem, & hi quos habuit separantur. Omnes colunt personam potentis, & amici sunt dona tribuentis: Cucurrit & Raab garrula

rula ornatu meretricio, & procumbens super collum meum, deosculabatur, & dicebat: Veniat dilectus meus in hortum suum: straui tapetib⁹ pictis ex Aegipto, & aspersi cubile meũ myrha & aloe & Cynamonio. Veni inebriemur vberibus, & fruamur cupitis amplexibus, donec illucescat dies. Scriptum est. Gratia mulieris sedulæ delectabit virum suum, & ossa illius impinguabit. Beatus vir qui habitat cum muliere sensata, vbi non est mulier ingemiscit æger Lætare ergo iuuenis in adolescentia tua, & in bono sit cor tuum in diebus iuuentutis tuæ, & ambula in vijs cordis tui, & in intuitu oculorum tuorum nec dicas: Adolescentia & voluptas vana sunt, & pro omnibus his, adducet te Dominus in iudiciũ. Non es nec eris melior Dauide, cui in senectute quæsita mulier est. Samson habuit Dalilam, Iacob 30. annis Labano propter vnam Rachel seruiuit, Expedit tibi, vt habeas quę consoletur animam tuam, & enutriat senectutem. Tempus amplexandi, & tempus longè fieri ab amplexibus. Et hæc loquens, tenebat me, & dabat mihi oscula. Accurrit, & diues qui epulabatnr quotidie dicens: Nonne melius est comedere, & bibere, & ostendere animę suæ bona de la-

boribus suis? Nonne homini bono, dedit Deus sapientiam: scientiam & lætitiam? Nonne omni homini cui dedit diuitias atque substantiam, potestatemq́; ei tribuit, vt comedat ex eis, & fruatur parte sua, & lętetur de labore suo? vtere ergo ętate,& in diebus senectutis tuę quiesces; Latronis memento qui paucis, & extremis verbis paradisum impetrauit. Et ego quidem non aquiescebam sermonibus istorum; sed ipsi me retinebant. Superbia cor, luxuria lumbos, gula guttur, Acedia pedes & manus tenebat, ne progredi possem: sed oculis tantum ad Regis Palatium prospiciebam: si forte veniret auxilium mihi. Iesum vocabam. Luctā hanc ex muro videns Dux Regiæ militiæ, Fides dictus,& nomen Iesu audiens, prospexit extra cancellos, & dixit: Fidelis est iste, Iesum vocat, forte filius est perditionis. Et cōuersus ad me Credis in Deum; Credo, inquàm, ò Domine, adiuua incredulitatē meam. Mulieres iste deceperunt me, & apostataui. Tum ille: Fides tua saluum te faciet. Vis liber fieri, Volo inquàm Domine, sed infixus sum in limo profundi,& non est substantia. Vocauit ergo fides centurionem suum nomine pœnitentiam, & præcepit illi, vt curā mei habe-

haberet. Pœnitẽtia vero tres cordatos milites vocauit. Contritionem, confeſſ. & ſatisfactionem, & præcepit illis, vt me ad ſe adducerent. At illi dũ armantur armis grauibus, præmiſerunt celeriter duos armigeros. Dolorem animi, & odium peccati, qui accurrentes quærebant ex me, vis ſanus fieri? Ego vero reſpondi; velle adiacet mihi perficere autem non inuenio. Illi verò dixerunt. Accipit Dominus voluntatem, vbi non inuenit facultatem. Confide fili. Dum hæc loquuntur: ſuperuenerunt tres milites, & audacter irruentes, cõtritio eripuit corde manu Gezi; confeſſio linguam de manu Raab; ſatisfactio manus de manu Epulonis. Et ait cõtritio: Dic tu prior iniquitates tuas, vt iuſtificeris, & propter pudorem flere non ceſſabam; Illæ vero ad me vultu non omnino blando. Noſter es, an aduerſariorum; ſigna Regis non videmus, & non potui reſpondere verbum, præ confuſione magna. Ille vero: Fletus quidẽ fletus pænitentis: ſed iſte cicatrices & vulnera transfugam, & rebellẽ oſtendunt. Ego verò toto corde ſuſpirans, væ mihi quia peccaui, & verè dereliqui, & vt erã dignus, adhuc non recepi: ſed tu Domine, ſi vis, potes me mundare. Interim ex interioribus

castris couenire multi cæperunt, vt finem viderent. Ego verò præ cõfusione magna, abscondere me volebam: Pœnitẽtia vero. Munus, inquit, meum aliud non est, quam vt in castra Regis redeũtes à sordibus abluam, & si vulnerati sunt, vinum & oleũ apponam, Nil enim coinquinatũ ingredi potest, in domum Regis nostri. Et præcepit Centurio militibus suis contritioni, confessioni, & satisfactióni, vt quacunq; parte pollutum, & vulneratum me illis ostendero, statim lauarent; & cathaplasma vnctionis apponerent, Illi verò vocauerunt tres Prothomedicos. Cõtritio vocauit ieiunium; confessio orationem, satisfactio, elemosinam; & consilium de me fecerunt: ieiunium dixit. Purgandus est, & dieta curandus; Oratio dixit, Vena secanda est in oculo, & ex aqua lachrymarum fiat balneum, in quo lauãdus est, elemosina dixit: vulnera hæc emplastris misericordiæ curabuntur: si potest vestes & tunicas applicabit, vt Thabita, si non potest, duo ęra minuta, vt vidua; vel aquę saltem calicem frigidæ, & vocauerunt Spem: vt in medicinis cooperaretur, & adfuit nobis, & cataplasmata vnctionis conficeret.

Dum hæc circa me fiunt, audiui voces

intra

intra castra clamantium, & dicentium Salus Deo nostro; & Agno: & cogitaui me non procul abesse à Regno Dei: & qđ hoc esset magnum illud gaudium Angelorũ de vno peccatore pœnitentiam agente, quam de 99. iustis: Ducebar itaq; ad secundam custodiam à tota centurionis cohorte, reliquoq; eius comitatu: Aderat autẽ & patientia, & abstinentia, & vigilia, & humicubatio; & cilicium: & Diamastigosis: & fuga ocij, & sui contemptus. In secundam custodiam ingressi, inuenimus castitatem, humilitatem, Pacem cum mansuetudine. Temperantiam cum sobrietate ante ianuã Regis excubantes quę videntes me, & totũ pœnitentiæ comitatum circa me, manu porrecta, benigne salutarunt dicentes: da honorem Deo. Ecce priora transierunt, & noua facta sunt omnia. Iam non erit amplius luctus, aut labor, sed nec vllus dolor: quoniam priora transierũt. Et adiecit castitas verba consolationis dicens; Et hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed iustificati estis, sed sanctificati estis in nomine Domini nostri Iesu Christi, & in spiritu Dei nostri, & osculũ mihi singulæ dederũt.

Tum vero exiuit Anna, & cantauimus Domino hymnũ gratiarum actionis. Exultauit

tauit cor meum in Domino, & exaltatum eſt cornu meum in Deo meo: non eſt enim Sanctus, ſicut Dominus, & non eſt fortis, ſicut Deus noſter, Dominus mortificat, & viuificat, deducit ad inferos & reducit, ſuſcitat de puluere egenum, & de ſtercore eleuat pauperem. Et exilijt Dauid, & percutiebat in organis armigatis, & ſaltauit totis viribus ante Dominum. Et egreſſæ mulieres cantantes, choroſq; ducentes in tympanis lætitiæ & in ſyſtris. Egreſſa quoque eſt mulier & cõuocauit amicas, & vicinas dicens, Congratulamini mihi, quia inueni drachmam quam perdideram: & facta eſt omnium læticia magna nimis. Et præcurrens Humilitas, in tertiam cuſtodiam: præfectum Regij Conclauis nomine Charitatem euocauit. Ille vero nõ quærens, quæ ſua ſunt, non cogitans malum, non gaudens ſuper iniquitate, ſed cõgaudens veritati, totus patiens, totus benignus, è Regis Conclaui exiliens; cecidit ſuper collum meum, & oſculatus eſt me, dicens ad circumſtantes. Dominus dirigat corda veſtra in charitate Dei, & patientia Chriſti. Congratulamini mihi, quia inueni ouem meam, quæ perierat. Ego verò gaudens & lætus. Viuit Dominus & viuit ani-

ma tua, quia non derelinquam te:& factus est in me quasi spiritus duplex: & quærebam vbi esset, quem diligit anima mea. Ille verò Regiæ domus Pręfecto nunciauit, qui vocatur Misericordia. quod qui mortuus erat reuixit, & qui perierat inuentus est. Misericordia vero nunciauit collegæ, & socio suo Iustitię, & accesserunt ad me dicentes. Benedicat tibi Dominus & custodiat te. Ostendat faciem suam tibi, & misereatur tui. Conuertat Dominus vultum suum ad te, & det tibi pacem Ingredere in requiem tuam. quia Dominus benefecit tibi: & ad manum ducentes in Regis Conclaue introduxerunt. Ego verò stupens in visione glorię, & magnificẽtiæ summi Regis, cecidi in faciem meam, & adoraui Regem dicens: Rex in æternum viue. Tu es A & Ω. principium & finis, qui est, qui erat, & qui venturus est omnipotens. Tibi gloria, & imperium in sæcula sæculorum. Confitebor tibi quia terribiliter magnificatus es. Omnia in sapientia fecisti: quia vera & iusta iudicia tua Domine. Cõfirma hoc quod operatus es in me.

Et audiui vocem magnam de Throno dicentem verba fidelissima & vera. Ego sitienti dabo de fonte aquæ vitæ gratis. Qui

vicerit poſſidebit hæc, & ero illi Deus, & ille erit mihi filius. Et addidit dicens. Ecce ſanus factus es. Vade, & amplius noli peccare. Et ſtatim facta eſt, multitudo militiæ cœleſtis, laudantium Deum & dicentium. Gloria in altiſsimis Deo, & in terra pax hominibus, bonæ voluntatis. Ego verò, cum dilatatum eſſet in me, cor meum, & impleta eſſet anima mea gaudio & lætitia, quoniam priora tranſierunt: locutus ſum Domino verba carminis huius in die, in qua liberauit me de manu perſequentis, & de manu mortis, & de manu doloris; & dixi.

Audite hęc omnes gentes, auribus percipite omnes qui habitatis terram.

Quique terrigenæ, & filij hominum, ſimul in vnum diues, & pauper.

Os meum loquetur miſericordiam, & lingua mea narrabit iuditium.

Miſericordias Domini in æternum cantabo, in generationem & generationem.

Magnus Dominus & magna virtus, & miricordiæ eius non eſt numerus.

Quia viſitauit in virga iniquitates nſas, & in verberibus peccata noſtra.

Congregauit ſuper nos mala, & ſagittas ſuas, compleuit in nobis,

Ca-

Castigans castigauit nos in furore suo, & morti non tradidit nos.
Neque in finem oblitus est nostri: nec faciem suam in finem auertit.
Nec longè recessit in opportunitatibus, in tribulatione, nec repulit in sempiternum Dominus.
Ostendit mihi tribulationes multas & malas, & conuersus viuificauit me.
Eduxit in latitudinē, & saluū me fecit, conuersus est furor eius, & cōsolatus est me.
Misericordia Domini, quia consumpti nō sumus quoniam in æternum, misericordia eius.
Ego enim abominabilis, & inutilis homo, bibebam quasi aquam iniquitatem.
Timor Domini recessit à me quæ desiderabant oculi mei, non negaui eis.
Nec prohibui cor meum ab omni iucunditate, & oblectatur in his, quæ desiderabam.
Vtebar creatura tanquā in iuuentute, vino præcioso, & pane delicato pascebar.
Non fuit vita mea in cogitatione victus, cibis alienis alebam animam meam.
Et operuerat faciem meam crassitudo, de lateribus meis aruina dependebat.
Cupiditates meæ, quasi rota carri, fuerunt,

runt, & quasi axis versatilis cogitatio- nes meæ.
Anima mea quodcunque voluit fecit, carnem, & mundum dilexit.
Subuersum est cor meum in semetipso, os Domini ad vindictam prouocaui.
Marcescebat in memetipso anima mea: & tu parabas mihi dies affectionis.
Congregabas super nos mala, & nesciebã, sagittas tuas parabas in eis.
Inebriabas sagittas tuas sanguine, gladius tuus acuebatur ad deuorandas carnes nostras.
Nam qui deliquit in conspectu eius qui fecit eum, incidet in manus medici.
Et dedisti mihi cogitare iustum iudicium tuum, iram, furorem, mortem, & infernum.
Ideo sæpe in me conuersus fui plorans, & oculus meus deducebat aquas.
Et tu quoque conuersus viuificasti me decorem posuisti, & circũdedisti lætícia.
Suscitasti à terra inopem, & de stercore erexisti pauperem.
Collocasti me cũ Principibus populi tui: in consilio magnatorum posuisti.
In terra alienigenarum gentium habitabã in conspectu præsidis tui apparebam.
Inter

Inter imperātes populo viuebam: ſanctiſſima verba plebi tui nuntiabam.

Et iterum vt canis ad vomitum reuertebar, & volutabar in volutabro luti.

Et maledictus factus ſum apud te, quia dixi bonus eſt Dominus : & in ſpem veniæ peccaui.

Et exarſit in ira furor tuus, & confirmatus eſt, & induxiſti ſuper me amaritudines.

Extēdiſti in furore dexteram tuam, & tetigiſti omnia quæ poſsidebam.

Et tetigiſti os meum, & carnem meam dolorem ad dolorem addidiſti.

Et tu Deus magnus vincens ſcientiam noſtrā: quis ſcrutari poterit conſilia eius.

Eleuaſti me ò cuſtos hominum, & quaſi ſuper ventum ponens, eliſiſti me.

Miſiſti contra me calumniam, & mendacium, oppreſſus ſum violentia, nec habui qui liberaret me.

Irruerunt in me falſi teſtes, inuaſerūt ſubſtantiam, & tulerunt eam Satrapæ.

Dixerunt, circumueniamus illum; quia inutilis eſt nobis præſentia eius.

Grauis eſt nobis hic alienigena, contumelia vexemus, & opprimamus.

Victum & amictum abſtulerūt, in ſterquilinium proiecerunt me.

Hæc fecerunt, & ecce Dominus misit manum suam tetigit os meum, & cutem, & carnem.
Percusſit me febri & frigore, ardore, & æſtu nimio conſumpſit me.
Dolores inferni circũdedit carni meæ, feruens, & fremens, ſorbebam mortem.
Dies diem dolore ſuperabat,& iterum lux lucem, & menſis menſem.
Gemens æſtuabam in lectulo, apertæ mihi fuerunt portæ mortis, & oſtia tenebroſa vidimus.
Appropinquabat corruptioni anima mea repleta eſt amaritudine, inebrieta eſt abſynthio.
Et abominabilis factus eſt panis aĩæ meæ, & cibos deſiderabiles horrebam.
Antequam comederem ſuſpirabam, & cibus omnis olla colloquintidis erat.
Vinum non lætificabat me, nec panis confortabat cor meum.
Quaſi putredo ſic conſumebar,& quaſi veſtimentum, quod comeditur à tinea.
Non conſolabatur me lectulus meus, nec releuabar à dolore in ſtratu meo.
Si iacebam dixi, quando conſurgã,& exurgens lectum deſiderabam.
Replebar tota die doloribus, vſque ad tenebras

nebras, noctes laboriosas numerauisti.

Multa stultè locuta sunt labia mea verba nostra disciplinam non sonabant.

Loquebar quod ratio non suggerebat, cogitationes dissipatæ loquebantur, & errabant.

Dixi in dolore, si flagellat, occidat semel & non semper de pænis meis rideat.

Non enim fuit fortitudo mea vt sustinerē, nec caro mea, ænnea vt patienter agerem.

Destruxeras me vndique Domine, & peribam,& quasi euulsæ arbori, abstuleras spem meam.

Oppressit me dolor meus valde,& in nihilum redacti sunt omnes artus mei.

Veruntamen non vsque ad cõsumationem meam emisisti manum tuam.

Dixisti. Miserebor hominis, liberabo eũ, vt non descendat in corruptionem.

Videbant amici quod morti tradebas me, vbi constituta est domus omni viuenti.

Et consolabuntur me verbis pacificis, super omni malo, quod intulit mihi Dominus.

Dixerunt,In tua infirmitate.Ne despicias te ipsum, sed ora Dominum, & da locũ medico.

Ete-

Etenim Dominus creauit illum, non discedat à te, quia opera eius sunt necessaria.
Altissimus creauit de terra medicinam, & vir prudens, non abhorrebit eam.
Venerunt, & dixerunt honorabiles medici, Non reuertetur oculus eius, vt videat bona.
Nec reuertetur vltra in domum suam, neque videbit faciem populi sui.
Sederunt & obstupuerunt, videbant enim esse dolorem vehementem.
Sagittas Domini in me viderunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum.
Auulsa erat de tabernaculis nostris, omnis fiducia, calcabat sup me quasi Rex interitus.
Et tu Domine audiebas cum ingemiscebam. Dixi, Venit finis meus, & spes mea perijt.
Et dixi. peccaui Domine, & verè deliqui, & vt eram dignus, adhuc non recepi.
Surgam, & ibo ad patrem meum, confitebor illi in amaritudine animæ meæ.
Pater peccaui in cœlum & coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus.
Confessus sum tibi peccata mea, sententiam puram, loquebantur labia mea.
Dixit

Dixit enim ſeruus tuus. Ne demoreris in mœrore impiorum: ſed ante mortem confitere.

A mortuo non quaſi nil perit confeſsio, viuus & ſanus confitere, & laudabis Dominum.

Quia ſi abiecit forte & miſerebitur, quoniã non eſt numerus miſericordiæ eius.

Deus autem noſter locum dedit pœnitentiæ, vtinam ea non abutamur in ſuperbiam.

Et veniſti Domine ſub tectum meum non eram dignus, & pane Angelorum cibaſti animam meam.

Et deficiebant præ lachrymis oculi mei, conturbabantur in me viſcera mea.

Vocati præsbyteri orabant ſuper me, clamabant ad Dñm, & non exaudiebat.

Sacerdos ſeruus tuus vnxit me oleo ſanctificationis, viatico cœleſti donauit me.

Et propoſuit aſtantibus fiduciam dicens, cum ſe conſumptum putauerit, orietur vt lucifer.

Educet eum Dominus è tenebris, & producet in lucem vmbram mortis.

Attamen caro mea dolebat, latera mea, & nerui mei ſoluebantur.

Sed

Sed inſpiratio omnipotētis dedit medicis intelligentiam, erudiens illos inſpirauit diſciplinam, & amorem.
Sicut figulus ad opus ſuum ſolliciti ſedebant, conuertens pedibus ſuis rotam.
Ita fuit amor illorum in ſollicitudine, innumera fuit contentio eorum.
Vnguentarius f cit pigmēta, & vnctiones confecit ſanitatis.
Cataplaſmauit de maſſa butyri, ſuper vulnera mea potauit me margarita, & lapide prætioſo.
Humeri mei aiunctura ſuaca cadebant, brachia cum pedibus ſaniem mittebāt. Induta eſt caro mea putredine: cutis mea arruit, & contracta eſt.
Dedit mihi deficientes oculos, & animam conſumptam mœrore, & erat vita mea quaſi pendens ante me.
Timebam nocte & die, & non credens vitæ meę, mane dicebam quis mihi det ve ſperum, & veſpere quis mihi det mane.
Vetuſtam fecit Dominus pellem meā, aſſimilatus ſum fauillæ & cineri.
Cutis mea denigrata eſt ſuper me, & oſſa mea aruerunt prę caumatę.
Principes noti, & amici veniebant, obſidebant in gyro lectulum meum.
Venie-

Veniebant, & ſtupebant, & ceſſabant loqui, digitum ſupponebant ori ſuo.

Dicentes, Deus proiecit eum, & non homo, & eleuantes oculos non cognoſcebant me.

Sedebat Princeps Battor: quaſi Rex circumſtante exercitu, cibum apponebat ori meo, & conſolabatur me.

Videbat mortem in venis, & oſſibus meis, dixit: Nequaquam iam vltra viuet, & lugebat.

Et vidi, quod melior eſt vicinus iuxta, quã frater procul.

Die ac nocte oratio fundebatur ſuper me, obmutuit os meum, & non loquebar verbum.

Defecerant oculi mei, cor meum & nerui mei quieſcebant, relinquerant me omnia ſigna vitæ.

Dixerunt qui viderũt, reſiduum annorum meorum venit, non videbit amplius in terra viuentium.

De mane vſque ad veſperam finiet illum Dominus, à mane vſq; ad veſperum obſeruabant hallitum meum.

Præciſa videbatur velut à texẽte vita mea, vita ſpiritus mei deficiebat.

Sed anima mea tibi viuebat. Dixi in cor-

de meo. In manus tuas commendo ſpiritum meum.

Planctum magnum fecerũt ſuper me, presbyteri commendabant animam tibi Deus.

Moriebar & non eram mortuus, mortuus eram, & adhuc viuebam.

Eſtimatus ſum cum deſcendentibus in lacum, factus ſum ſicut homo ſine adiutorio.

Medici tamen laborabant in ſollicitudine, cibos ingerebant gutturi meo.

Vermes applicuerunt: venas ſecuerunt, vſque ad oſſa pedes, & manus igneuſſerunt.

Et tu Domine in interitu meo ridebas, ſicut in carcere per quinque dies clauſeras ſpiritum meum.

Vnuſquiſque in conſilio ſuo errauerat, ſapientia & ſcientia medici defecerat.

Vſque ad fundum ſoporis calicis biberã, potaſti me morte vſque ad fæces.

Sed ecce anima tua ò miſerator, & miſericors Domine, quodcunque voluit mecum hoc fecit.

Tentaſti me, & percuſſiſti me, rem, Regẽ, & vitam ademiſti mihi.

Repuliſti, deſtruxiſti, & recepiſti, iratus

es

es nobis, & misertus es nobis.
Ego enim post caumata euigilaui, & quasi qui colligit acinos post vindemiatores.
Vocaui seruos meos, & responderunt mihi, motus omnes labiorum notauerunt.
Verbis meis nil addere audebant, sed obseruabant eloquium meum.
Dixi fac hoc, & faciebant, eas, & ibant, veni & veniebant.
Cum bona voluntate seruiebant, cum timore & tremore in simplicitate cordis.
Si clamabam vim patiens, statim audiebant, vociferabam, & accurrebant.
Da illis Domine secundum voluntatem illorum in me, redde retributionem illis.
Nam qui seruat ficum, comedet fructus eius, & qui custos est Domini sui, glorificabitur.
Iam & ipsi dixerant, Dedit eum Dominus in manum, de qua non poterit surgere.
Multi clamauerunt ad te pro me Domine, da illi auxilium de tribulatione, quia vana salus hominis.
Adhuc loquebantur, & tu dixisti: Nunc consurgam, nunc exaltabor, nunc subleuabor.

Dixisti. Ego sum, ego sum, & non est præter me saluator.

Extendens cœlos, & stabiliens terram, & nullus mecum.

Propter nomen meum, longe faciam furorem meum, & laude mea infrenabo te ne intereas.

Propter me, propter me fatiam, & gloriã meam alteri non dabo.

Audiui orationem seruorum meorum, & vidi lachrymas tuas, ecce adiiciã dies super dies tuos.

Conuertam sapientes retrorsum, & scientiam medicorum stultam faciam.

Eleuare, eleuare, confortare & consurge, qui bibisti de manu Domini calicem iræ eius.

Exurge & induere vestimento salutis, indumento sanitatis circumdabo te.

Sicut dixisti Domine, ita factum est, vt notam faceres filijs hominum potentiam tuam.

Sicut fuit voluntas tua in cœlo, ita factum est, liberasti animam meam ne pergeret in interitum.

Cecideram & non collidebar, quia tu manum supposuisti, & quis resistet ei.

Spiritus meus attenuatus erat, dies mei bre-

breuiabantur, & ſolum mihi ſupererat ſepulchrum.
Putredini dixi, pater meus es, mater mea, & ſoror mea vermibus.
Elegiſti mihi Domine dare vitam, & non mortem, vitam quam non habebã reddidiſti.
Et poſuiſti me Domine in ſignum cui dicetur. Perierat, & inuentus eſt: mortuus erat, & reuixit.
Menſe tandem octauo reſpiraui, reſurrexi, & adhuc ſum tecum.
Mirabilis facta eſt potentia tua in me, miſerator & miſericors Dominus, & quis ſimilis tibi.
Magnificatus es ò Domine vehementer. Domine Deus miſericordia tua in ſæculum ſæculi.
Benedictus es Domine qui facis mirabilia ſolus, & benedictum nomen tuum in ſecula, fiat fiat.
Cantabo tibi in Pſalmis Domine, pſallam Deo meo quam diu fuero.
Tibi dicit cor meum, Si bona ſuſcepimus, mala autem quare non ſuſtineamus.
Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſicut Domino placuit ita factum eſt, ſit nomen Domini benedictum.

Iucundum ſit tibi ò Domine eloquiũ meũ, vitulos labiorum meorum ne deſpicias.
Benigne fac in bona volũtate animę meę, vt ædificentur muri vitæ meæ.
Tunc acceptabis ſacrificium oblationis, & holocauſti, tunc imponam ſuper altare tuum agnum ſine macula.
Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto. Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen.

F I N I S.

COLLEGII NEAP. SOCIETATIS IESV.

AD ILLVSTRISSIMVM STANISLAVM RESCIVM *POLONORVM LEGATVM*.






DVM tua condecorat nostrum præsentia limen
Splendet & aucta tuo, lumine nostra domus,
Patres pulchra tibi certant tua dicere facta
Quasque queunt cupido è pectore promere opes.
Succumbunt vires, cadit irritus, & labor omnis,
Nec tanto assurgunt, carmina digna viro


RESCI, si meritis æquari carmina debent
Arguta Aligerum, lingua vocāda chori.

AD EVNDEM.


ANDERE sacrarum seu te iuuat abdita rerum
Seu Sophiæ argutis inuigilasse notis.
Seu gaudes callere obitus, seu syderis ortus
Seu vaga Apollineis cōdere verba modis.
Seu latiæ præstat, Graiæ seu quærere linguæ
Flumina, seu priscū gesta superba Ducū.
Seu ruis in nostros calamo generosior hostes,
Qui fera mordaci prælia dente cient.
Omnia succedunt: cunctis te dotibus auxit
Natura, in titulos ambitiosa tuos.
Hinc procul este Sophi, procul este Haliconis alumni,
Quicquid habent oēs, oīa solus habes.




ΕΙ'Σ ΤΟ'Ν ΛΑΜΠΡΟ'ΤΑΤΟΝ ΚΑΙ' θεοσεβέστατον ἄνδρα τῆς ἐγκυκλίου παιδείας ὄντως θησαυρὸν κύριον Στανίσλαον τ̃ Ρέσκιον τοῦ τῆς Πολωνίας Βασιλέως Λήγατον ἀξιοπιστότατον.



ΟΠΛΑ φέρεις κάλαμον, καὶ χάρτην, καὶ μέλαν ὑγρόν,
Οἷσιν ἀκοντίζεις αἱρετικῶν τὸ γένος:
Σπεῦδε γράφων, κεῖνοι μᾶλλον τρομέουσι βελέμνοις
Περσᾶν, ἢ Σκυθῶν, ταῦτα τὰ τοξάρια.

ΠΡΟ'Σ ΤΟ'Ν ΛΑΜΠΡΟ'ΤΑΤΟΝ, καὶ σοφώτατον Στανίσλαον τὸν Ρέσκιον τοῦ τῆς Πολωνίας Βασιλέως Λήγατον :-



ΔΗΜΗ'ΤΗΡ πολλοί, ψευδῶς τάχα, τοῦτο λέγουσιν,
Πεινῶσ' ὅτι φίλον σῖτον ἔδωκε βροτοῖς.
Αὐτὸς δ' ἀνθρώπων ψυχαῖς ὅτι καρποφόρησας
Τοῦτο σαφῶς δηλοῖ δεσμὶς ἡ ἀσταχύων.
Η' ἀρετή, σοφία τ' ἦν καρπὸς σός. τί δὲ μεῖζον
Ε'στι, τροφὴν ψυχαῖς, ἢ δέμασιν φορέειν;

IN LIBROS, ET SCRIPTA EIVSDEM.

In vitam Hoſij Cardinalis.

HEROIS magni laudes & fortia facta
Deſcripſit lepida ſedulus arte liber.
Sed mores HOSII melius verumq; laborem
Finxiſti RESCI, moribus ante tuis.
Cuncta STANISLAO ſimilis, nomenq; fidesq;
Nec potis eſt, maneat dum tibi vita, mori.
At tu magna rafers memores in nomina chartas
Poſt cineres etiam viuat vt ille tuos.

IN ADMONITIONEM POLONICAM.

Ad Varſauienſes.

DVX animos acuit generoſæ pubis in hoſtes
Armaq; in armatos, hæc gerit, ille regit.
Munit ab inſidijs tacita ſub nocte luporum
Peruigil, inducto tegmine, paſtor oues.
Tabificos morbus totos dum colligit artus
Optatæ medicus comparat artis opem.
Curio ſublimi depellit voce prophanos
Nec ſinit obſcænas lædere ſacra manus.
Raucisonos coro vndarum miſcente tumultus
Monſtrat inexpertis nauta ſalutis iter.

Patris

Patris in amplexu natorum cura tenetur
Pro quibus est gratum viuere, dulce mori.
Qui facit hæc igitur vobis est RESCIVS *vnus*
Dux, pastor, medicus, curio, nauta, pater.

IN SPONGIAM PRO SOCIETATE IESV.

I*VRA mihi, nomenq́; parens effinxit* IESVS
Impius euomuit, tetra venena furor.
Comprimis has, RESCI, *furias, & me mihi reddis*
Haud seruasse fuit, quam posuisse minus.

IN MINISTROMACHIAM.

O *Quæ tartarea diros à sede Ministros*
Permetuis, iam nunc exue Roma metũ,
Vna vicem manus vlta tuam est, ac obruit armis
RESCIVS, *infandum, quæ tulit ipse gregem.*
Aspicies miseram per mutua vulnera cladem
Dum ruit hic, sternit, dum ferit ille cadit.
Ne viles animæ macularent sanguine dextram
Vltoris, telis interiere suis.

IN PARAPHRASIM SEPTEM PSALMORVM.

TRISTIA *quæ cecinit Iessaeus carmina vates*

Fracta

Fracta magis gemitu, quam sociata modis.
Complerunt querulis resonantia vocibus antra
Et potuere suo frangere saxa sono.
Nunc nimio vix vox questu se languida fundit
Vixq; manus lento verbere tangit ebur.
Tu liquidis, RESCI, voces has vocibus auges
Vt surda quamuis impius aure bibat.
Sontibus innocuos questus, sed questibus addens
Efficis, vt vox, quæ luxerat antè, canat.

IN SERMONE DE SACERDOTIO.

IPSA *tuum miratur opus natura Sacerdos,*
Ars stupet, exhorret tartarus, astra colunt.
Et tua cum pietas secum sua munera voluit
Distrahitur curis, hinc auet, inde pauet.
Formidat; superos cum contemplatur honores.
Et cupit ad terras cum trahit ore Deum.
Quid faciet, meriti cum tanti præmia crescent
Impedietq; sacrum, rubra tiara caput.

IN ATHEISMOS ET PHALARISMOS.

EFFERA *vis, scelerata manus, vesana libido*
Sæuum cor, dirum virus, acerbe furor.
Immitis rabies, atrox mens, ira cruenta,

Exe-

Execranda lues, trux sitis, atra fames.
Insectare, feri, tenta, freme, perde, trucida,
Vre, seca, bacchare, infice, fuge, vora.
Intenta maledicta minas, conuitia, probra,
Vincula, flagra, rotas, mõstra, venena, cruces.
Contemnit tua tela fides. Quid robore possit
Si pia tot vires, frangere lingua potest.

IN PIA PROGIMNASMATA.

VIS *agit Herculeã, si desit pugna, palæstrã,*
Maius & obiecto robore, robur habet.
Siue tenet belli rabies, seu detonet ardor,
Arma foris vibrat, fulminat arma domi.
Aut domat hostiles vires, aut sternit amicas
Ac validum Martis sponte lacessit opus.
Sic tua perpetuò RESCI, *certamine virtus*
Se stimulans, vires semper in arma nouat.
Quamq; parit reliquis pugna ac victoria palmam
Hanc non tantum illi pugna palæstra parit.

IN LIBRVM EPISTOLARVM.

SCRIBENTIS *mores effingit epistola, qualis*
Est animus, tales explicat illa notas.
Virtus an vitium hoc lateat si fortè libello
Nescis, aspice quæ nomina fronte gerat.
Aut alta secum cœlestia mente volutat
RESCIVS, *aut soluit vocibus ora pijs.*

IN STEMMA EIVSDEM.

SPICA *tuas laudes, sub acutis texit aristis,*
Illinc ne raperent inuida rostra dapem.
Sed fuit hoc olim, nunc cum tua gloria vero
Sit minor è spica, si libet arma mete.
Scilicet exhibitos, qui iam super extat bonores
Inuidiæ frustra vilia tela timet.

IN NOMEN EIVSDEM ANAGRAMMATISMI.

Ars salus scientis.

NON *omnis ars scientis est ipsi salus*
Si prauum in vsum torserit.
Sed RESCIO *qui vertit in bonum,* SALVS
Scientis Ars est maxima.

RECTVS AN VIS LASSIS.

ERIGERE *abiectos quisquis cupit ilicet illè*
Vt queat hoc fungi munere rectus eat.
STANISLAVS *amat vim* RESCIVS *addere lassis*
Et facit æterna, quod parat auctus ope.
Hunc igitur qui voce cies, si noueris addes
AN RECTVS LASSIS VIS *mage fortis erit.*

LAVS SANCTIS SERVIS.

MÆONIDES *canit Aeaciden, sed fabula mista*

In

In dubium potuit fortè vocare fidem.

LAVS SANCTIS SERVIS *docta est tua pagina* RESCI

Hic amor, hic fulsit non simulata fides.

SCIENS VSVS ALTARIS.

SVNT *qui scientes multa se iustè viros*
Esse eruditos clamitant
VSVS SCIENS ALTARIS *addit* RESCIVS
Satis hoc superq; sit mihi.

CLARVS IN IESVITAS.

IESVITAS *clarus in suos ope,*
Sermone, mente, pagina.

SAL SVSCITANS VIRES.

MVSAS *sopitas suscitauit* RESCIVS
Proinde dein SAL SVSCITANS VIRES *erit.*

DE EODEM IOANNIS FAELICIS Herborti de Fulstin, Equitis Poloni.

SANIS RECTA SALVS.

NEC *ventos medio in mari furentes*
Nec nudus timeo hostium cateruas
Solus in Lybia Lydiaq; tosta
Cesio veniam obuius Leoni.
SANIS RECTA SALVS, *quietus omni*
Viuit terra animus, piusq; bonusq;
Ignarusq; doli, malæq; fraudis.

Laus Deo, & Virgini Matri Mariæ.

Errata ſic corrige.

Nu. 4.	Ver. 2.	pro ſecurè	ſecurum
Nu. 14.	Ver. 6.	pro curas	iuras
Nu. 15.	Ver. 24	pro factibus	faſcibus
Nu. 19.	Ver. 22	pro quo	quod
Nu. 20.	Ver. 7.	pro menſe	mens
Nu. 42.	Ver. 10	pro nomen	omen
Nu. 43.	Ver. 5.	pro Auguſtinus	Ambroſius
Ibid.	Ver. 11	pro ſua	ſui
Nu. 44.	Ver. 16.	dele	de
Ibid.	Ver. 17	antè æmulis,	adde de
49.	Ver. pe.	pro arcem	artem
53.	Ver. 7.	poſt tamen, adde,	& animo
Ibid.	Ver. 10	dele	animo
60.	Ver. 1.	pro reptta	reputa
62.	Ver. 26	pro perturbantur	perturbabuntur
75.	Ver. 3.	pro Magiſtum	Magiſtrum
99.	Ver. pe.	pro Flerendum	flere dum
108.	Ver. 9	dele	lumen
109.	Ver. 2	pro num	nunc
Ibid.	Ver. 14	pro ſtationem	ſtatione
Ibid.		pro amiſerit	emiſerit
113.	Ver. 7.	pro Academio	Academico
Ibid.	Ver. 20	pro laboris	labris
117.	Ver 5	pro amberio	ambitio
123.	Ver. 2	pro herba	herbam
Ibid.	Ver. 25	dele	ſemper
Nu. 125.	Ver. 2.	pro aſſiſtens	aſſiſtentes
Ibid.	Ver. 19	pro poæceptor	præceptor
Nu. 127.	Ver. 6.	pro egeſtate	egeſtati
Ibid.	Ver. 7.	pro ugulis	iugulis
Ibid.	Ver. 9.	pro virtutes .	virtutis
Ibid.	Ver. 18	pro interfueret	interfuerit
Nu. 128.	Ver. 23	pro alterum	alter alterum

132. Ver. 8.	pro	vicia	vita
138. Ver. 20	pro	martyrium	martyrum
Ibid. Ver. 22	pro	flamans	flammas
Nu. 139. Ver. pe.	pro	vita	vitam
146. Ver. 13	pro	quum	quin
153. Ver. 13	pro	publice	publicæ
160. Ver. 26	pro	me	ne
165. Ver. 13	pro	Magistrarum	Magistratum
166. Ver. 19	pro	deposuisset.	mersisset
Ibid. Ver. 22	pro	Lismanius	Lismaninus
167. Ver. 2.	pro	partibui	partibus
169. Ver. pe.	pro	Ambrosis	Ambrosios
173. Ver. 3.	pro	vastom	Vastum
179. Ver. 18.	pro	intixerit	intinxerit.
Ibid. Ver. 24	pro	Catgedris	Cathedris
Nu. 181. Ver. 3.	pro	Galuben	Glauben
189. Ver. 14	pro	libris	libri
Ibid. Ver. 22	pro	suis	sui
190. Ver. 19	pro	iusta	insta
192. Ver. vl.	pro	semones	sermones
196. Ver. 22	pro	neleritate	celeritate
197. Ver. 22	pro	dileritate	liberalitate
204. Ver. 15	pro	tuam	tutam
Ibid. Ver. 17	pro	clarissimorum	classicorum
Ibid. Ver. 18	pro	liter	litui
Nu. 205. Ver. 8.	pro	vlncere	vincere
212. Ver. 8.	pro	erudienda	erudiendæ
214. Ver. 14	pro	Hetruci	Hetrusci
218. Ver. 7.		dele	ri
Ibid. Ver. vlt.	pro	sæpè	ipse
220. Ver. 12	pro	pauciores,	dele quæ
Ibid. Ver. 24	pro	hauriemus	hauriremus
223. Ver. 14	pro	ingenius	ingenuis
228. Ver. 19	pro	mentes	mentis
233. ver. 20	pro	inueire	inuenire

I

315. Ver. 21	pro	spiulis	spiulis
Ibid. Ver. 19	pro	fetulantes	fetulentas
328. Ver. pe.	pro	togatullos	togatulos
329. Ver. 16	pro	commodionem	commodiorem
333. Ver. 25	pro	imminebit	imminebat
334. Ver. 2	pro	fortissimum	fortissimus
340. Ver. 14	pro	agentium	egentium
344. Ver. 3	pro	Arago.	Aragoniæ
346. Ver. vl.	pro	corpores	corporis
349. Ver. 15	pro	Senatotum	Senatorum
352. Ver. 1	pro	Opalerifki	Opalinfki
354. Ver. 1	pro	inuidiorum	inuidorum
355. Ver. 6	pro	tibi	pone in
356. Ver. 12	pro	Hustlæ	Hussitæ
357. Ver. 12	pro	moderata	circumspecta
359. Ver. 9	pro	præcipuo	præcipuè
360. Ver. 9	pro	mereres	mereris
363. Ver. 5	pro	inulsa	mulsa
Ibid. Ver. 6	pro	nutes	nuces
370. Ver. 8	pro	Battoris	Battori
375. Ver 11	pro	his	hic
376. Ver. 15	pro	inodosum	in nodosum
377. Ver. 1	pro	noster	pone Gotthus
382. Ver. 7	pro	tene	tenes.
387. Ver. pe.	pro	perscribere	proscribere
389. Ver. 13	pro	collocatui	collocauit
391. Ver. 15	pro	superasse	super esse
394. Ver. 19	pro	animæ	anime
395. Ver. 4	pro	quam	qua
367. Ver. 13	pro	nascunt	nascuntur
Ibid. Ver. 17	pro	propter ætates	præter ætatis
398. Ver. vl.	pro	Galliæ	Gallia
406. Ver. 11	pro	perfecerim	profecerim
Ibid. Ver. 4	pro	admoueri	admoüeri
409. Ver. 20	pro	præfixiste	præfixisti

	234. Ver.20.	pro	censeo, adde, vt Vulcano litent	
	235. Ver. 3.	pro	obstruseris	obtruseris
Ibid.	Ver. 19	pro	flouem	florem
	244. Ver. vl.	pro	salum	salutem
	247. Ver. 4.	pro	extare	exarare
Nu. 248.	Ver. 1.	pro	tabules	tabulis
	254. Ver. 25	pro	quieem	quidem
	256. Ver. 6.	pro	tuplex	triplex
	258 Ver. 16	pro	fanais	facies
Ibid.	Ver. 24.	pro	venerationem	venationem
	260. Ver. 22	pro	Sybarititas	Sybariticas
	264. Ver. vl.	pro	protacius	procaciùs
	268. Ver. 12	pro	parcus	parciùs
	272 Ver. 3.	pro	Ghorgius	Georgius
	274 Ver. 19	pro	Romani	Romam
	275. Ver. 23	pro	vestibus	vectibus
	276. Ver. 12	pro	Aream, Sancti Petri vocant	
	277. Ver. 8.	pro	suam	sua
	278. Ver. 3.	pro	inritante	imitante
Ibid.	Ver. 23	pro	arfificium	artificum
Ibid.	Ver. 26.	pro	tuorum	torum
	280. Ver. 10.	pro	autem	adde tam
	284. Ver. 18	pro	illi	adde suæ
Ibid.	Ver. 25.	pro	seueuissimè	seuerissimè
	285. Ver. 7.	pro	Torandem	Iornandem
Ibid.	Ver 14.	pro	tuas	tutas
Ibid.	Ver. 17.	pro	calcum	calcem
	286. Ver. 16	pro	Tornandes	Iornandes
	290. Ver. 10	pro	mollis	nullis
	301. Ver. 23	pro	saltarouos	saltatorios
	302. Ver. 6.	pro	Pouodouico	Pouodouio
	309. Ver. 2.	pro	transmaria	transmarina
Ibid.	Ver. 5.	pro	psaltris	psaltriis
	312. Ver. 12	pro	calles	callos
	314. Ver. 7.	pro	dieit	dicit.

H 2

410.	Ver.15	pro	fæditas	fætidas
411.	Ver.24	pro	laboraret	laboret
413.	Ver.pe.	pro	existimandi	existimaui
Ibid.		pro	oculos	oculis,dele meis
415.	Ver.6	pro	vero	viro
Ibid.	Ver.7	pro	dele	enim
416.	Ver vl.	pro	quod adde	simile
425.	Ver.24	pro	Mellorum	melleorum
426.	Ver.10	pro	pequones	pepones
Ibid.	Ver.16	pro	congruum	congrum
Ibid.	Ver. 17	pro	Antrocides	Androcides
430.	Ver. 16	pro	Fægrei	Flegrei
Ibid.	Ver.19	pro	Tuncariæ	Iuncariæ
435.	Ver.4	pro	proxima	proximam
430.	Ver.17	post	Abdi. adde.	Regis
438.	Ver.17	pro	cum	eum
439.	Ver. 18		dele.	Sed
Ibid.	Ver.1.	dele	dummodo vel in limine sedem.	
Ibid.	Ver.10	pro	quibus	quidem
443.	Ver.3.	pro	garro	garrio
Ibid.	Ver.pe.	pro	tua	tuas
444.	Ver.1.	pro	aurum	durum
445.	Ver.16	pro	ille	illæ
Ibid.	Ver.21	pro	prædiscendus	perdiscendas
447.	Ver.10	pro	oporas	operas
448.	Ver.3.	pro	ducatos	ducaeorum
449.	Ver.2.	pro	paracticos	practicos
450.	Ver. 14	pro	triuemibus	triremibus
Ibid.	Ver. 26	pro	mundicare	mendicare
451.	Ver.14	pro	ministrant	ministrat
452.	Ver.9.	pro	ducatos	ducati
453.	Ver.8.	pro	voluntatis	volontates
454.	Ver. 10	pro	qui	quæ (milliũ
455.	Ver.15	pro	400.mila.	quacringentorũ
456.	Ver.2.	pro	courepto	concepto

457.	Ver.22	pro	fuper	fupra
459.	Ver.6	pro	vt	et
460.	Ver.15	pro	fluta	flata
467.	Ver.pe.	pro	Cardinalitia	Cardinalitiam
480.	Ver.1	pro	Menti	Benti
491.	Ver.3	pro	à te	ad te
492.	Ver.19	pro	folisq;	foliq;
493.	Ver.12	pro	fua	fuo
Ibid.	Ver.14	pro	audira	audire
494.	Ver.19	pro	vtrorum	virorum
Ibid.	Ver.10	pro	bona	bonæ
497.	Ver.22	pro	magnis adde	femper
498.	Ver.14	pro	duxeris	duxeris
499.	Ver.22	pro	Milfcadis	Milo cadis
500.	Ver.pe.	pro	æternæ	cæteræ
Ibid.	Ver.vl.	pro	confloreat	non floreat
504.	V. 3	pro	patiebantur	paatiebatur
505.	Ver.16	pro	Hereulis	Herculis
506.	Ver.14	pro	at	ad
728.	Ver.5	pro	Clementē viij.	pone Clem.vij.
729.	Ver.15	pro	preparet	præparet

REGESTUM.

¶ A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk.

A B C D E F G H I.

Omnes sunt integra folia, præter ¶, *&* H, *quæ sunt semifolij.*

Imprimatur. Ardicinus Biandrà Vic. Gen. Neap.

M. Cherub. Veron. August. Theol. Archiepisc. Neap. vid.



Ex Officina Horatij Saluiani.

NEAPOLI, *Apud Io. Iacobum Carlinum, & Antonium Pacem.* 1594.


FRANGERE FRANGVNT
CONANTIA



Index.